



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



S E D V A R D V S,
S I V E
D E V E R A I V R I S P R V D E N T I A,
A D R E G E M, L I B R I X I I.

Nempe:

N O M O Θ Ε Σ Ι Α Σ, siue de Iuris & Legum condendarum
scientia, libri IIII.

R E R V M D I V I N A R V M E T H V M A N A R V M, siue de Iure ci-
uili publico, libri IIII.

A D P A N D E C T A S, siue de Iure ciuili priuato, libri IIII.

*Opus IOACHIMI HOPPERI Frisij, f. C. equestris ordinis
viri, rerum Status Germania inferioris apud Philippum
Hispaniarum Regem quondam Consiliarij, & magni eius
sigilli praefecti.*

Adiectus est eiusdem auctoris De institutione Prin-
cipis liber singularis.



A N T V E R P I Æ,
I N O F F I C I N A P L A N T I N I A N A,
A P V D V I D V A M, E T I O A N N E M M O R E T V M.
C I O. I O. X C.

LIBRERIA
REGIA
MAGNIFICENTIA

P H I L I P P O I I .

H I S P A N I A R V M R E G I
CATHOLICO, &c. OPTIMO MAXIMOQVE
PRINCIPI, GREGORIUS ET GAIUS ANTONIVS HOPPERL



MNES qui ab ineunte ætate virtutem amplectuntur, actionum suarum moderatricem, vt ea duce quàm rectissimè ac beatissimè vitæ suæ cursum perficiant, Rex potentissime; hoc in primis spectant, vt quo breuior est huius lucis vsura & incertior, eo impensius ea ipsa quæ datur, omnibus suis horis & momentis hominum vtilitatibus seruiat; eorum autem maximè, quibus arctiore necessitudine à natura coniungimur. Hanc vitæ rationem optimus quondam parens noster instituens, postquam in linguarum cognitione & disciplinis optimarum artium adoleuisset, seipsum examinans, ad eam reipublicæ partem accessit, cui se vtilissimum fore iudicabat; atque ibi se suaque omnia sacræ Maiestati tuæ deuouit, siue (quod idem est) patriæ charitati. Quo autem in genere administrationis versatus fuerit, qua religione in sententia dicenda temporibus adeò turbatis, in rebus exsequendis industria & sollicitudine, quæue in omnibus animi integritate & magnitudine, nec rem nec gloriam captantes diceremus, nisi vnâ Maiestatem tuam hoc optimè scire arbitraremur. Enimvero dedit illa sæpius & iudicij sui & fauoris argumenta non obscura: quo nomine heroicæ bonitati eius & clementiæ gratias debemus immortales. Porrò autem futurum videns, vt, si quæ animo conceperat, literis mandasset, labori suus esset fructus; etenim erat ab omni doctrina, tam diuina quàm humana instructissimus; quoties à republica erat otium, etiam illud temporis quod quieti aut relaxationi dari solet, meditando scriben-

bendóve publicæ vtilitati tribuit; ad viri boni officium
 pertinere ratus, non tantum præsentis reipublicæ sta-
 tui inferuire; sed etiam futuri æui mortalibus, quod
 in se est, consulere. Itaque tandem & assiduitate sua,
 & quòd erat ingenij vbertate & facilitate ferè incre-
 dibili, opera quædam absoluit, nec multo pòst è vita
 excessit. Hæc monumenta, quibus nihil in rebus hu-
 manis nobis est charius, ne & omnium commodis, &
 parentis optimè meriti memoriæ inuidere videremur;
 vt in lucem prodirent, tandem effecimus. Vnde volu-
 men hoc ad pedes Maiestatis tuæ venerabundi iam of-
 ferimus, ab ipso patre ei destinatum, eiusque regio no-
 mine iam pridem inscriptum. Nam cui potius aut de-
 buit, aut voluit meliores suos labores consecrare, quàm
 illi à quo maxima ornamenta ei accesserant; cuiusque
 ministerio & obsequio immori, magno animi affectu
 iam dudum constitutum, vt ius fasque est, habebat?
 præsertim cùm hoc ipsum maioris huius operis insti-
 tutum postulare videretur, cuius primæ præcipuæque
 partes sunt de Nomothetice, quæ propria Regum est,
 & à Platone, qui illius mentionem facit, ars regia no-
 minatur; libellus autem ei subiunctus is sit, quem
 optimo zelo ad Maiestatem tuam, quo die eidem na-
 tus fuit filius Ferdinandus, de institutione Principis scri-
 psit. Et verò plurimum auctoritatis & honoris scri-
 pta hæc acceperint à tanti nominis maiestate & splen-
 dore: sed quo ipsa omnino indigna non fuerint, vt
 quæ nec humilis ieiunive sint argumenti, nec peruul-
 gati; verùm planè exquisiti, & acutè grauitèrque per-
 tractati. Vt enim de maiore opere nunc loquar, cùm
 in legibus interpretandis, conferendis, conciliandisque
 inter se, plurimorum doctè & feliciter versatus sit la-
 bor; vt iam cohibendum potius, secundùm Imperato-
 ris Iustiniani epistolam, quàm desiderandum sit hac
 in parte scribendi studium: nemo ante hunc (quod
 quidem sciamus) apparuit, qui ipsa iusti iniusti que prin-
 cipia, fontesque, ex quibus omnes quæ vbique vel sunt
 con-

DEDICATORIA.

constitutæ, vel constitui possunt iustæ leges, derivantur, cum aliis eò pertinentibus, sub paucis certisque capitibus, & perpetua perfectaque methodo velut in artem concluderit, ad quam totum ius ciuile tam publicum quàm priuatum vt artis exemplum reuocari posset, quemadmodum etiam vtrumque summatim & itidem methodicè hoc ipso in opere reuocauit: vt difficile sit dictu, inuentane sint hæc principia sagaciùs, an descripta digestaq. elegantius, an artificiosius aptiusque accommodata. Equidem res ardua est, & quæ ne tentari quidem aliquo successu absque maiore quodam musarum afflatu queat. quod multitudinem scripturientium facilè ab hoc argumento arcuit. Verùm cum & priscis temporibus & nostra patrumque nostrorum memoria fuisse sciamus, quibus neque doctrina maximarum artium, neque rerum vsus, neque ingenium defuit; quid illis obstiterit, difficilis omnino est coniectura. Atqui sine his seu principiis, seu primis intelligentiis, à Deo & natura mentibus nostris ab origine insitis, sed doctrina excutiendis excolendisque, quæ summi illi viri politicique Philosophi, à quibus ius nostrum profectum est, cum de æquo & iniquo decernerent, pro norma habuerunt, nihil omnino potest pro cuiusque rei natura plenè perfecteque percipi. Nam cum anima legis sit ratio, ad illam intelligendam utique hæc penitus pernoscenda est, & quidem à primis principiis; ex iis enim pondus eius firmitasque æstimatur. Hinc sciri poterit, quàm latè patens & augustum sit veræ Iurisprudentiæ nomen, & Vlpiani definitioni conueniens: hinc intelligi cur eam ciuilem sapientiam, & rem sanctissimam, Iureconsultos verò sacerdotes, & veram non simulatam philosophiam affectantes dixerit; in his tradendis principiis reliquisque pertexendis, præsertim iis quæ ad ius Ciuile publicum pertinent, rerum grauissimarum, & cum omnibus, tum his potissimum qui in quacumque reipublicæ forma præsunt, scitu dignissimarum pulcherrima & admiranda

EPISTOLA DEDICATORIA.

da series existit : in quo vel solo fructus erit vberri-
mus. Animo itaque placido, & vultu sereno, hoc vo-
lumen, quasi ex patris testamento ; submissè summá-
que cum reuerentia à filiis oblatum, Maiestas tua acci-
piat. Quibus cum eadem sit voluntas quæ illi fuit, ani-
miq̄ue promptitudo minimè degenerans ; enixè humi-
literq̄ue rogant, vt, paternæ fidei recòrdatione, proge-
niem eius commendatam habere dignetur, eamq̄ue
apud se gratiosam esse velit. Illà omnipotentem Deum
assiduò inuocat, vt pace omnibus ditioni Maiestatis
tuæ subiectis terra mariq̄ue concessa, votis eiusdem
& desiderio benignè vbique respondeat, beneficia om-
nis generis & ornamenta accumulans. Data Bruxel-
lis XXI. Iulij, Anno à Christo nato MD. LXX.

G R E G O.

GREGORII HOPPERI, AD LECTOREM

PRÆFATIO.



VVM diu multumque, beneuole Lector, dubitaf-
sem, præfundumne aliquid hoc in opere mihi fo-
ret; quod & hinc inconsiderati hominis esse ui-
deretur, alieni splendoris collatione tenebras suas
nulla necessitate detegere; & illinc inuidi ac ma-
ligni, qua profutura putes in paternis præsertim
monumentis edendis occultare: uicit publica utilitatis ratio pri-
uatam, ut hac qualiacumque ad auctoris tamen institutum com-
pendio intelligendum ualitura, & ad popularem sensum explica-
ta, in medium lucemque proferrem. Ergo Ius hoc ciuile Roma-
norum, quod propter ciuilem in eo elucentem sapientiam excellen-
tiãque æquitatis, iam communi omnium ferè gentium non barba-
rarum assensu comprobatur, trifariam considerari potest. Eorum
enim qua in eo traduntur, quadam certa sunt omnibus, & indu-
bitata, quippe iis nixa principiis rationibúque, qua in sensu cuius-
que insita, adeò solida sunt & efficaces, ut omnes alias, qua in con-
trarium adduci possent, facile ac euidenter infringant. Atque hinc
est, quòd quilibet se iustum iniustumque discernere in omni re posse pu-
tat. Huc referri potest quod in Protagora Platonis ait Socrates,
de singularum artium opificiis, singulos earum artium professores
sententiam rogatos uerba facere: uerum cum de Republica aut
uirtute rebus omnium longè difficillimis incidit dubitatio, promiscuè
omnes ad diiudicandum uelut prosilire. Quorum illa est ratio,
quòd omnes semina quadam seu diuinas scintillas, ut prudentia &
honestatis, ita iusti iniustiç, animis nostris, partim clare, partim ob-
scure, à primordio inclusas inditasç, habemus, quarum manifestiori-
bus dumtaxat freti (nam plerag, non temerè absque doctrina & cultura
apparent.) nescientes etiam propter imperitiam quam uariè res in-
ter se & cum circumstantiis misceantur; & belli pacisç, moderato-
res, & uirtutis magistras, & magnos nos causarum iudices profi-
temur, iudiciãç, passim uel tarditatis, uel etiam auaritia incusa-
mus, qua luci nubem de industria offundant, & nodum in scirpo qua-
rant. Secundum genus est eorum qua ita inuoluta sunt & inter-
cata;

AD LECTOREM

tata, siue id rerum natura, siue animi per peccatum obscurati & caligantis vitio contingat, ut extricari ingenio humano non possint. Quod tunc potissimum accidit, cum ad eandem facti speciem dua pluresve rationes ita concurrunt, ut impossibile sit statuere, quae illarum plus loci momentive obtinere debeat. Atque in his, velut desperata ope humana, ut ad oraculum, ita ad decisionem Principis itum est; certi enim aliquid omnino statuendum fuit: evenitque ut rudes quos dixi homines, cum huiusmodi ambiguitates in utramque partem proponuntur, & cum vident aliis atque aliis in locis temporibusve contrarium saepe, etiam re nihil immutata, observari; sententia deiecti, ad alterum extremorum impellantur, afferantque iustum omnem non naturam, sed lege definiri. Tertij medijque generis sunt ea quae nec omnibus indubitata sunt, nec item inextricabilia: sed quorum rationes longius à communi sensu remota expediri tamen, & quarendo inuestigari possunt, atque intelligi vel vera, vel verisimiles. Horum longè maxima pars est, non quidem fortuito; sed ita constituente perfectissima natura harmonia: ac in iis propria vis & efficacia Iurisconsulti cernitur. Suprema enim communia sunt omnium, infima in scientiam non cadunt humanam. Quare cum proprium Iurisprudencia obiectum iam inuenerimus; quemadmodum circa eam versandum sit, deinceps consideremus. Quidam enim Iureconsultos ita à memoria commendant, ut praeter hanc nihil magnopere requirere videantur; qui profecto eorum errorem imitantur quodammodo, qui aiunt iustum omnem non naturam, sed lege definiri. contra alij multum quidem memoria, plus tamen ingenio acuminis, rationis tribuunt. Inter hos quomodo diiudicandum sit, ex iis quae supra dicta sunt, forte poterimus constituere. Cum enim dixerimus, verum Iurisconsulti obiectum, medium locum inter indubitata, quae sensui cuiuslibet patent; & inexplicabilia, in quibus ut penitus abstrusis abditisq; ingenij acies deficit, obtinere: facile apparuit, lumine mentis in primis opus esse, ad ea nimirum eruenda & intelligenda quae velut in medijs & obscurioribus natura sunt recondita penetrabilibus. Cum autem addiderimus, & rerum inenodabilium decisionibus in republica opus esse; significauimus, ad eas ipsas mente retinendas, meram memoriam requiri: ubi enim ratio minus valet, ibi memoria magis est necessaria. quod in puerorum institutionibus clariùs etiam apparet. Concluditur itaque, & acuminis & memoria perfectum Iurisconsultum pollere debere: verum ex supradictis ita, ut

et multo plus loci ingenio acuminique relinquatur. Etenim qua in re
 alia propria Iurisperiti nota seu differentia ponatur, quam in
 iusti iniustique scientia? scire porro est rem per causas cognoscere. Neque
 ego nunc non esse iuris studio ubique memoria studendum censeo;
 praesertim cum in multis quae evidentem in natura fundata sunt, legis
 positio fuerit necessaria, ut passim in temporum praescriptionibus: sed
 huic non esse in omnibus praecipue innitendum contendo. Enimvero
 qui totum ius civile, quod adeo varium est & multiplex, ut vix cer-
 tam aliquam regulam habeat, solida vi memoria complecti velit,
 na ille rem magnam quidem & optabilem molietur; sed supra hami-
 num captam positam. Praeterea ut hoc maxime fuerit consequutus,
 certe adhuc quod praecipuum est, in eo desiderabitur. Nam placuit
 (aiunt Imperatores) in omnibus rebus praecipuam esse iustitiae aequita-
 tisque quam stricti iuris rationem. Et Paulus: in omnibus quidem, ma-
 xime tamen in iure, aequitas spectanda est. Etenim, ut à sapientissimis
 hominibus traditum accepimus, sola boni & prudentis viri mens &
 ratio, optima perfectaque lex est: ceterum propter necessitatem leges in
 republica sciuntur; quibus cum omnia definiri comprehendere ne-
 queant; in infinitum enim res abiret, cum infinita sit rerum & cir-
 cumstantiarum mixtio: ideo illa quae ab initio ponuntur, & limita-
 da sunt pro rebus natis; & extendenda per similia & consequentias,
 & ad novos variosque casus non alia quam rectae rationis norma, ut
 Lesbia quadam regula, adaptanda. quod sane nisi summa & exi-
 mia ingenij dexteritate, & principis earum penitus perspectis, bene fie-
 ri non potest. Huc accedit ipsa rerum humanarum continua vicissi-
 tudo, & quod nihil est firmum sub sole. Hinc enim fit, ut multa
 quae pro rebus subiectis optimè in republ. Romana olim legibus sancita
 fuerunt, si ad haec tempora & res nostras respicias, ferrea omnino iu-
 ra sint futura. Quamobrem rationi & intelligentia potissimum in-
 cumbendum est, dandaque in primis opera, ut post rectam educatio-
 nem, principium hoc, quo nihil in homine est praestantius; siue eam ani-
 mi nostri partem, quae iusti iniustique à natura informatas notiones (ut
 supra dixi) continet; tum aliarum scientiarum subsidis, tum usque ipso,
 & ipsarum legum adminiculo excutiamus, excolamus, atque exercea-
 mus. Quod si rectè fecerimus, non maximo negotio sententias legum,
 ut quae optimis rationibus inde deductis (licet nobis interdum propter
 antiquitatem subobscuris) nitantur, imis, quod aiunt, mentibus fige-
 mus, illasque, uti oportet, ad rem conferemus, atque in turbido hoc opinio-
 num

num pelago ad principia hac, tanquam ad lucidos septentriones identidem respicientes, facilius rectum cursum tenebimus: sin negligemus, omnis penè labor industriæque nobis perierit, vel certè vagam & instabilem imperfectamq; scientiam consequemur, aliorum magis auctoritatibus conquirendis obnoxiam, quàm nostro fultam iudicio, dum, quod positum est in una cognitione, in infinita, quod proprium ignorantia est (ut inquit auctor) dissipatur. Atq; hoc quod dixi eo libentius nobis faciendum est, quòd re ipsa experimur, intelligentiam nostram doctrina & usu in dies magis magisq; splendescere & iuvari, memoriam non usque adeò exercitatione firmari. Ostenderem præterea hac una ratione, veteres illos legumlatores, magnòq; jurisconsultos ad tantum decus pervenisse: sed nolo in re clara testibus uti non necessariis. cui enim dubium esse potest, ex ratione ius, non rationem ex iure existitisse? Quare ut ad institutum potius redeam, cum usu & doctrina, hac innata semina iustitiæ ut aliquando in nobis adolescant excolenda dixerimus, videndum est ecquid circa ea doctrinâ & præceptis effici possit. Quæ cum tantum loci sibi hic vendicent quantum alibi usquam: est tamen (si anxie & subtiliter hac differenda sunt) ut ipsa iusti iniusti, ex principijs in re qualibet inuentio, atq; adeò diiudicatio, vis & facultatis cuiusdam esse, nec in veram & absolutam artem cogi posse videri queat. Nam iusti iniusti, iudicium ex rebus ipsis subiectis seu propositis (inquiunt) capiendum est. Hoc enim est quod dicitur, in toto iure generi per speciem derogatur, & illud potissimum habetur quod ad speciem directum est. Porro autem, ut iam dictum est, infinita est rerum ac circumstantiarum mixtio, pro cuius varia ratione, & principiorum quæ res sequuntur diverso inter se concursu respectuq; diversa ubiq; sunt statuenda. Huic addi potest quòd jurisprudentia nomine hac facultas appellatur; prudentia enim, vel auctore Aristotele, in rebus singulis cernitur, quarum non est scientia, sed sensus. Ut iam inferatur id quod sua natura infinitum est & incertum, in certam finitamq; scientiam vel artem includi non posse. Sed his brevitatis causa nunc relictis; quid ergo his libris velit auctor, tempestivum est eloqui. Qui artem differendi tradunt, totam rerum naturam certis summisq; capitibus complectuntur, quos locas siue sedes argumentorum vocant; quibus sane non docent cuiusque rei naturam, aliam enim id esset facultatum: sed hoc agunt, ut per omnia, ex quibus argumenta desumi possunt, querentis animus quam celeriter referatur. Eadem quodammodo est huius instituti ratio. Postquam enim

P R Æ F A T I O.

*exactissimam Juris civilis cognitionem sibi comparasset auctor, atq̄
idem in omni philosophia parte esset versatissimus; acutissime summa
quadam capita vestigando reperit, sub qua singulatim descripta, &
per absolutissimam, eque ipsa rerum natura manantem methodum
ducta, & ita suis membris subdivisa, ut nimis vasta aut late paten-
tia non sint, summas rationes seu principia eorum in uniuersum qua
ad iustum iniustumq̄ pertinent (ut Cicero sub paucis quadam
capita Officiorum principia cogit) perfectissime reuocauit. Neq̄ enim
omnia principia hęc tradere aut potuit aut uoluit, sed paucis exem-
pli gratia commemoratis, reliqua uelut intento digito demonstra-
ta, uel ex iure scripto, uel ex ipso fonte, hoc est, philosophia (aliunde
enim non petendam esse ueram Jurisprudentiã, luculenter in primo
libro De legibus idem ostendit Cicero) tam diuinã quã humanã, hau-
rienda reliquit; eo contentus, si uiam reperisset, qua studiosi animum,
alioqui non indoctum nec imperitum, per omnes iusti iniusti-
q̄ sedes uelociter & sine errore traduceret. Neq̄ hoc satis ei fuit. Diximus
suprà, propter uarietatem commixtionis rerum in hoc instituto subie-
ctarum, quarum contemplatione cum ad singulas species uentum est,
ipsa etiam principia, per qua diiudicantur, infinitis modis consideren-
tur, misceantur, & concurrant, esse, ut uideatur hanc iusti iniusti-
q̄ peritiã exacte in artem redigi nullo modo posse. Attamen & huic
difficultati occurrens, illam quoq̄ disciplina partem exsequitur. Cum
enim hac ipsa consilio & certa regantur ratione, quid est quod repre-
sentare & efficere non possit ingenium studio cognatum, & acuti ho-
minis continens labor? In hac autem parte tractat de rerum Juri
subiectarum & circumstantiarum qualitatibus, & deinceps de earum
cum principiis coniunctione: quam disperditur in Inventionem (quam
uocat) qua scilicet generaliter ostendit, qua principia quibus rebus con-
ueniant; Diuidicationem, in qua demonstratur certa uia ac ratio
deprehendendi, quid iustum in unaquaq̄ re siue specie facti sit uel non
sit; & Comparationem, ubi agitur de principiorum in rebus subiectis
concurso, & quid in eo sit statuendum, si ad contraria tendant. de
qua re plura in Isagoge, quam scripsit ad filium, in hanc ipsam suam
ueram iurisprudentiã. Ex quorum quidem principiorum pugna,
maxima obscuritas, ut dixi, & saepe error in iure suboritur; diu
uel subtilem aliquam rationem ut hoc ipso potiore mordicus reti-
nemus, uel iustum non pondere & qualitate, sed numero & turba
rationum discernimus. Omitto hęc qua de formis legum externis
recte*

A D L E C T O R E M

recte concipiendis, ut singula quam facillimè in singularum (quas prosequitur) differentiarum hominum animos influant, quæ de reliqua legis natura absolute, praeclare, ac valde politice subnectuntur. Et summam perstrinxisse suffecerit, etiam ea quæ deinde in secunda uniuersalis huius jurisprudentia parte, quam Dicasticam, id est, secundum leges iam conditas iudicandi scientiam appellat, cum priorem Nomotheticam uocasset, de recta docendi discendiq; iuris ratione praeceptiuntur, per interpretationem scholasticam, forensam & politicam: quas ad extremum usque ita persequitur, ut non aliam iuris, imò nec singularum legum uel discendarum, uel docendarum regulam esse dixeris. Accuratissimè enim & plenissimè, cum de studij huius methodo, tam generali quam speciali, nempe eorum quæ sub unoquoque titulo continentur; tum de singularum legum interpretatione, quo pacto scilicet facti species enodanda; quomodo ratio, causa, occasio legis eruenda sit; quæ ratione item sententia legis aut extendenda sit aut restringenda, quod maximum & difficillimum in jurisprudentia esse supra diximus; quibus modis in speciem dissidentes leges conciliantur; quo pacto deniq; ad usum forensam, ut in aciem pulueremq; & solem sint deducenda; & postremo quæ earum politica sit confid. ratio, hoc in loco traditur. Enim uerò omnia hic redintegrare nihil attinet, cum sint in promptu. Sed sat est, si breuiter id quod praeipuum est, intelligatur: quæ quantaque adiumenta scripta hac suppeditent ad mentis nostræ aciem exacuendam, & iustum iniustumq; in unaquaque re inueniendum ac diiudicandum, siue ea iam artis nomine, siue alio quouis libeat appellare: ad reliqua quod attinet, arripienda quidem esse adminicula, quæ aliorum nobis in exuberanti huius ætatis excellentissimorum ingeniorum prouentu porrigit industria; neque tamen expectandam esse artem Caballisticam nescio quam, quæ prae manum in os ingerat. Dii (inquit ille) sua omnia uendunt sudoribus, estq; uera rerum scientia ex ipsis penitus rebus, usiq; assiduo, accedente intenso uarioq; nec tamen perturbato studio, & ætate ipsa iudicij firmamento, non aliunde petenda. Sed iam quod superest exsequamur. Nam ut facile appareret iuris civilis potissimum gratia (ne dum quo eius maiestati quicquam derogatum uellet) omnem hunc laborem ei susceptum fuisse, quod ex eo etiam liquet, quod hoc opus De iure civili, modesto magis quam uero titulo inscripserat: id ipsum quasi artis exemplum declaraturus in secunda operis parte sumit. Itaque primò omne ius publicum, cum sacrum, tum prophanum, quod hæc-

nus

P R Æ F A T I O.

mus sine certa methodo dispersum habuimus, ex toto iure civili, præcipue vero ex Nouellis constitutionibus, & tribus posterioribus libris Codicis, in exactissimam methodum (qua nusquam magis quam in iure, re immensa alioqui & confusa, est necessaria) collegit, simulq; ostendit quo pacto summa eius capita, qua breuiter ab eo explicantur, ex singulis vniuersalis illius quam instituit artis, nempe iuris ac legum condendarum capitibus, fluant; & ad eadem, ut mathematica ad suas positiones, reuocentur. Deinde idem circa ius priuatum præstat, nisi quod ordinem & titulos Digestorum methodicè sequitur, iisq; singulis titulos Codicis, Nouellarum, & Institutionum ad eandem rem pertinentes, adiungit. Quare etiam illud consequitur, ut quemadmodum quatuor libris prioribus formalem iurisprudentia partem, qua pro anima est, & in scientia consistit, iusti nimirum atque iniusti, nobis tradidit; ita octo posterioribus materialem eius partem, qua pro corpore est, nec scientia, sed notitia continetur, hoc est, omnium diuinarum atque humanarum rerum ordinatam descriptionem, nobis exhibeat. Postremò vero omnium, ut architecti solent, qui præclaro operi supremam adhibentes manum, fastigium aliquod ei imponunt inauratum, & eleganti artificio concinnatum: ita & auctor, cum per totum hoc opus (haud secus quam sanguis per corpus humanum) excellentissima sparsa sit philosophia, & qua maioris sit ponderis quam cuiquam sit credibile, nisi id ipsum tempore & studio experiatur; in calce Themidem Hyperboream (quam vocat) adiecit, in quo libello, pulcherrimo figmento fontes eorum qua tradidit, atq; adeò totius scientia Ciuilis allegoricè, ad iuuandam memoriam, iucundissimè simul & grauissimè adumbrauit. Explicauimus, utcumq; idq; à capite, quid auctor sibi his libris propositum habeat, & quo pacto id ipsum exsequatur. Quo quidem in argumento (ne hac non satis præmeditata credas) iam olim fuit versatus, in iis libris quos de arte iuris, adolescentiam egressus, edidit, uberiore fortè quam hi sunt stylo: at rerum contextu complexuq; & magnitudine haudquaquam comparandos. Si tamen hac ipsa nimis philosophica quis præter expectationem nostram feret, ut qua nimis sublimia sint, nimis item generalia, aliena & longè petita; adhac iureconsultum his libris proponi, qualis ab hominum memoria fore nemo fuerit, nec futurus quidem sit: is pace sua intelligat in margaritam se, cuius pretium ignoret, incidisse: tum veterem se, & iam diu à summis viris refutatam querelam renouare, eorum qui & Platoni, & Regem Xenophontis, & Oratorem Ciceronis, velut res

AD LECTOREM

commendicias, Vanas, & imaginarias nimis temerè reijciunt, vel, quod pessimum est, irrident. At quantum horum opinio scientiis artibusq; repugnet, hinc sciri potest, quòd Aristoteles moralem philosophia partem tractans, eam tandem summam proponit homini felicitatem, quam vel ipsius iudicio nemo unquam aut assequutus est, aut assequetur: quippe qua diuina potius sit & immortalis (ut ipsius verbis utar) quàm humana. Vt enim nihil difficilius est, quàm quod in suo genere est perfectissimum: ita nihil est magis necessarium in rebus omnibus, quàm huiusmodi absolutissimas formas sibi in animo proponere, atq; ita scopum suum cognitum destinatumq; habere: quem si in collimando contingere medium non possumus; certè quò conatus nostros dirigamus, habebimus. Ad suam porrò supremam quaque perfectionem, ea omnia qua celo, terra, mariq; nascuntur, natura intentione summa ope niti videmus. Sed nil opus tam longè accersitis testibus. hoc enim satis perspicuum sit, eorum qui in huiusmodi argumentis versantur optimorum virorum, & post mortem etiam de genere humano quàm diutissimè bene merentium solertiam non esse ulla obtreclatione pragrauandam, sed in calum tollendam potius, & grato animo pradicandam. Si qua enim in rebus humanis vera & solida laus est, ea rectè factis & doctrina debetur. Quanquam & alio nomine huiusmodi homines valde reprehendendi sunt: ipsi enim de se iudicium faciunt, degeneres eorum animos, & terrà graues, circa solum perpetuò volitari, nec unquam pulchri perfectiq; amore aut contemplatione in sublime rapi. Plura in commendationem huius operis, nisi auctoris filius essem, dicerem. illud tamen non tacebo, quod vel me tacente in aperto est, futurum, ut studium Jurisprudentia, quod multis hæctenus illiberale quodammodo visum fuit, & versari ut plurimum in rebus infimis, suggrundis, & stillicidiis: quod item horridum & triste, & in deuorando tadio tot glossematum potius, in quibus plerumq; consenesimus, quàm in vi ingenij positum, pleriq; arbitrati fuerunt, atq; hac ratione ab eo auersi: futurum, inquam, ut re ipsa appareat, quàm magnificum sit, cum eo quo oportet modo tractatur: quàm a se porrò repetendum, & quàm magnarum scientiarum, cum humanarum tum diuinarum, praeclaris nixum radicibus. adeò ut nihil iam homine dignius aut ingeniosius possit excogitari, nulla philosophia verior, quippe qua grauissimam Thesoricam cum exercitio in republica utilissimo coniungens, nec verborum pompâ & ambagibus ambitiosam & vanam sapientia umbram affectet, nec argutis

P R Æ F A T I O.

gutiæ quæstionibus tractandis intra scholarum parietes se contineat. Nullum denique in republica munus excellentius. Quamquam enim sine illa parte quæ rebus gerendis omnium utilitatibus domi militiaque prudenter & fortiter inuigilat, ciuitas stare non possit; tamen ut Philosophi, qui animi instituant, plaris sunt quam medici, qui corporis sanitatem vitamque procurant & conseruant: ita hac pars, quæ leges iustas condit, & secundum conditas ex arte iudicat (est enim utrumque eiusdem facultatis) nescio quomodo & diuinior & splendidior est habenda. Certè Aristoteles in Ethicis cunctarum artium & scientiarum ei sceptrum tribuit, eamque Architectonicen uocat, atque sub illius nomine, omnium omnino uirtutum apicem, utilitatem, & pulchritudinem, ipsamque ad cõuilem scientiam comprehendit. Quare hoc modo percepta iuris prudentia, non modo domum à solitudine in senectute (ut inquit Cicero) uendicabit; sed supremos etiam honorum gradus (si id quoque spectandum est) pollicebitur. Quin si delectatio dumtaxat ex his scriptis peteretur; quæ minor haberi posset, quam ex tam diuersis & tam præclaris rebus unum pulcherrimum corpus callidissimo artificio conflatum intueri? contemplari quo pacto scientia inter se natura ipsa, admirabili prorsus ratione, quod & in uirtutum habitibus cernitur, conserta sint & concatenata? Mihi quidem (nec enim puto me hic animi mei affectio aut præiudicata fallis opinio) non Liber hic, sed uariarum pretiosissimarumque rerum compositissimus thesaurus uidetur: in quo omnia eximia sint, omnia una & perpetua eaque aurea prorsus serie sub uno uelut decentissimo aspectu disposita, purissimoque ac suauissimo stylo, sapienter, breuiter, & dilucide, sæpe etiam per ipsa uerba textuum, ita explicata, ut nihil ineptum, nihil superfluum, nihil non suo loco positum inueniatur, meritoque ambigas, materiane an artificium plaris in hoc opere sit facienda. Nusquam itaque melius quam in tam cognatis & tam compositis rebus iure consulti animus defatigatus turbatusue conquiescet. Illud etiam hic obiter exponere possem, in his libris efficaciter mentem ab inferioribus & fluxis rebus ad superarum & aternarum cogitationem traduci. Sed ne, dum omnia cõplecti uoluisse uideor, operis dignitati aliquid detraham, iam modum affectioni statuo, & unumquemque, qui legere uolet, suo ipsius iudicio remitto. Caterum hac in operis uestibulo poni, e re tua fore existimaui; ut statim breuiter strictimque scire posses, quid his libris spectet auctor, quid ue promittat, & quomodo id ipsum exsequatur, & ut utilitas eorum illico ex parte tibi appareret. Vale lector, & frue.

D E

DE NOVO AC SVBLIMI
OPERIS ARGVMENTO, EXACTAQUE
EIVS METHODO, AD AVCTOREM.



VALIS inuictis Iouis ales ultra
Nubium tractus agitur volatu,
Præpetis quò ius animosa penna
Nulla subiuit;

Arduum sic tu, populique supra
Iura Romani meditaris auctor,
Primus hanc iusti statuens stupendi
Acuminis artem.

Sceptra quo firmes, apicemque rerum,
Ne suo tandem vitio fatiscant,
Æquior quo sic per acuta legum
Semitæ constet.

Et vagum si quid fuit antè, nostris
Dadala ut neetas animis catena, &
Aurea posthac faciliq̃ue vinculum
Compede sistas.

O potens magnæ Themidis sacerdos,
Diua quæ celo radians & orbi
Lucet huic nostro, tenebrisque vindex
Fulgurat imis.

Aura tam pura tibi nulla lucis
Obsuit, mentisve aciem retorset
Turbida iam tum minus impeditam
Corporis umbra.

Inuida fatum accelerante Parca
Occidis terris. Sed auita virtus
Musaque æternum tumulo dicarunt
Laudis honorem.

Indicos Nymphæ Charitesque odores
Spargite & flores, citharamque Clio
Hæc moue. ad manes mihi non pusilli
Numinis instar.

IOACHIMI HOPPERI

FRISII, I. C.

DE VERA IVRISPRVDENTIA

LIBER PRIMVS.

Seduardus.



IVINA re primo mane peracta, Deoque salutato, postquam maiorum monumenta visissemus, adolescentes domum remiseram, ut ad proficiscendum se pararent, nauemque ad pontes maiores, qui iuxta sunt, conscenderent, meque apud portam qua exeundum erat, expectaret. Ego autem cum notis & amicis aliquot ex templo egrediens, ad proxima urbis moenia recta ire pergebam, ea parte qua scholae puerorum sunt, ubi praeteriti temporis, institutionisque puerilis sub Nouesio & Luceio, recordatione me oblectabam. Post autem ad muros ipsos accedens, quos puer fundari videram, & nunc huc, nunc illuc oculos conuertens, mirum sane dictu est, quantopere me charissimae optimaeque patriae conspectus, post tot annorum absentiam, recreabat. Cui accedebat, quod dum lento gradu paulatim progredimur, variisque de rebus sermones cedimus, alique atque alij ciues & propinqui se offerunt, dextrasque de more iungunt, omnia felicia ac fausta nobis proficiscentibus optantes. Post quos & ipse magistratus aderat, qui officij causa (nam optimus sane & humanissimus populus est) Viglium & Hopperum deduxerat, meque apud nauem, in qua adolescentes inerant, expectabat. Quem quidem cum, gratis actis, quam possem benignissime, & verbis quam amplissimis salutassem, nauem conscendens solui iubebam, meque ad sedendum componebam, nesciens Aggaeum & Vrdium adesse. Quos quidem ego postquam urbem iam egressi essemus, videns, Quid, inquam subridens, vos hic conspicio? Anne ut cum aliis praecederetis, egoque cum pueris istis subsequerer, erat constitutum? Erat sane (inquit Aggaeus) sed superueniente postea Leucanio nostro (cuius utinam optimus frater Siccus, cuius vel nomine ipso recreor, nec unquam ex animo meo discedit memoria, superesset) nec non Fritemano & Benedicio, libenter hanc occasionem arripuimus, ut una tecum iremus. At quamobrem? inquam ego. Nempe ut tecum colloquamur, inquit Vrdius, adolescentesque istos de patris sui doctrina, quam maiorem in modum auemus cognoscere, differentes audiamus, si per te licet. nam praeter illud maiorum vigiliarum opus, quo totam rem omnibus suis partibus ac membris descriptam esse aiunt, sic ut non modo bene fundatam, verum etiam penitus exstructam disciplinam contineat, quoddam aliud minus scriptum esse intelligimus, Regi nostro optimo maximo dedicatum, quo quasi per epitomen summa eius capita vnum in locum coacta, tanquam in tabula quadam adumbrantur, & sub vnum conspectum per breues ac dilucidas partitiones subiiciuntur: quod pueros hosce memoriter tenere audimus. Ita res est, dicebam ego. Et quidem hanc latentem, & admirabilem vim scriptum id habere saepe comperimus, ut qui vel summam eius audit, si quidem ad veram doctrinam natus, & a natura subornatus est, mox ad ipsam, uti sibi cognatam, tanquam ferrum ad magnetem adsiliat, eique adhærescat. Sin vero minus, aut nihil omnino, aut perparum commoueatur, saepe etiam cum gallo Aesopico, margarita inuenta, hordei granum sibi dari optet. Aded ut quasi pro Lydio lapide sit ad ingenium cuiusque explorandum, utrum aurum vel argentum a natura diuinitus infusum habeat, ad veram doctrinam percipiendam, an vero aes vel ferrum, ad inferiores illas artes persequendas, quibus, qui natiuo auro carent, ad externum conquirendum vtuntur. Ad quorum quidem iudicium, (quod sine cuiusquam iniuria, non alia quam rei ipsius de causa, dicatur) uti haec tanquam a vulgari sensu & intelligentia remotiora, non sunt elaborata; ita nec ad cognitionem eorum transferri debent, ne bonum semen in malam terram iniectum pereat; aut, quod deterius est, pro tritico lolium vel spinas producat. Praeclare me hercule narras, inquit Aggaeus.


A

gaeus.

grus. Itaque ut de nobis ipsis, quales simus, periculum faciamus, quid moramur quin adolescentes audiamus? Et quidem tu Seduarde, qui filiorum natus es maximus, interrogantis partes suscipiens, rem ipsam Deo adiuuante approbanteque aggredere. & tu Gregori, qui ab eo es secundus, & diui huius (quem patronum studiorum Frisi) nostri colunt) cuiusque hac æquinoctiali die festum agitur, ab aëto materno (uti ille à paterno) nomen generis, ad respondendum te para. Nam in quonam tandem potius hunc consumamus diem, aut quare diuum ipsum melius celebremus, quam ut, dum leni hoc vento prouehimur, interque patriam vestram, vtramque urbem dico; hanc nostram Sneecam, vbi pater tuus in proauis domo natus & educatus est; & Stauriam, vnde à patre ortus (in cuius agro Hopperianum est) nauigamus, de paterna doctrina vos differentes audiamus? Hæc cum dixisset, adolescentuli post verecundam excusationem tandem modestè parentes, hoc modo sunt exorati.

De prima Jurisprudentiâ, & quomodo diuidatur.


TITVLVS PRIMVS.

S.  **VONIAM** igitur de doctrina paterna nobis instituendus est sermo, agedum hoc primū mihi expedi, mi frater, quā potissimum de re agat. **G.** De prima illa magna, & vera omnibusque partibus absoluta Jurisprudentiâ, quā ciuilem sapientiā Vlpianus, Græci philosophiâ politicā nominant: ad quam quidem collata (quod sine inuidia dicatur) quæ vulgo dicitur Jurisprudentiâ, in tam paruū & angustū naturæ locum conclusa reperitur (quantumcumque vasta, & latè diffusa videatur) ut vix minimi momenti instar habeat: vnde qui eam sustinent, magna professos in paruis versari; & non tam Iuris & Iustitiæ, quàm litigandi vias tradere, quidam de veteribus sapientibus scriptū reliquit. **S.** Quid eam quomodo describis? **G.** Aio principè esse disciplinam, quæ Reipublicæ iure ac legibus administrandæ; gubernandæque præest. Nam cum omnes artes ac scientiæ vel publicæ sint, quæ imperant; vel priuatæ, quæ parent; hæc prioris est generis, princeps omnium artium ac disciplinarum, per quam reges (ut ille ait) regnant, & legum conditores iusta decernunt. Atque eam Dauid sibi & filio suo optans, Deus, inquit, iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis: iudicare populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio. Et Salomon neque armorum, neque opum potentiam à Deo petens, Dabis, inquit, seruo tuo cor docile, ut populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum & malum. Sacri autem canones, de disciplina hac loquentes, artem artium eam vocant; quippe quæ & quas disciplinas inferiores in Repub. esse, & quales quemque addiscere, & quousque oporteat, præscribat. **S.** Quonam autem modo eam partiris? **G.** In vniuersalem Jurisprudentiâ, & specialem; ut in artibus condendis vocabula artium non defugiamus. **S.** Vniuersalis quænam est? **G.** Quæ per totum mundum diffusa, omnibusque gentibus ac populis communis, artem ipsam politicam, qua iure legibusque constituendis Resp. regitur ac gubernatur, comprehendit. in qua quidem non seclusa aliqua aquila tenetur, sed vnde vniuersum flumen erumpit. **S.** Specialem verò? **G.** Quæ circa vnius alicuius populi iura, legesque, ex arte generali deductas, versatur. Nam quemadmodum in cæteris disciplinis aliud ars ipsa oratoria est, aliud oratio Demosthenis fortè ex arte facta; aliud ars poetica, aliud poema Homeri ex arte factum: ita & hîc aliud ipsa iuris, ac legum condendarum ars est, aliud lex alicuius populi, Atheniensis fortè, aut Romani, ex arte facta. Vnde & Plato libros suos duodecim, tum quidem de legibus inscripsit, quod specialis est Jurisprudentiæ; tum verò de legumlatione, quod vniuersalis. **S.** Rectè. **G.** Nos autem Platonem sequuti, qui solus princeps disciplinam hanc coluit, eiusque non solum vestigia quædam minimè obscura impressit, sed & plurima ornamenta adiumentaque illi subministravit; de vtraque summam differemus. Nam haud satis est vnâ nosse, nisi & aliam noris, quæ cum ea necessariò debet esse coniuncta, sic ut ab vniuersali ad specialem, per certos gradus descendas, & à speciali rursus ad vniuersalem per eisdem ascendas. prout de Angelis, quos in quiete per visum Iacob sursum ac deorsum per scalam discurrentes videbat, est proditum. Nec aliud pertinet Thesei filium, de quo in fabulis est, nempe ut certa ratione ac via, à principiis generalibus in rerum specialium labyrinthum intretur, & eodem modo denuo, à rebus specialibus ad principia generalia remeetur. **S.** Intellego. **G.** Et quidem naturæ ordinem sequuti, primò generalitè de arte ipsa vniuersali dicemus; deinde autem particulatim de summis capitibus iuris ciuilis Romani, quo utimur. quæ quo pacto ex arte vniuersali manarint, eo que tanquam ad caput suum reuocentur, quantum quidem pro instituta breuitate satis videbitur, demon-

dem monstrabimus; sic ut non circa artis ipsius tractatum modo consistamus, sed & ad usum, quantum in nobis est, eam transferamus. S. Probè. G. Quinimo cum Ius civile Romanum partim publicum sit, partim priuatum, prout in omnium populorum legibus accidit, ut posteriùs latius tradetur, dici potest, Iurisprudentiam nostram omnem, vel vniuersalem esse, quæ per totum mundum patet, ut diximus, vel generalem, quæ Ius publicum complectitur, vel specialem, quæ Ius priuatum: ut secundum hoc tribus omnino tractatibus omnia comprehendantur. Nunc autem ad rem Deo duce accedamus.


De vniuersali Jurisprudentia.

TITVLVS II.

S.  RGO de vniuersali Jurisprudentia quid ais? G. Eam in veram diuido, vulgarem, & assimilata. S. Vera quænam est? G. Quæ in vulgus hæctenus ignota, certa via ac ratione, certisq. principiis ex natura notatis constat, vnde non errans & vaga opinio, sed stabilis firmaq. scientia existit. S. Vulgaris autem? G. Qua vulgopassim vrimur, quæq. non tam ratione ac intelligentia, quàm usu, & multarum rerum memoria opinioneq. nititur. S. Assimilata verò? G. Quæ neque scientia, neque opinione, sed phantasia duntaxat (visum Latini vocant) continetur. Inter quæ quidem quidnam sit discriminis, à Platone luculenter scis esse traditum. S. Ita memini. G. Nam cum scientia pro animo sit, opinio autem pro corpore; phantasia pro vmbra meritò censetur, quippe quæ neque scientiam, neque opinionem, sed errorem hominum duntaxat aucupatur. S. Sic est. G. Nobis autem de vera primùm exponendum est, in qua præcipua opera, ut par est, ponetur: deinde autem de vulgari, & assimilata, quas cum vera post deinceps comparabimus.


De vera Jurisprudentia.

TITVLVS III.

S.  VID verè autem Jurisprudentiæ, an partes aliquas siue species supponis? G. Maximè: duas nempe. S. Cedo quas? G. Primariam & secundariam. S. Quam dicis primariam? G. Quam Nomotheticen Plato vocat, cui inde nomè est, quod iure legibusq. condendis, & de cõditis iudicandis, reipublicæ regendæ gubernandæq. præest, vnde & ars ipsa Regia nominatur, quam in antro Iouis, per totos nouem annos (cui numero quæ vis insit, post videbimus) Minoa didicisse, Homerus prodidit. S. Secundariam autem? G. Quæ Dicastice ab eodem Platone dicitur, & secundum nominis sui rationem, non quidem circa leges condendas, sed conditas exsequendas, & iudicia secundum eas exercenda versatur, quam Rhadamantho idem poëta tribuit. S. Probè narras. G. Atque utrosque quidem hosce significat Dauid, cum ait: Et nunc Reges intelligite (quod Nomothetarum est:) erudimini qui iudicatis terram (quod Dicastarum.) Pertinetque eodem, quod de Lege & Prophetis in Euangelio proditur, & quod Dominus tanquam auctoritatem habens, quod legislatoris est, non autem ut Scribæ & Pharisei, quod interpretum, docuisse scribitur. De vtraque separatè distincteque tradendum est.

De Nomothetice, an sit in natura, & in artem redigi possit.

TITVLVS IIII.

S.  RGO de Nomothetice quid ais? G. De ea primùm dicâ, an sit aliqua in rerum natura iuris ac legum condendarum ars, quo inquiredo, simul & vnde sit, & quâdo primùm inter homines exstiterit, apparebit, deinde quæ eius definitio, tunc quæ diuisio, vnde ad reliqua, nec tẽdo alia ex aliis, progredietur oratio. S. De primo quid? An dubiũ autẽ est artẽ hanc in natura exstare, cum quotidie alias atque alias leges cõdi videamus? G. Imò verò ob hoc ipsum vel maximè dubitari potest, naturane, an arte, an diuinitus, vel etiã casu fortuito, & pro volũtate ac libidine cuiusq. ea res regatur, dũ non modò apud diuersas nationes diuersas leges exstare, sed & in eadẽ ciuitate, nunc has, nunc illas, exstare videmus, nec vnquã homines cessare alias ex aliis leges ducere. Cui accedit, quòd, licet plurimæ vbique sint leges, nullius tamẽ vnquam in omni memoria scriptum existit, quo ars ipsa Iuris ac legum condendarum, plenè perfectèque

4.
 & que describatur. Nam quod vulgo artem Iuris in ea ratione ponunt, qua leges dissipatae ac dissectae in ordinem rediguntur, certisque capitibus ac membris, secundum genera & species describuntur, ut de Papirio & Flavio, aliisque apud Romanos est proditum, non vere sed per abusionem dicitur. Nam ipsa vera iuris ac legum condendarum ars, natura leges omnes praecedat, quippe ex qua illae exprimantur, fuitque in natura multis ante seculis, quam lata est inter homines aut scripta lex vlla. Huius autem facultatis methodicae vis & effectus, natura leges sequitur, ut postquam ex arte conditae sunt, certo ordine digerantur. Nec quidquam prohibet quo minus non modo artem ipsam Iuris & legum condendarum, quae primaria est, sed & leges ex arte conditas, quae secundariae sunt, quis ignoret, aut certe earum non valde sit peritus, & tamen a facultate hac methodica, quae tertio demum loco succedit, minime abhorreat. Atque hac quidem ratione apud Ciceronem de Iure civili in artem redigendo, differitur, & Hipparchus poemata Homeri ante dissecta, in certum ordinem conclusisse dicitur. S. Quid ergo, tu an facultatem istam Nomotheticen, qua iura legesque conduntur, in natura exstare, & in artem includi posses, an non? G. Aio exstare, & in artem includi posse. S. At quamnam autem ratione? G. Hac nimirum: Quicquid consilio ac ratione regitur, a Deo & natura est, & in artem ingenio humano includi potest: nam ars nihil aliud est, quam collectio quaedam praceptorum ex natura manantium, vnumque finem spectantium. Iura autem legesque condere, consilio & ratione regitur. Nam hinc lex a Chrysippo summa ratio dicitur, in natura posita, & a Papiniano commune praecipuum, virorum prudentum consultum. Est igitur a Deo & natura, & in artem ingenio humano includi potest. S. Intellego. G. Ac quod obiicitur, a nemine unquam artem hanc descriptam, aut literis proditam fuisse, certe praeterquam quod Platonem eius meminisse, quaedamque illius minime obscura vestigia impressisse, iam ante diximus, quem & Aristoteles in Politicis est secutus. Cui accedit quod Plutarchus in Themistocle quandam tum temporis regendae Reipublicae artem a Solone profectam exstitisse ait; tum etiamsi horum nihil exstaret, tamen omnino putandum est, aliquando exstitisse: nihil enim, inquit ille, sub caelo novum est, nec valet quisquam dicere, ecce hoc recens est; iam enim praecessit in saeculis, quae fuerunt ante nos. S. Sic est. G. Ac quod de varietate ac diversitate legum dicitur, quasi illa nullam legum condendarum artem esse arguat: primum si quid in legibus condendis, vel imperitia, vel cupiditate, vel alia aliqua animi labe peccetur, ut saepe accidit, cum precio leges figuntur ac refiguntur, id artem non conuellere, per se, nisi fallor, lucet. Praeter quod varietas quae in legibus accidit, tantum abest ut artem tollat, ut eam vel maxime stabiliat. Etenim nihil est quod arti ac prudentiae magis congruat, quam rebus subiectis, & earum circumstantiis, quae saepe mutantur, leges quae de iis feruntur, accommodare. Cui adde, quod non quilibet, sed is demum qui vere arte praeditus est, intelligit, vnam eandemque rem, quantum ad formam externam attinet, multis modis recte habere se posse, quod ex artis ipsius, & naturae abundantia contingit. Nam cum nullum vnum vni tam sit simile, quam homo est homini, quanta tamen figurae oris sit diversitas, constat, & in mari nihil sane opus est, ut ad eandem lineam nauigetur, dum modo idem cursus teneatur. S. Probe narras. G. Et quod porro dicitur, crebram legum humanarum mutationem facere, ut non tam ratione & consilio, quam diuinitus, vel casu fortuito, aut pro cuiusque voluntate & arbitrio, res ea regi videatur: certe sic omnino sentiendum est, primam legum omnium ac principem causam vnum esse Deum: secundam autem, naturam, & quae ab ea existunt necessitates, ac casus fortuiti quos vocamus: tertiam vero, artem, siue hominem, qui primis igniculis a Deo & natura acceptis, ut de Prometheo proditum est, reliquas leges inferiores, tanquam minor quidam Deus, ut Timaeus ait, inde (non autem ex sensu suo) deducit, & quasi parvam quandam naturam in maiore constituit. Nam quemadmodum in re nautica primae partes Dei sunt, secundae autem maris & tempestatis, tertiae vero artis nauticae, siue hominis ad utrumque se accommodantis: idem & circa iura legesque condendas accidit, in qua re tantum interest, arte quis praeditus sit, an non sit, quantum inter docti & indocti sapientiam interesse Pindarus ait. Nam cum illius sapientia certa sit, & stabilis, & tanquam catenis ligata; haec contra instabilis est, & incerta, haud secus atque de Dardali stautis in fabulis est proditum, quas ligatas manere, non ligatas fugere aiunt. S. Perpulchre sane. G. Atque est quidem haec iuris ac legum condendarum ratio, non modo senior omnium populorum, legibus ac institutis (ut diximus) sed & cum ipsa natura humana prodita, & ex Deo ac natura deducta. Constat enim, principio rerum, primum parentem, postquam Deus hominem creasset, maremque & feminam fecisset, mox legem matrimonialem inde deduxisse; & in Republica constituisse, qua vir patrem & matrem relin-

quere

quere, & adhzere vxori iubetur. S. Ita res est. G. Nec verò ad rem pertinet, quòd nullis hæc disciplina tum inclusa erat certis regulis, quoniam ipsa vera perfecta que scientia ciuilis, quæ à natura homini erat infusa, supra omnes est regulas. Quæ quidem tum primum inuentæ fuere, postquam animus labe peccati obscuratus, his minoribus præsiidiis, & ad minuculis opus habere cœpit, vt per ea, tanquam per scalas, ad ipsam scientiam, accedente vsu & natura, paulatim enitatur. S. Verum. G. Atque ita quidem si quis de omnium artium ac scientiarum præceptionibus sentiat, minimè, vt puto, errabit; sin verò secus, existimans eas sic describi posse, vt omnem omnino rem comprehendant, non Deus quidem, inquit Plato, sed ipse sibi mentem eripuit.

De definitione Nomotheticæ.

TITVLVS V.

S. **Q**UONIAM igitur Nomotheticæ, siue iuris & legum condendarum artem, in natura esse constat, indeq. erui posse, & certa via ac ratione cõprehendi, æque quænam autè ea sit, & quomodo definiatur, ostende. G. Sane si non quantum velimus, certè quantum possumus, præstare conabimur. Nam definitione bene constituta, diuisioneq. rectè inde deducta, reliqua per se quodammodo sequuntur. Et verò ne quid erremus, tres ordine definitiones adferemus: ex quibus prima substantiam siue essentiam Nomotheticæ continebit, altera materiam & formam, reliqua vim & effectum, propriumq. eius officium ac finem. S. Prima autem quænam est? G. Quæ apud Vlpianum ex Celso exstat, cum ait, Ius (quo nomine scientiam ipsam iuris eo loco significat) artem esse boni & æqui: quod perinde est, atque si Iustitiæ dixeris; vnde Iuris huius nomen (nam nomina conuenientia debent esse rebus) deductum esse scribit: quoniam propria omnis lationis legum substantia in hoc consistit, vt id quod rectum iustumque est, lege describatur. Ac cum vniuersæ scientiæ politicæ tres omnino sint partes: vt vitæ necessaria ciuitas habeat, quod agriculturalum & opificum ministerio efficitur, vt libera sit, quod est rei militaris; vt sibi amica, quod per magistratus & iudices: his quarto loco accedens iustitia, vitam & motum per leges illi tribuit; sic vt ea præsentè, omnia rectè se habeant, absente autem, vix vllum momentum ad beatam vitam, bonumque ciuitatis statum habere videantur. Et verò cum illorum neque accessione melior, neque decessione pei vt vita fiat; absente iustitia, quæ omni pondere grauior est quàm reliqua, ne digitus quidem in ea reuera porrigendus est. nam cum hæc caduca sint & mobilia, illa altissimis defixa est radicibus. S. Reuera dicis. G. Et quidem boni & æqui potius quàm iustitiæ artem eam dicere voluit Vlpianus, quoniam vniuersæ iustitiæ nobilissima pars, ipsum æquum bonum est (vt posterius demonstrabitur) quod, scrupulositate omissa, pleraque omnia referre, verum Iuriconsultum decet, vt de Seruio Sulpitio Cicero prodit. S. Ita res est. G. Ac vocatur quidem ars, quoniam suis regionibus ac finibus circumscripta, certis & nunquam fallentibus doctrinis ac præceptis, ex natura haustis ac delibatis, & in vnum exitum spectantibus, constat, quod artis est proprium. S. Iam altera definitio quænam est? G. Quam Iustinianus Imperator ab Vlpiano sumptâ ponit, cum ait: IURISPRVDENTIA est diuinarum & humanarum rerum notitia, iusti & iniusti scientia. vbi cum res diuinæ & humanæ, pro materia subiecta sint, iustum & iniustum pro forma habentur. Quia enim reipublicæ, quemadmodum hominis, duæ sunt partes, corpus & animus: res diuinæ & humanæ pro corpore; iustitia autem & ius pro animo sunt. S. Probè. G. Nec verò abs re est, quòd cum iusti & iniusti scientia dicatur, quod intelligentiæ est, quæ à capite rem accersens, per causas & earum continuationes eam cognoscit, principiis à Deo ipso, qui prima rerum omnium causa est, repetitis; rerum diuinarum & humanarum notitia tantum dicitur, quod opinionis, quæ circa inferiora & eorum simulachra & imagines dumtaxat versatur. Nam præterquam quòd formarum, quæ perpetuæ sunt, propriè scientia est; materiæ autem, quæ immutatur, non scientia, sed notitia: tum ratio quoque dicitur, eius quo disciplina ipsa continetur, cuiusmodi est forma, scientiam esse habendam; eorum autem circa quæ versatur, cuiusmodi est materia, notitiam sufficere, quatenus ad formam in ea discernendam ac diiudicandam sat est. Nam haud parum sæpe accidit, vt diuersi artifices circa vnam & eandem rem versentur, non simpliciter quidem & absolute, sed quatenus suo cuiusque instituto conuenit. Quo quidem modo de natura hominis & Hippocrates tractat vt medicus, & Plato vt philosophus, & de arboribus cædendis Varro vt rei rusticæ scriptor, & Vlpianus vt iuriconsultus. S. Optimè sanè. G. Atque ab istis quidem bis duobus, nempe quòd circa res diuinas & humanas, iustumq.

& iniustum hæc facultas versatur, & in scientia pariter & noticia consistit; nomen illi tributum est, Jurisprudencia. Nam iuris nomine, iusti & iniusti circa res diuinas & humanas, descriptio continetur: prudentiæ autem, quæ tanquam Ianus bifrons, nunc supra spectat, nunc infera, scientia pariter & noticia. Vnde fit vt & sapientia ciuili apud Pomponium vocetur, sic vt sapientiæ vocabulum pro prudentia, ciuili pro republica, iusta descriptione accipiat; & philosophia apud Vlpianum, quæ à iurisprudencia & sapientia ciuili, nõ nisi sono nominis differt. Nam cum philosophia secundum nominis sui rationem, tum quidæ amor boni sit, quod iuris & iustitiæ est, in rebus ciuilibus tractandis; tum autem scientia veri, quod sapientiæ ac prudentiæ: per se patet, eandem omnium horum nominum vim esse & effectum. S. Reuera dicis. G. Quæ quidem, quod tria sunt numero, & ex duobus vocabulis constant; cum eo congruit, quod hæc scientia in ter binis spectatur, nempe in scientia & noticia iusti & iniusti, rerum diuinarum & humanarum. S. Dehinc de tertia definitione Nomotheticæ exspecto vt dicas. G. Hæc autem ita se habet. Nomotheticæ ars est ac scientia ciuili ac regia, qua iustitia in hominem ac rempublicam per iura legesque inducitur. S. Cur artem vocas ciuilem ac regiam? G. Quoniam reipublicæ regendæ ac gubernandæ præest, vt supra demonstraui. S. Cur circa iustitiam eam dicis versari? G. Quia quemadmodum medicinæ proprium munus est, sanitatem in corpus, ita Nomotheticæ est, iustitiam in animum inducere: nam quod sanitas est corpori, hoc iustitiam in animo esse Socrates probat, & nos inferius latius explicabimus. Atque hunc quidem finem disciplinæ politicæ esse propositum, docet Sapiens, cum ait: Diligite iustitiam qui iudicatis terram. S. Cur circa hominem & rempublicam? G. Quia vt corpus medicinæ, ita homo quantum ad animum attinet, & reipublica Nomotheticæ subiecta est, ad iustitiam in ea inducendam, sic vt duo illa semper inter se coniungantur. Quod quidem ita fieri debere, ea re inter cætera Plato demonstrat, quod libros suos de optimo ciuitatis statu, tum quidem De republica inscribit, tum autem De iusto. & Poëta, plenam perfectamque Reipublicæ descriptionem duobus versibus comprehendens: *O Regina (inquit) nonam cui condere Iuppiter urbem, Iustitiæque dedit gentes frangere superbas.* Et Iuppiter ciuilem vitam in hominum cœtus inducturus, Pudorem & Iustitiam per Mercurium misisse, in Protagora scribitur. Nec alio quoque pertinet quod Christus ipse in Euangelio regnum Dei queri iubet & iustitiam eius, addens alio loco, deficiente iustitia in populo Israëlítico, fore vt & regnum Dei ab iis auferatur. Et quidem non solum hominem, sed & rempublicam huic disciplinæ subiectam esse dicimus; quia optandû quidem esset, virum politicû singulos homines obire, & iustos efficere posse, quod primarium est: sed quoniam id fieri nequit, proximum ei est, vt ciuitate constituta, eam generaliter & vniuersè quàm queat iustissime describar, licet singuli qui in ea degunt homines, alij boni, alij mali, alij perfecti, alij imperfecti sint; vt & de ecclesia sua Dominus ipse ait. S. Cur denique circa iura legesque? G. Quia quod in arte medica pharmaca sunt ad sanitatem in corpus inducendam, hoc in ista disciplina sunt iura & leges, per quas tanquam instrumenta media inter iustitiam & rempublicam interiecta, vnum cum alio coniungitur; & tum quidem actiones iustitiæ certis præceptionibus comprehenduntur; tum autem ipsi homines certa via ac ratione, ad eas suscipiendas præparantur; vnde fit vt leges in sacris literis iustificationes appellentur, quasi per quas homines iustitiæ participes efficiantur. S. Præclare narras. G. Et quidem cum præcipuum huius disciplinæ officium sit, leges ferre ac constituere ad iustitiam in hominem inducendam; fit vt & nomen inde acceperit. Nam Nomotheticæ haud aliud est, quàm si legum latricem siue conditricem artem dixeris. S. Verum. G. Sed hæc quidem de tribus Nomotheticæ definitionibus, quæ quàm aptæ & conuenientes inter se sint, per se, nisi fallor, patet, iam satis.

De diuisione Nomotheticæ.

TITVLVS VI.

S. **N**ITVR de diuisione Nomotheticæ quid deinceps habes dicere? G. Enimuerò quemadmodum in plerisque aliis disciplinis accidit, ita & hanc tum quidem Theoreticam esse aio, tum autem practicam. S. Quam vocas theoreticam? G. Quæ circa cognitionem eorum versatur, eaque ex naturæ obscuritate eruit, quæ ad iustitiam in rempublicam per leges inducendam pertinent. S. Practicam verò? G. Quæ re ipsa id præstat, iustitiam in rempublicam per leges inducens. Sed nobis primum dicendum est de theoreticis: nam haud sane ad agendum paratus esse quis potest, nisi prius ea quæ agenda sunt,

da sunt, cognorit. S. Ergo de theoretice quid ais? Anne & illa rursus suas habet species, in quas diuidatur? G. Habet verò, nam & simplex est, & coniuncta. S. Quæ est simplex? G. Quæ desupradictis, hoc est, iustitia in rempublicam per legem inducenda, simpliciter & absolute tractat, docens separate ac seorsim quid iustitia sit, quid respublica, quid lex. Nam haud sanè viam ac rationem cernere quis queat, qua iustitia in rempublicam per legem inducatur, nisi quid eorum quidque sit, sigillatim antè cognorit. S. Quæ coniuncta? G. Quæ quo pacto tria illa natura inter se affecta sint, & quònam modo iuncta se habeant, ostendit; absque quo certè nulla ratione fieri queat vt ad opus quis accedat. Nam quemadmodum in naturali parte medicinæ primùm elementa quæ vocantur, & eorum qualitates per se cognoscendæ sunt, quod simplicis partis est; tum autem eorum mixtura & temperamenta, quod coniuncta: ita & hîc vsu venit. S. Intelligo. G. Verùm cum simplex pars coniunctam naturâ præcedat, de ea prius nobis est explicandum. S. At quònam autem pacto? G. Quoniam circa iustitiam in rempublicam per legem inducendam, tota res, vt iam diu dicimus, versatur; primùm de republica dicam, vt materia subiecta ante omnia cognoscatur, & à principe Deo, à quo omnes res diuinæ & humanæ, quarum in definitione iurisprudentiæ primùm fit mentio, profluunt, exordium capiatur: deinde de iustitia, quæ & ipsa à Deo procedit, vt forma quæ in materiam inducenda est, cuius definitio iurisprudentiæ secundo loco meminit, intelligatur. tum autem de lege, quæ originem quoque suam à diuina mente ducens, tanquam pro instrumento est medio inter iustitiam & rempublicam interiecto, ad vnum cum alio coniungendum. S. Quid ergo? visne de singulis te interrogem? G. Sanè volo; sed ea qua dictum est legè: nempe vt summa rerum capita, tanquam fastigia quædam, pro ætatis & ingenij nostri mediocritate, dumtaxat attingamus: alia autem maiora, & à breuitate ista remota, maioribus illis libris relinquamus; vnde hauriri poterunt.

De Republica.

TITVLVS VII.

S PRIMVM de republica quidnam instituis tractare? G. Enimverò quoniam omnis ciuitas ex pluribus domibus siue familiis iungitur, omnis autem familia ex pluribus hominibus; res ipsa demonstrat, vt quid respublica sit, plenè perfecteque intelligas, ab hominis descriptione esse ordiendum. Et quidem quemadmodum qui ouibus aut capris præfuturus est, naturam earum cognitam & exploratam habere debet: ita & cum qui hominum pastor, vt Homerus ait, hoc est, rex ac princeps siue legislator futurus est, ingenium ac naturam eius nosse oportet. Et verò cum id non foris, sed intra se, cum ipse homo sit, querere debeat; primam sapientiam ciuilem Socrates in Alcibiade primò seipsum nosse, esse ait, quod & Delphico oraculo est proditum. Nam haud sanè familiam rectè quis regat, nisi qui primùm se sciat regere; nec porrò rempublicam, nisi qui familiam, vt apud Paulum Apostolum scribitur. S. Præclare narras. G. Quinimo quoniam homo ex mundo tractus ac delibatus est, vnde minor mundus dicitur, & mundus, quemadmodum ipse homo (vt Timæus ait) ad Dei ipsius imaginem ac similitudinem factus est; per se lucet ad se ac hominis naturam penitus cognoscendam, à Deo ipso (quemadmodum de Ioue Poëta canit) tanquam primo exemplari, agenda nobis esse primordia: nam haud sanè res humanas rectè quem intelligere posse, qui diuinas ignoret, iam inde ab Indica philosophia scis esse profectum, & ab Aristotele, secundùm Eusebium, memoriæ proditum. S. Verum. G. Cui & hoc accedit, quòd non solum prima hominis origo, eiusque idea siue species in vno Deo querenda est; sed & quòd ipsa cognitio, non nisi in eo solo, per eum & cum eo contingit, quòdque præter ea quæ de homine & republica dicemus, simul etiam quæ de iustitia & lege tradituri sumus, inde ortus sui principatum ducunt. S. Altrè verò, frater, & vt oportet, à capite repetis quod querimus. G. Non queat fieri aliter, si quidem veram viam insistere velimus: quare de Republica tractaturi, primùm de Deo dicemus, deinde de mundo, tum de homine, post de familia, & denique de ipsius reipublicæ descriptione. Quibus tradendis, si quidem attingere quædam videamur quæ in vulgus haud satis sunt cognita, & multò minùs à communibus Iurisconsultis tractata, meminisse oportet, non de communi, sed de ea hîc Iurisprudentia agi, quæ plena sit & perfecta, & à capite (circa quod omnis difficultas versatur) quoad eius fieri potest, rem accersit.

De Deo.

TITVLVS VIII.

S. **D**E Deo igitur primùm quidnā habes dicere? **G.** Eum ante omnia votis omnibus inuocans, vt in omni re, siue parua, siue magna, fieri debet, oro atque obsecro, vt quæ vera & recta illiq̄, grata sunt, tā de ipso quàm de aliis sentire, atque vti oportet efferre possimus. Primum enim parentē inuenire (inquit Timæus) difficile est; & cū iam inueneris, indicare in vulgus, nefas. Inhabitatenim Deus lucem inaccessibilem, & posuit tenebras latibulū suum: aded vt cū non solū supra sensum sit (Deum enim nemo vidit vnquam) sed & supra intelligentiam humanā, nihil de eo affirmari possit addendo, neque item negari demendo, quod non ille infinitis partibus superet; ita vt amputatis iis quæ sensuū sunt, quæ per atriū tabernaculi Mosaicæ significantur, quod omnibus patebat, & quæ rationis & intelligentiæ, quæ per ipsum tabernaculum, vbi soli sacerdotes versabantur, non aliud restet, quàm sanctum quoddam ac reuerendum religiosumque silentium, quod Sanctum sanctorum (quod vni summo Pontifici semel in anno patebat aditus) designat. **S.** Quid ergo, quoniam pacto potissimū de Deo differemus? **G.** Maiora & recondito quodam in sensu posita, maioribus illis commentariis relinquentes, primū de vestigiis dicamus, per quæ ad Deum ascenditur, deinde autem de Deo ipso, tum verò de iis quæ à Deo profluunt. **S.** Quæ autem sunt illa vestigia? **G.** Quæ cæli conuersione ob oculos semper versantur, dum dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam; vnum nempe & duo quæ tria efficiunt, vltra quæ nullus ampliū numerus progreditur, nisi quodd. quemadmodum monas principium, ita quaternarius omnium numerorum est complementum, dum vnum, duo, tria in se comprehendit, & ex omnibus trinum vnum efficit. Et quidem quod explicite (vt sic loquar) sunt decem, vltra quæ nullus ampliū est numerus, sed repetitio numeri dumtaxat, hoc implicite sunt quatuor. Nam vnum, duo, tria, quatuor, sunt decem, ac cū monadis sit substantiam rebus tribuere, per id quod est, binarij distinctionem, per vnum & alterum ternarij ordinem, per motum & quietem, à principio per medium ad finem: quaternarij est concentum iis tribuere secundū proportionem Arithmeticam, Geometricam, & Harmonicam, item Hypate, Meze, & Nete; nec non pondus numerum & mensuram, idque secundū harmoniam diatesseron, diapente & diapason, quæ omnia in quaternario insunt. **S.** Ab his autem ad Deum ipsum, quoniam pacto ascendis? **G.** Quod secundū quaternarij numeri rationem (vt & nomen eius Tetragrammaton indicat) ipsum solum plenum & perfectum, trinumque & vnum intelligimus. **S.** Quomodo plenum & perfectum? **G.** Quoniam ipse sibi sufficiens, in se cuncta continet ac coërcet. **S.** Trinum autem? **G.** Secundū personas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum; quæ quidem ita sunt distincte, vt neque Pater Filius sit, neque Filius Spiritus sanctus, neq. Spiritus sanctus Pater. **S.** Vnum verò? **G.** Secundū substantiam; nam licet tres quidem sint personæ, vnus tamen solus est Deus. Plura non addo, quoniam præterquam quodd. de Dei natura parcè loquendum est, hæc ad eam rem quam agimus sufficiunt, si quis modò animum diligenter aduertat. **S.** De iis quæ à Deo profluunt, quid dicis? **G.** Hæc tum quidem secundū numerum quaternarium, tum autem secundū denarium spectantur, partim coniuncte, partim separate. **S.** Quo pacto secundū quaternarium? **G.** Quod omnia principia quæ à Deo profluunt, sunt, id quod est, quantum ad res; verum, quantum ad dicta & bonum, quantum ad facta; quibus quartò accedens, vnum, reliqua omnia comprehendit, & in se includit. Et quidem quanquam omnia sunt omnium; proprie tamen id quod est, personæ Patris, per monadem tribuitur; verum, Filio per binarium; & bonum, Spiritui sancto per ternarium; quibus quod accedit vnum summum, triaque illa in se complectitur, ab vnitæ Dei proficiscitur. Hesiodus Ioui per quem Dei potentia significatur, tum quidem Metin vxorem tribuit, quæ Prudentia est, tum autem Themis, quæ Iustitia. **S.** Secundū denarium quoniam modo? **G.** Quod cuncta principia quæ à Deo procedunt, sunt, potentia siue memoria eius quod est, per firmum & stabile, scientia veri per perpetuum (nam eorum quæ fluunt, non scientia sed opinio est) & amor boni per pulchrum, siue voluntas bona circa pulchrum. Quibus nouem decimo loco accedens vnum, omnia comprehendit, & in vnum redigit. **S.** Probè me hercule narras. **G.** Atque hæc quidem, siue tria, quibus quaternarius præest, siue ter tria, quibus denarius, coniuncte sic spectantur, quod licet alia, atque alia inter se sint, semper tamen sint connexa, ita vt cū vnum ex iis substantiam alicuius rei efficit, vt sit, reliqua pro adminiculis

culis ei accedant, vt plenè perfectèque sit. S. Intellico. G. Separatè autem hoc modo, quòd licet semper sint reconiuncta, tamen sunt ratione diuersa. Nam neque id quod est, ratione ipsum verum est, neque ipsum verum ipsum bonum, & sic porro; sed alia distincta ac ratione diuersa ab aliis. S. Teneo. G. Et ideo in diuinis non solum affirmationes insunt eius quod est, veri, & boni; sed & negationes eius quod non est, non veri, non boni, & consequenter, non memoriæ, non scientiæ, non amoris; tum aliis quæ inde dependent. Quamquam id non humana ratione ex defectu, sed diuina & penitus abstrusa, ex summa abundantia & plenitudine proficiscitur: qua de re David, Quia tenebræ, inquit, non obscurabuntur à te, & nòx sicut dies illuminabitur; sicut tenebræ eius, ita & lumen eius. S. Optimè profectò. G. Sed hæc quidem de iis sufficiant, quæ licet perpauca, omnes tamen omnium rerum fontes continent, qui variis modis ad inferiora deducuntur: quos qui norit, omnia norit, qui verò minus, nihil. Nam prima philosophia, inquit Dionysius, & breuissima est, si prima capitâ spectes, primamque causam circa quam versatur, & amplissima latissimeque patens, si quæ inde profluunt.

De Mundo.


TITVLVS IX.

S A M de mûdo, de quo secûdo loco dicere proposuisti, quid ais? G. Eum vniuersitatè hanc rerû esse dico, quâ Deus, opifex & quasi parens omniû, æternû exemplar, hoc est, seipsum imitatus, secundû quaternarij numeri rationem fabricauit ac constituit. S. Ac quonam autè modo? G. Nam primû à monadè substantiâ mundus habet. S. Intellico. G. Deinde à binario distinctionè, sic vt ex nihilo à Deo factus, partim necessitatis, vt apud Platonè est, operibus, quæ à nihilo manarunt; partim pulchri, quæ à mentè, constet. Ac sunt quidè necessitatis opera, quæ dolori interitus resistunt, vt generatio pulchri, quæ voluptatè cõseruationis adferunt, vt lumen solis. S. Teneo. G. Tum à ternario ordinem, secundû tres totiûs mundi regiones. S. Quæ autem sunt illæ? G. Vna superior inaspectabilis, quam vtrinque lucidam Zoroastrei vocant, vbi beatarum mentium est sedes: altera inferior, quæ & ipsa inaspectabilis, densis offusa & occultata est tenebris, vbi umbrarum & imaginum est locus: & tertia media, quæ cælo ac terra aspectabili continetur, partim lucida, partim caliginosa, vbi homines & cæteræ animantes degunt. S. Probè. G. Et quidem quamquam omnia sunt omnium. suprema tamen regio Patri luminum præcipuè tribuitur, ob claritatem; media Filio, ob generationem; & infima Spiritui sancto, ob caliginem & umbram. Nam licet quidem post peccatum contractum pœnis exigendis fuerit destinata, per se tamen bonâ est: fecit enim Deus omnia bona. S. Rectè. G. Ac quemadmodum in diuinis hæc tria esse diximus, id quod est, verum, & bonum; ita & in mundo, si non ipsum id quod est, verum & bonum, res certè ab iis affectæ insunt, idque secundû tres harum regionum gradus. S. Quis est primus? G. Supremæ regionis, in qua res quæ sunt, vereque, & bonæ insunt, vt cælestes spiritus, eorumque dicta & facta. S. Quis secundus? G. Mediæ regionis, in qua simulachra rerum quæ sunt, verisimiliaque & vtilia insunt, vt animalia naturalia, eorumque dicta & facta. S. Quis tertius? G. Infimæ regionis, in qua imagines rerum quæ sunt, apparentiaque & conuenientia insunt, vt umbræ subterrestres eorumque dicta & facta. S. Intellico. G. Ac trahunt quidem hi gradus tres numero, per ter tria diffusi, originem ex eo quod in superiori regione plus est eius quod est, veri que, & boni; quàm contrà, vnde bonum, pulchrum, honestum procedit: in inferiori autem plus eius quod non est, non veri, & non boni, quàm contrà, vnde congruum, aptum, necessarium; & in mediâ quæ vtrorumque sunt partes, vnde conueniens, vtile, delectabile. Quæ quidem omnia licet naturâ conueniant, gradu tamen & qualitate differunt. S. Bene dicis. G. Quin vt à tribus ad ter tria, quæ nouem sunt, peruenimus; ita à ter tribus ad ter tria ter, quæ sunt viginti septem, potro ascendamus, qui, vt apud Platonem in Timæo est, animæ mundi plenus perfectusque est numerus. S. At quonam autem modo? G. Nam primû quod in diuinis potentia est, eius quod est, per constans; hoc in mundo superiori sunt, potentia siue memoria eius quod existit per firmum; in inferiori mors siue obliuio umbrarum quæ non existunt, per somnium & inane; & in medio natura corporis animati, per generationem & corruptionem, in tempore. Quæ quidem generatio, & corruptio inde oritur, quòd, dum inferiora, in quibus plus est eius quod non est, quàm eius quod est, vt diximus, ea quæ media sunt, semper ad se, hoc est, ad nihilum trahunt; superiora autem, in quibus plus est eius quod est, quàm eius quod non est, semper aliquid eorum quæ

quæ sunt, in media infundunt, in iis ipsis mediis, in quibus æquæ utrorumque sunt partes, ex infusione generatio, cum voluptate, ex detractio corruptio, cum dolore existit. S. Audio. G. Deinde, quod in diuinis est scientia veri per perpetuum, hoc in mundo superiori est cognitio rerum verarum, per res perpetuas; in medio opinio verisimilium, per res temporales; & in inferiori visum siue phantasia apparentium, per momentaneum. S. Teneo. G. Tum quod in diuinis est amor boni, per pulchrum, hoc in mundo superiori est voluntas, siue amor rerum bonarum, per res pulchras; in medio appetitio utilium, per delectabiles; & in inferiori desiderium convenientium, per placitas. S. Nunc à quaternario mundus quid habet? G. Concentum siue harmoniam. Idque siue tres regiones spectes, quibus quaternarius numerus præest, siue ter tres, quibus denarius, cui quaternarius vim inesse iam supra diximus; siue ter tres ter, quibus denarius pariter & quaternarius ambo duplicati, quibus omnis omnino concentus & harmonia mundi continetur. Quæ tum quidem Hypate, Meze, & Nete constat: tum autem proportionem, Arithmetica, Geometrica, & Harmonica: tum verò numero, pondere, & mensurâ, longa, lata, & profunda. Quæ omnia sub concentu diatessaron, diapente, diapasôn continentur, vt modò diximus.

De homine.

TITVLVS X.

S.  E homine quid dicis? G. Eum diuinum hoc animal esse aio, quod omnium perfectissimum & absolutissimum Dei & naturæ opus Zoroastrei vocant. Dauid paulo minus à Deo imminutum eum esse canit, & gloria honoreque coronatum, & constitutum super omnia opera manuum eius. Quippe cuius gratia reliqua animantia omnia generata, & in lucem edita susceptaque sunt; ipse autem Dei colendi causa, in hoc mundo tanquam templo constitutus. S. Quid? de eo autem quid tractas? G. Primum generaliter partes eius describam, deinde speciatim potentias, passiones, & habitus. S. Quas eius dicis esse partes? G. Enim verò ad hanc rem sciendum est, hominem tum quidem ad imaginem & similitudinem Dei esse factum, quod docet sacra scriptura cum dicit: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Tum autem ex mundo tractum ac delibatum, vnde & minor mundus dicitur, quod & ipsum sacris literis proditur, quæ dicunt: Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Tum verò ex Dei simul & mundi imagine, ac similitudine conflatum, quod pertinet quod dicit Moyses: Et creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam; ad imaginem Dei creauit illum. S. Quomodo autem ad Dei imaginem ac similitudinem factus est? G. Quatenus mente animoque & spiritu constat, quibus superior pars hominis continetur. Quæ quidem tametsi omnia sunt omnium; mens tamen imago Patris proprie dicitur, animus similitudo Filij, & spiritus imago pariter & similitudo Spiritus sancti. S. Quam autem vocas mentem? G. Nobilissimam illam ac diuinissimam partem hominis, quæ circa res diuinas contemplandas versatur, & partim memoria constat eius quod est, quæ Patrem refert; partim intelligentia veri, quæ Filium; & partim voluntate bona, siue amore boni, qui Spiritum sanctum. S. Quem animum? G. Secundam illam hominis partem, qua sapere proprie dicitur; & tum quidem ratione continetur, in qua Filij similitudo inest; tum autem animositate, in qua Patris, tum verò appetitione, in qua Spiritus sancti. Plato rationem aurigæ, animositatem albo equo, appetitionem nigro comparat. Aristoteles rationem pastoris, excandescentiam canis, & cupiditatem ouibus. S. Quem spiritum? G. Tertiam illam hominis partem diuinam, quæ res diuinas pariter & humanas amplectens, & in factis cernitur, quæ Spiritus sancti sunt; & in dictis, quæ Filij; & in cogitatis, quæ Patris. S. Optimè profectò. G. At, que has quidem tres superiores partes hominis (in quibus diuina trinitas ad eum quo dictum est modum relucet) tangit poëta cum ait: *Cui mentem animumque Delius inspirat vates, aperitque futura.* Spectaturque in iis tum quidem quaternarius numerus, qui tria in vnum iungit, & ex iis trinum vnum efficit; tum autem denarius, qui ter tria continet, & sub monade comprehenditur, vt de principiis diuinis modò diximus. S. Nunc quonam autem modo homo ex mundo tractus ac delibatus est? G. Quatenus animam habet, corpus, & vmbra. S. Quam vocas animam? G. Qua viuunt, spirant ac sentiunt, quæque ex suprema mundi regione tracta ac deducta, vitalis dicitur, animalis & sensitiua. S. Quid corpus? G. Quod ex media regione mundi desumptum, ossibus, intesti-

nis, &

nis, & carne (vti apud Homerum est) constat. Cuius principes partes sunt caput, vbi præter partes facultatis sensitivæ, etiam mentis & rationis cogitationisque est domicilium: cor, vbi vnà cum animali facultate, ira quoque siue animositas sedem habet: & hepâr, vbi cum facultate naturali, appetitio siue cupiditas residet. Secundariæ autem partes sunt externa instrumenta capitis, manusque & pedes. S. Quam vmbra? G. Quæ ex inferiore mundi parte hausta, tum quidem corpori inhæret, vt color; tum autem corpus sequitur, vt in solis & alio fit lumine; tum verò ab eo effluit, vt in aqua, aliisque leuibus corporibus videre licet. S. Scitè. G. Atque has quidem tres partes inferiores è mundo sumptas, describit quoque poëta his versibus: *Salve sancte parens, iterum saluete recepti Nequidquam cineres, animaq, vmbraq, paterna.* Manatque hinc quòd tria hominis dicuntur esse bona, animi, corporis, & externa: secundum quæ ipsi homines, & res humanæ, variis modis inter se differunt, vt pòst latius explicabitur. Ac cum hominis substantia in tribus superioribus partibus propriè consistat, quæ per quaternarium vel denarium iunctæ, & in vnum coactæ, propriam eius formam constituunt; his tribus partibus inferioribus ea continentur, sine quibus homo esse non potest, quæ & ipsæ per quaternarium vel denarium in vnum iunctæ (vti de mundo, vnde decerpræ sunt, ostendimus) materiam illius quodammodo efficiunt. S. Nunc quo pacto Dei pariter & mundi imaginem ac similitudinem homo referat, exponito. G. Duobus omnino modis. S. Cedo quibus? G. Primo quatenus ex suprascriptis bis tribus, hoc est, sex partibus homo conflatur (quem ob id sexto die conditum fuisse, sacræ literæ produnt) & septimum quid ex iis constituitur, in quo Deus acquieuit, vnde septenarius ex ternario & quaternario compositus, otij & quietis est numerus, de quo scribit Moses: Compleuit, inquit, Deus die septimo opus suum quod fecerat, & requieuit die septimo ab vniuerso opere quod pararat. Et benedixit diei septimo, & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo, quod creauit Deus vt faceret. S. Ita memini. G. Deinde quatenus homo, animo simul & corpore constans, non modò generaliter Dei est imago, vt antè traditum est, sed & specialiter ad ipsius Filij Dei, qui solus veram Dei Patris imaginem refert, similitudinem est fabricatus. Nam cum iam inde ab omni æternitate constitutum esset, vt Filius Dei homo fieret, ad Ideæ ipsius imaginem consequenter homo factus ac creatus est. S. Intellego. G. Atque hoc quidem demonstrat, quod in sacra scriptura primùm, vt antè tactum est, dicitur: Et creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam; quod generale est: deinde autem, Ad imaginem Dei creauit illum, quod speciale. S. Post partes hominis generaliter explicatas, deinceps ea reddito, quæ ad potentias, passiones, & habitus speciatim pertinent. G. Enimverò potentias eas propriè vocamus, quas in mente inesse diximus, memoriam, intelligentiam, & voluntatem; quibus animæ potentia, in quibus similitudo quædam horum trium inest, vt etiam in bestiis videmus, subseruiunt, suntque eorum contraria ex passionibus orta (vt mox dicetur) obliuio, ignorantia, & inuoluntarium. Et quidem vt quæ sponte scienterque & constante memoria malè fiunt, dolo fieri dicuntur: ita quæ inuoluntariè & per ignorantiam obliuionemque, casu fortuito, malè fieri dicimus. Inter quæ media interiecta, quæ neque omnino dolo sunt, neque casu fortuito, culpa dicuntur fieri, siue lata, quæ ad dolum proximè accedit; siue leuissima, quæ ad casum fortuitum, siue leui, quæ media. Non addo plurà de singulorum distinctione, quoniam summas rerum attingere nobis sat est, vnde reliqua haud difficile deducuntur. S. Igitur passiones quas vocas? G. Quæ in animo, cui corporis tres principes partes subseruiunt, potissimum insunt, & ex fontibus voluptatis ac doloris oriuntur. Ac sunt quidem voluptatis, spes, læticia, amor, in parte concupiscibili, cui in hepate locus est; doloris, metus, tristitia, odium, in parte irascibili, quam in corde esse diximus; & vtriusque, obliuio, ignorantia, & inuoluntarium, in parte rationali, cuius sedes in capite; cum aliis illis passionibus impeditus, his rebus quis labitur. Ac sunt quidem hæ passiones sua natura neque bonæ, neque malæ, sed mediæ; sic vt cum bonis bonæ, cum malis autem fiant malæ. vnde qui his rebus peccant, culpa peccare dicuntur, siue lata, siue leui, siue leuissima, prout quæque res est. S. Habitus denique? G. Qui in spiritu, hoc est, dictis, factis, & cogitatis, quibus vmbra rerum externarum, cuiusmodi sunt diuitiæ, honor, potentia, subseruiunt, circa virtutes ac vitia spectantur. Ac sunt quidem virtutes aliæ theologice, mentis, fides, spes, charitas: aliæ morales, animi, prudentia, fortitudo, temperantia: aliæ ciuiles, propriè spiritus, legumlatio, iudicium, iustitia minor: quæ cunctæ sua habent vitia contraria. Ac præst autem omnibus iustitia, tum quidem secundum numerum quaternarium, quatenus singulis generibus virtutum præsidet; tum autem secundum denarium, quatenus vniuersis, vt mox latius explicabitur. Hic enim satis est intel-

ligere,

ligere, quænam sint hominis potentia in mente, quæ per passiones animi generant virtutes & vitia, & eorum habitus in spiritu, adminiculantibus ac subservientibus potentiis animæ, partibus corporis, & rerum externarum vmbis, vt dictum est.

De familia.

TITVLVS XI.

S. **D**E HINC de familia, & partibus eius, aucto cognoscere. **G.** Hæc maris & feminæ coniunctione constat, quæ communis opis, & prolis procreandæ causâ, à Deo constituta est. **S.** Cur dicis, maris & feminæ coniunctione constare? **G.** Quia hæc est prima illa sanctaque societas, quam Deus inter homines constituit, vnde mare & feminam illos creasse in sacris literis scribitur, his verbis: Et creavit Deus hominem, ad imaginem & similitudinem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum & feminam creavit illos. **S.** Cur addis, communis opis causâ? **G.** Quia hæc vna causa est, diuina, matrimonij constituti, scilicet, vt vir & vxor, communis auxiliij gratia, mutuas inter se operas tradant. quod ostendit Dominus apud Moysen cum ait: Non est bonum, hominem esse solum; faciamus eius adiutorium simile sibi. **S.** Quamobrem adiicis, prolis procreandæ? **G.** Quoniam hæc altera constituti matrimonij causa est, humana, quam tradit sacra scriptura cum dicit: Masculum & feminam creavit eos: benedixitque illis Deus, & ait: Crescite & multiplicamini. **S.** Quid partes autem familiæ quænam sunt? **G.** Eædem quæ hominis, interna, externa, & media. **S.** Quam vocas internam? **G.** Homines ipsos, qui sunt, maritus, vxor & liberi, in quibus maritus imperat, parent autem liberi; partim autem paret, partim imperat vxor. De qua loquens sacra scriptura, Immisit, inquit, Dominus Deus soporem in Adam: cumque obdormiisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea: & ædificauit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam, in mulierem; & adduxit eam ad Adam; dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. **S.** Quam externam? **G.** Res ad vitam necessarias; quæ aut immobiles sunt, vt solum ipsum; aut mobiles, vt fructus terræ; aut se mouentes, vt animantia. Quæ quidem omnia Deum homini subiecisse produunt sacrae literæ his verbis: Faciamus hominem, ad imaginem & similitudinem nostram, vt præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis vniuersis terræ, omni que reptili quod mouetur in terra. item: Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subiicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus quæ mouentur super terram. Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omni que volucris cæli, & vniuersis quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum. Et factum est ita. **S.** Quam mediam? **G.** Locum ipsum, siue domum in qua degitur, cum sua suppellectili, & ministris ad vitam commodè degendam necessariis. Ac fuit quidem primus hic locus paradisi voluptatis, in quo Deus hominem posuerat, vt operaretur, & custodiret illum. Sed post, contracto peccato, tentoria (quorum auctor Iabel fuit) & alia domicilia habitationesque fieri cœperunt. **S.** Rectè. **G.** Et verò cum in singulis istis ternarius numerus extet, quem quaternarius in vnum iungit, in vniuersis nouenarius inest, quem denarius complectitur. Ad eò nec hinc quidem ipsius diuinæ trinitatis, vnitatisque, & principiorum inde manantium vestigia deficiunt.

De descriptione reipublicæ.


TITVLVS XII.

S. **R**ESTAT de reipublicæ descriptione, & eius partibus, vt exponas. **G.** Sic est. Ac est quidem reipublica ordinata hominum multitudo, iisdem imperiis superioribus parentium, & rebus inferioribus communiter vten-tium. **S.** Cur hominum multitudinem esse ais? **G.** Quoniam reipublica non vno homine, aut duobus, sed plurium (quatenus ad communem vitam tuendam sat est) consociatione constat, in quorum communitate corpus ipsum ciuitatis consistit. Ac dico autem, ordinatam debere esse multitudinem, vt intelligatur, non temere & fortuito (veluti cum plures aues concolores vnà volant) sed certa ratione atque ordine reipublicam constitui. **S.** Cur addis, iisdem imperiis parentium? **G.** Vt ostendat

ostendam corporis huius certum debere esse caput, & quidem diuinum; quoniam homo natura sua, non sui generis animantibus parer (nam non oues ab ouibus; sed à præstantiori natura, homine nempe, reguntur) sed vni principi Deo, cuius vicarij, & quasi viua imago sunt, qui regnum inter homines obtinent. S. Cur rebus iisdem inferioribus vtentium? G. Vt intelligatur quemadmodum corpus hoc ciuitatis vni capiti parer, ita & iisdem pedibus vti debere, quod fit, rebus communibus communiter vtendo: vnde & reipublicæ nomen est deductum. S. Probè. G. Adèd vt quemadmodum de Deo, mundo, homine, & familia hæcenus dictum est; ita & in republica tria reperiuntur: id quod præest caput, Deus: id quod subest pes, mundus: & quod partim præest, partim subest, corpus ipsum ciuitatis, hominumque inter ipsos societas. S. Optime. G. Quam quidem societatem Deus instituit, & in natura ipsa collocauit, cum hominem animal faceret congregabile, dicens: Crescite, & multiplicamini, & replete terram. Nam si quo statu primum homo steterat, perstitisset, non paruas istas quidem quibus nunc vtimus, incoluissemus respublicas, sed vnam solam magnam, sic vt totus orbis terrarum, totumque in eo hominum genus, pro vno, sub principe Deo, & administro mundo, fuisset corpore ciuitatis: sed orto post inter mortales peccato, & prima illa societate disrupta, moliri coeperunt minores istas quas nunc incolimus respublicas, vt post latius explicabitur. S. Iam partes autem reipublicæ quænam sunt? G. Primum illæ ipsæ quas diximus, nempe Deus supra; res ad vitam necessariæ infra; & ipsa ciuitas media inter vtrumque interiecta, quæ homini omnino simillima est. S. Quid ita verò? G. Nam & corpore constat & animo. S. Quomodo autem corpore? G. Domibus nempe ad habitandum, muris ad defendendum, & agro variisque locis publicis ad se alendum ac nutriendum. S. Animo verò? G. Hominibus scilicet, qui alij pro ratione sunt in capite, alij pro animositate in corde, alij pro cupiditate in hepate. S. Quinam autem primi sunt generis? G. Qui reipublicæ regendæ gubernandæque præstant; qui tum quidem auctoritate præstant, vt Reges, quod potentia est; tum autem scientia, vt Prophetæ, quod intelligentia; tum verò sanctitate, vt Sacerdotes, quod bonitatis. vnde fit, vt nisi in vnum omnia tria concurrant, quem Trismegistum ob id Ægyptij vocabant; in aliis, vbi separatim possidentur, Imperium, pro ratione eorum qui primas obtinent, vel propheticum sit, vt sub Moysæ apud Iudæos; vel regium, vt sub Dauide; vel sacerdotale, vt sub Pontificibus. idque siue vnus præsit, quod Monarchia est; siue plures, quod Aristocrazia; siue omnes, quod Democratia. S. Qui secundi? G. Qui ad pacem in ciuitate conseruandam, hostemque repellendum, & libertatem custodiendam pertinent, vt magistratus varij generis, iudices, & milites. S. Qui tertij? G. Qui vitæ necessaria ciuitati suggerunt, vt agricolæ, opifices, & mercatores. Inter quos omnes hoc interest, quod qui primi sunt ordinis, imperant; qui vltimi, parent; qui medij, partim parent, partim imperant. S. Verum. G. Atque ad hanc quidem descriptionem redeunt omnes quotquot toto orbe sunt respublicæ, in quibus non minus quam in supradictis, omnia tum quidem ternario numero sub quaternario; tum autem nouenario sub denario continentur. Qua quidem ratione factum est, quod Minoem artem regiam per annos nouem ab Ioue ipso didicisse Homerus, vt antè tantum est, fabulatur.

De Iustitia.


TITVLVS XIII.

S.  VONIAM de republica, & quæ ad eam pertinent, satis, vt videmur, diximus; quid placetne vt ad Iustitiam, quæ secundum huius institutionis caput continet, transeamus? G. Placet verò. Et quidem hæc est præclarissima illa, & nobilissima virtus, quæ omnium virtutum regina ac domina, non Hespero modò ac Lucifero, vt bene Aristoteles ait, sed & Sole ipso est illustrior, vnde Sol iustitiæ apud Zachariam dicitur. Et Dominus ipse in Euangelio, Tunc iusti, inquit, fulgebunt sicut sol in regno Patris sui. S. De hac autem quid tractas? G. Enimvero quia princeps pars huius facultatis est, iustum ab iniusto discernere, vt antè dictum est: omnibus modis huc danda est opera, vt iustitiam ipsam cognoscamus. Nam quemadmodum ad res mellitas diiudicandas, primum mel ipsum nosse necesse est; ita ad res iustas & iniustas discernendas, ipsam iustitiam & iniustitiam plenè perfectèque cognitam habere oportet, absque quo non certa ratione ac scientia, sed opinione vaga & incerta homines feruntur: quos ob id Plato fortunam inuocare iubet, cum scientiam & artem non habeant. S. Reuera disis. G. Atque vt ordine ac via procedamus, nec quicquam

quam, quoad eius fieri queat, omittamus, primum de iustitia ipsa dicemus; deinde de contrario eius, iniustitia; tum de eo quod medium inter utrumque est interiectum. S. Præclarum sane ordinem instituis. G. Ac de iustitia ipsa, primum quænam eius definitio sit, trademus; tum quomodo diuidatur; post quæ vis eius sit & effectus, quod cum faciemus, à Deo ipso, & principiis ab eo manantibus omnia ducemus, idque per numerum quaternarium, qui (ut apud Philonem est) iustitiæ propriè est numerus.

De definitione Iustitiæ

TITVLVS XIII

S.  RGO de definitione iustitiæ quid vis dicere? G. Eam primum à nominis ratione repetam secundum monadem, deinde à substantia vniuersali secundum binarium numerum; tum à genere secundum ternarium, & denique à differentia secundum quaternarium. S. Quid? de nominis autem ratione quid ais? G. Aio Iustitiam apud Latinos inde dici, quod Ius sistat ac statuat: nam quod iustitia iubet, ius est, ad quod executioni mandandum seruit vis iudicialis, iisdem quibus ius literis transpositis constans, vnde pax & concordia existit, ut mox latius explicabitur. S. Intelligo. G. Atque huc quidem pertinet, quod veteres Themin, quæ iustitia ipsa est, termini figura pingebant, ad suum cuique Ius terminandum, sistendum, ac statuendum: cui tres filias Hesiodus tribuit: Eunomien, quæ ius lege descriptum significat; Dicen, quæ iudicium, & Irenen, quæ pacem. S. Probè. G. Atque ab hoc nomine iustitiæ, tum quidem personæ & res iustæ dicuntur, tum autem iuste aliquid fieri vel non fieri; tum verò iustum ipsum, quod cum iustitia ferè est idem, ut ostendit tractatus Platonis qui de republica siue de iusto inscribitur. S. Rectè. G. Inueniasque in sacris literis, vbi iustitiæ vocabulum pro rectè factis accipitur: ut, Videte ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab iis. Iustus Dominus, & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius. & à iustitia iustificatio deducitur: ut, Incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini: & iustificare, ut, Ille autem volens iustificare seipsum. S. Nunc substantiam autem vniuersalem iustitiæ in quo ponis? G. Sanè cum supra demonstratum sit, quæcumque in rerum natura exstant, ab vno de supradictis principiis, potentia nempe eius quod est, scientia veri, & voluntate bona, siue appetitione boni, substantiam accipere: substantiam iustitiæ est, hæc ipsa voluntas bona, siue appetitio boni. S. Quomodo voluntas bona? G. Nempe ut voluntas pro eo sit quod subest, bona autem pro eo quod inest: quæ duo simul sumpta, vnam plenæ perfectæque iustitiæ substantiam constituunt. vnde Dauid, Quoniam tu benedices iusto, inquit, Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronabis nos. S. Quomodo appetitioni boni? G. Nimirum ut appetitio pro forma sit; bonum autem quod appetitur, pro materia: ex quibus & ipsis duobus perfecta, & omnibus numeris absoluta iustitia constat: de qua Dominus in Euangelio loquens, Beati, inquit, qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. nam quod corpori desiderium cibi est ad viuendum, hoc animo est appetitio boni, ad iuste agendum. S. Probè. G. Atque ab ista quidem iusti & boni connexionem, fit ut & vocabula vtraque sæpe coniungantur, & iisdem tribuantur: veluti quod Dominus dicit in Euangelio; Estote perfecti sicut pater vester cælestis, qui oriri facit solem super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Nec aliud pertinet quod Iosephus ab Arimathia vir bonus dicitur, & iustus. S. Sic est. G. Et quidem cum bonæ voluntatis sit, non solum bonum appetere, quod iustitiæ est; sed & malum fugere, quod iniustitiæ: fit ut & hæc duo in sacris scripturis sæpe coniungantur. ut, Iudica me Domine secundum iustitiam meam, & secundum innocentiam meam super me. Captabunt in animam iusti, & sanguinem innocentem condemnabunt. Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam. cum similibus. S. Cum vniuersalis descriptio substantiæ iustitiæ hoc modo se habeat, nunc quo pacto secundum genus suum describatur, exponito. G. Id verò prior pars definitionis demonstrat, quæ iustitiam, constantem & perpetuam voluntatem esse tradit. S. Quid ita verò? G. Nam cum substantia iustitiæ in voluntate consistat ut sit, pro adminiculis illi accedunt, potentia eius quod est, quæ per verbum constans significatur; & scientia veri, quæ per perpetuum, ut plenè perfecteque sit. S. Rectè. G. Quæ quidem res inde dependet, quod supra demonstratum est, tria summa principia esse, ex quibus omnia constant; potentiam eius quod est, scientiam veri, & voluntatem siue amorem boni: & quoties vnum ex illis substantiam alicuius rei constituit, ad inchoandum; mox alia pro adminiculis illi accedere, ad perficiendum. S. Ita memini.

G. Et

G. Et ideo quòd iustitia constans ac perpetua voluntas dicitur, perinde est atque si voluntatem eam esse dicas, quod vnus principij est; cum scientia & potentia coniunctam, quod duorum reliquorum: nam parum est velle aliquid, nisi idem & scias & possis. S. Sic est. G. Nec verò habitum esse aio voluntatis, sed ipsam voluntatem: quoniam de habitu tunc tractatur, cum de hominis virtute quæritur, non autem cum de virtute ipsa per se, eiusque propria forma siue idea, qua de hinc agitur. S. Probè narras. G. Et quidem scientiam veri, siue prudentiam cum iustitia debere esse coniunctam, docet illud Euangelij de Ioanne baptista: Vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum. nec non illud Dauidis: Veritas de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit. S. Verum. G. Et de potentia canit idem Dauid dicens: Introibo in potentias Domini, memorabor iustitiæ tuæ solius. Potentiam tuam, & iustitiam tuam Deus, vsque in altissima quæ fecisti magnalia. S. Scitè. G. Qui quidem vtrumque, nempe prudentiam & potentiam, vnà cum iustitia complectitur, cum ait: Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. Nam iudicium à vi & potentia manare, antè tactum est, & post dicitur latius. S. Restat de differentia iustitiæ vt dicas. G. Hanc demonstrat altera pars definitionis, quæ tradit iustitiam voluntatem esse, ius suum cuique tribuendi, quod non aliud est, quàm si bonam dixeris. circa quam rem tria sunt spectanda. S. Quod est primum? G. Vt intelligas cum iustitia sit voluntas, cum scientia veri, & potentia eius quod est coniuncta, quæ sunt tria summa principia, vt supra est demonstratum; quarto loco, illis accedere vnum, quod tria illa comprehendens, & in vnum redigens, vitam siue motum, & concentum illis tribuit, sic vt ipsum solum cum omnibus iis comparetur. S. Quid ita verò? G. Quoniam summum bonum vniuersale, quod est vnum istud, per omnia manans, ac pertinens, & vnicuique se præbens, tum quidem bonam voluntatem specialem sub se comprehendit, per quam ad tribuendum impellit; tum autem scientiam veri, per quam ius quod tribuendum est, constituit; tum verò potentiam eius quod est, per quam proprium eius cui tribuitur, efficit. S. Optimè. G. Et verò quod in cithara plectrum est, quod solum cum reliquis comparatum, sonum illis tribuit; hoc in iustitia summum est bonum, quod vnum cum aliis omnibus collatum, vitam & motum iis præbet: nam neque voluntas specialis vult, neque scientia veri sapit, neque potentia eius quod est, valet, nisi à summo bono commoueatur. S. Probè. G. Atque vt è fidibus plectro motis concentus existit musicus, ita ex tribus supradictis, voluntate, scientia, & potentia, per summum bonum concitatis, quædam quasi trium chordarum, Hypates, Meses, & Netes suavissima Harmonia quarto loco exoritur, quæ diapason, hoc est per octo, cum diatesseron medio interiecto, à Platone vocatur. S. Perpulchrè profectò. G. Atque hinc quidem apparet, quo pacto quaternarius numerus, in quo denarius inest, iustitiæ est numerus; nec non octonarius, quem quaternarius cum ternario in vnum iuncto parit; & duodenarius, qui ex octonario & quaternario existit. S. Quomodo quaternarius? G. Quatenus ipsam trium quasi chordarum, vt Socrates apud Platonem eleganter disputat, concentum & harmoniam (quod quartum est) esse videmus; vnde fit quòd noua ciuitas iustitiæ quadrata in Apocalypsi describitur, & beatitudines è iustitia existentes, quatuor apud Lucam describuntur. Cui accedit quòd Aristoteles virum bonum & iustum, quadratum apud veteres appellatum scribit. S. Octonarius autem? G. Quatenus in hoc concentu inest harmonia diapason, secundum proportionem duplam, quæ est superioris & inferioris, imperantisque & parentis inter se conuenientia. Atque hinc quidem octo proficiuntur apud Matthæum beatitudines, vbi iustitia quarto loco ponitur, & Psalmus centesimus decimus octauus, qui iustitiæ Psalmus est, per octonarios distinguitur. S. Duodenarius verò? G. Quatenus in hoc ipso concentu harmonia diatessaron, media inter diapason reperitur, sic vt ex quaternario & octonario duodenarius constituatur, qua re superiorum, inferiorum, & mediorum consensio significatur. Atque huc quidem pertinet, quòd tum quidem verus respublica Mosaica, duodecim tribubus; tum autem noua Christiana, duodecim Apostolis; tum verò futura ciuitas iustitiæ, duodecim portis, duodecim fundamentis, & duodecies duodecim stadiis describitur. vbi centum quadraginta quatuor, hoc est, duodecies duodecim milia hominum, ex supradictis tribubus in fronte signatorum degunt. S. Iam secundum quod hinc spectatur quidnam est? G. Nempe supradicta verba, Ius suum cuique tribuendi, non solum tribus supradictis quarto loco accedere, sed & ipsa per se quatuor esse numero, haud aliter atque si dicas: Quoniam iustitiam voluntatem esse ais; cedo qualisnam tandem est voluntas? Et respondeatur, Tribuendi. Quid? Ius. Quale? Suum. Cui? Vnicuique. Quæ quidem quatuor, quibus nihil est in tota natura præstantius, ex intima substantia sunt ipsius summi boni, eiusque vim

omnem, ac naturam continent. S. Quid ita verò dic amabo? G. Quoniam in primis, quantum ad tribuendum attinet, cum boni proprium sit agere, actionis autem dare facere, non autem accipere & pati; unde Paulus Apostolus beatius esse ait dare quàm accipere: sequitur, proprium munus summi boni esse tribuere, quod per bonam voluntatem specialem, quæ principium omnis actionis ac motus est, efficitur. Ac comprehendimus quidem generali vocabulo tribuendi, tum quidem dare facere, siue gratis, quod liberalitatis est; siue mercenariò, quod æqualitatis, tum verò imperare, & parere; ex quibus illud Dei est, & vicariorum ipsius; hoc autem hominis verè diuini, cuius iustitia in hoc verè consistit, vt voluntatem suam in voluntate Dei collocans, mandatis illius obtemperet. Quod cum facit, magnum illud sacrificium offerre dicitur, quod iustitiæ in Psalmis vocatur, cum non oues aut boues, sed seipsum, & quidem optimam sui partem, voluntatem, Deo consecrat. S. Audio. G. Ac dicitur quidem tribuere ius, quoniam cum boni sit dare quod habet optimum, ei que cui datur est conuenientissimum, & eiusmodi sit ius quod à substantia boni profectum, accipientem boni quoque participem efficit: sequitur, summi boni proprium esse, id ipsum ius tribuere. Quod quidem per scientiam veri, quæ lex est æterna, unde ius omne profluit, præstat; nam ius est quod à iustitia per rectæ rationis legem deriuatur. S. Intellego. G. Additur autem, suum: nam cum boni sit non solum tribuere, & quidem ius in genere, sed eiusmodi, quod ei cui tribuitur, secundum suam naturam maximè conueniat; consequens est, ad summi boni officium pertinere, suum cuique ius, quod ei maximè congruit, vere que debetur, tribuere; proprium que illius efficere, quod per potentiam eius quod est efficit. S. Teneo. G. Adicitur ad extremum, unicuique: quia cum summi boni natura sit eiusmodi, vt non quidem vni bonum sit, alij malum, illis amicum, illis inimicum, sed omnibus omnino idem; sequitur, vim eius & effectum per cuncta patere, sic vt unicuique, nemine excluso, se præbeat, & per omnia pertineat. unde & nomen iustitiæ apud Græcos deductum esse, in Cratilo traditur, quasi quæ secundum summi boni naturam per cuncta quæ sunt, supera, infera, mediocima transeat, & vim suam extendat, ad eò vt ne Satanæ quidem regnum, sine specie aliqua iustitiæ consistere possit. Ac dicitur quidem ius suum unicuique tribuere, nempe tam singulis quàm vniuersis, ne quicquam omittatur; & tam sibi quàm aliis; quoniam iustitia, & suum, & alienum est bonum, vt quod sui muneris est, quisque faciat, & ab alienis absteineat, nec non Deo creatori, & creaturis, ex quibus illud sanctitatis est, hoc iustitiæ, nomine speciali. unde in Euangelio & Psalmis: In sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris. Sciens Ioannem virum iustum esse, & sanctum. Sacerdotes tui induantur iustitia, & sancti tui exultent. Iustus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. S. Dehinc quod tertio loco spectandum hic dixisti, quid est? G. Vt sciamus quonam modo secundum quaternarij numeri rationem ius suum cuique à iustitia tribuatur. S. Id ergo quonam pacto fit? G. Primum iis quæ non sunt, essentiam dando, quod monadis est; deinde confusa distinguendo, quod binarij numeri; tum inordinata in ordinem redigendo, quod ternarij; & denique diffusa ac dissidentia in vnum cogendo, & inter se consona reddendo, quod quaternarij. S. Rectè. G. Idque tum quidem secundum proportionem duplam, tum autem sesquialteram, tum verò sesquiterciam, tum denique quadruplam; quæ omnes in quaternario insunt, & tum quidem Hypaten, Meseu, & Neten, tum autem proportionem Arithmeticam, Geometricam, & Harmonicam, tum verò pondus, numerum, & mensuram, vt antè dictum est, in se continent. S. Optimè. G. Atque hoc quidem modo breuiter (nam omnia persequi longum esset) descripta nobis sit princeps virtus Iustitia, quam vt personam exprimit David, cum ait: Iustitia & pax osculatæ sunt. Veritas de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit. Iustitia ante eum ambulabit, & ponet in via gressus suos. S. Verum. G. Sed & pro cibo & potu accipit eam Dominus in Euangelio, cum ait: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. S. Sic est. G. Nec non pro veste David, cum dicit: Sacerdotes tui induantur iustitia, & sancti tui exultent. S. Ita res habet. G. Quin & pro templo Dei accipitur, in quod per certas portas intratur, cum dicitur: Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas confitebor Domino. In quo quidem templo tum quidem sedes Dei est, cuius fulcra & sustentacula sunt iustitia & iudicium, vt ostendit Psalmus, dicens: Iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ. Iustitia & iudicium correctio sedis eius. S. Reuera dicis. G. Tum autem sacrificium offertur, quod iustitiæ vocari supra diximus. vt, Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino. Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ. S. Præclare. G. Atque hæc quidem cum circa hominem infra, & Deum supra ita se habeant; circa mundum quoque, qui medius est inter vtrumque, primum quantum ad

tum ad terram attinet, Iustitia tua, inquit Dauid, sicut montes Dei, iudicia tua abyssus multa. Deinde quantum ad cælum: Educet sicut lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem. Tum quantum ad commutationem inter utrumque: Deduxit me super semitas iustitiæ, propter nomen suum. & Ioannes in via iustitiæ venisse dicitur. S. Perbellè. G. Adeò vt nihil omnino in tota rerum sit natura, ex quo non aliqua iustitiæ descriptiones in Euangelio & Psalmis sint desumptæ, quæ tum quidem ternario numero sub quaternario, tum autem nouenario sub denario continentur.

De diuisione iustitiæ.

TITVLVS XV.

S. **I**OSTR hæc, deinceps de diuisione iustitiæ sequitur vt exponas. G. Sic est. & quidem vt de definitione dictum est, ita & hæc à quaternario, ternarioque numero deducitur. S. Quomodo à quaternario? G. Quia quatuor omnino modis iustitia diuiditur, in species, partes, gradus, & formas. S. A ternario verò? G. Quia singula in ternario rursus deducuntur, sic vt duodenario numero, quem plenissimum iustitiæ numerum esse diximus, omnia continentur. S. Igitur diuisione iustitiæ in species quænam est? G. Quòd iustitia vel vniuersalis est, vel generalis, vel specialis. S. Quæ est vniuersalis? G. Quæ, vt optima maxima, omnem omnino virtutem (iuxta verus Orphei dictum, ab Aristotele quoque traditum) in se complectitur: vnde iustitia tanquam veste, quæ totum corpus tegit, sacerdotes indui, in Psalmis, vt iam traditum est, dicuntur. & quod corpori est sanitas, hoc animo est iustitia, cuius tanquam principis virtutis ac reginæ, reliquæ omnes pedissequæ sunt, & quasi partes, vt mox explicabitur. S. Quæ est iustitia generalis? G. Quæ non tota est virtus, sed pars eius altera, prudentiæ ex aduerso posita. Nam cum prudentiæ nomine, omnis ratiocinatricis animi partis virtus contineatur, ad intelligendum: iustitiæ nomine, omnis quæ in appetitrice parte est comprehenditur, ad agendum. Atque huc pertinet quod in Anterastis Socrates probat, omnem philosophiam secundum nominis sui rationem, tum quidem amore boni constare, quod iustitiæ est; tum autem scientia veri, quod prudentiæ. Nec aliud vult, quod de prudentia iustorum in Euangelio dicitur; nec non quòd multi prophetae & iusti cupierant videre diem Domini; & qui recipit iustum in nomine iusti, quòd mercedem iusti accipiet; & qui recipit prophetam in nomine prophetae, quòd mercedem prophetae, hoc est, sapientis. spectatque eodem, quòd omnes viæ Domini veritas dicuntur, quæ prudentiæ est; & misericordia, quæ iustitiæ, vt post docebitur. S. Teneo. G. Cæterum utriusque autem generi præsidet iustitia vniuersalis, quæ quo pacto & quatenus vnoquoque eorum vtendum sit, præscribit. Vnde in Ecclesiaste dicitur: Noli esse iustus multum, neque plus sapere quàm necesse est. S. Dehinc specialem iustitiam quam vocas? G. Quæ neque tota virtus est, neque pars eius altera, sed quarta dumtaxat. S. Quid ita verò? G. Nam cum in animo malè affecto hæc insint, imprudentia, quantum ad ratiocinatricem animi partem attinet; dolor animi inordinatus, quantum ad irascibilem; voluptas corporis vitiosa, quantum ad concupiscibilem; & effrenata cupiditas rerum externarum, quantum ad totum animum, cui avaritiæ nomen est: quæ his opponuntur virtutes sunt, Prudentia, quæ sapit; fortitudo, quæ dolores animi viriliter sustinet; temperantia, quæ à nimis voluptatibus corporis abstinere; & iustitia specialis, quæ cupiditati pecuniarum, aliarumque rerum externarum modum ponit, contra quam peccant, qui raptores & iniusti in Euangelio dicuntur. Ac dicit quidem Plato eam nasci ex prudentia, ad cupiditatem bene dirigendam; & temperantia ad eandem moderandam, accedente fortitudine ad resistendum iis, quæ aliò quàm oportet, cupiditatem torquere & flectere student: sic vt harum quatuor virtutum princeps sit prudentia, septimum fortitudo; inter quas mediæ versantur, temperantia mater, & iustitiæ filia. S. Quid, hanc specialem iustitiam ànne rursus partiris? G. Maximè, nempe in commutatiuam iustitiam, & distributiua, & mixtam. S. Quæ est commutatiua? G. Quæ secundum proportionem arithmetica, æqualia dans æqualibus, ius suum cuique tribuit. Ac vocatur quidem commutatiua, propterea quòd in contractibus & commerciis maximè locum habet: nam eodem pretio & diuiti & pauperi, & nobili & ignobili eadem res venditur; quoniam non personarum, sed rei ipsius ratio habetur. S. Quæ distributiua? G. Quæ secundum proportionem geometricam, quæ inæqualia dat inæqualibus, ius suum cuique tribuit. Nominatur autem distributiua, ob id quòd circa præmia & pœnas secundum personarum qualitatem ac differentiam distribuendas, ferè versatur: nam sæpe pro eodem facto, aliter

seruus, aliter homo liber, aliter priuatus, aliter magistratus, poena vel præmio afficitur. S. Quæ mixta? G. Quæ secundum proportionem harmonicam, ius suum cuique tribuit. Ac est proportio harmonica, quæ in æquabilitate consistens, æqualia æqualibus, inæqualia inæqualibus tribuit: vnde dicitur in Euangelio, Qua quisque mensura mensus fuerit, eadem remetietur illi. S. Probè. G. Atque has quidem tres species quarto loco comprehendens iustitia vniuersalis, ita in loco iis vitur, vti quaque in re maximè videt conuenire. S. Deinceps, partes autem iustitiæ quænam sunt? G. Tum quidem Heterogenæ, quæ propriè partes sunt, tum autem Homogenæ. S. Quæ sunt Heterogenæ? G. Quæ suam quæque propriam speciem virtutis constituunt, tum quidem tres numero sub quaternario, tum autem nouem sub denario. S. Tres autem numero quænam sunt? G. Primùm prudentia, quæ à scientia proficiscitur, & in perspicentia veri, solertiaque consistit: vnde prudentia iustorum in Euangelio dicitur, vt modò tactum est. Deinde fortitudo, quæ à potentia eius quod est originem habens, in animi excelsi atque inuidi magnitudine ac robore spectatur: vnde in Psalmis, Deus iudex iustus, fortis, & patiens vocatur. Tum temperantia quæ à bona voluntate speciali orta, in moderatione, pudore, modestia, mansuetudine, humilitate consistit. de qua Dauid, Propter veritatem, inquit, & mansuetudinem, & iustitiam, deducet te mirabiliter dextera tua. S. Rectè. G. Atque his quidem tribus quarto loco accedens iustitia vniuersalis (quæ propriè ac verè iustitia est) omnes vnà complectitur, & in vnum concentum redigit, vitam ac motum illis præbens. S. Quid ita verò? G. Nam neque prudentia sapit, neque fortitudo audet, neque temperantia moderatè agit, nisi à summo bono, vt antè dictum est, commoueantur: cum qua quidem quoniam temperantia propè eadem est (nam & ipsa boni ipsius est) non alia re differunt, quàm quòd summum bonum vniuersale est, vniuersalemque iustitiam efficit, quæ in harmonia diapason, cum diatessaron medio interiecto consistit, quæ sunt imperantis, parentis, & medij: Temperantia autem specialis, vnde iustitia minor, de qua mox diceretur, proficiscitur, consistens in harmonia diapason, quæ imperantis est, & parentis. Quæ quidem quia in iustitia semper inest, rectè dicitur à veteribus, nusquam inueniri iustitiam nisi præcesserit temperantia siue verecundia. Vnde fit vt apud Hesiodum sæpe coniungantur, & in Protagora Iupiter ciuilem vitam in humanum genus inducturus, pudorem & iustitiam in terram misisse dicitur. estque hoc vtrique commune, vt cum prudentia, & fortitudo, suam quæque animi partem occupent, iustitia & temperantia, per totum animum, licet diuerso modo, vt dictum est, diffundantur, vnaque in alia contineatur. S. Iam nouem autem virtutes quænam sunt? G. Tres morales mediæ, tres superiores theologice, & tres inferiores ciuiles. S. Quæ sunt tres morales mediæ? G. Illæ ipsæ quas diximus, prudentia, fortitudo, temperantia; sic dictæ, quoniam ad vitam ac mores pertinent, & in animo, qui ratione constat, animositate, & cupiditate insunt. S. Quæ theologice superiores? G. Fides, quæ caput est omnis prudentiæ, & vt Raymundus ait, tanquam oleum semper supernatat; à quo iustus ex fide viuere dicitur: Spes, quæ fortitudinis origo ac fons est, de qua Dauid: Lætabitur, inquit, iustus in Domino, & sperabit in eo: & Caritas, vnde temperantia emanat, & Dominus iustus, & iustitias diligere dicitur. Ac vocantur quidem theologice, quoniam Deum propriè spectant, & in mente, cuius sunt intelligentia, memoria, voluntas, sedem habent. S. Quæ ciuiles inferiores? G. Lex, siue legumlatio, quæ à prudentia & scientia veri descendit: vnde virorum prudentum consultum apud Papinianum dicitur, apud Platonem inuentio veritatis, apud Dauidem ipsa veritas: Iudicium quod à fortitudine manat, ad legem executioni mandandam, vnde Dominus fortis, & iudicia faciens dicitur. Et iustitia minor, quæ à temperantia proficiscitur, ad modestè imperandum, ac parendum, & ius suum cuique tribuendum: de qua Dauid, Iustus Dominus, inquit, & iustitias dilexit. Iustitia tua, iustitia in æternum. cum similibus. Ac cum suprà demonstratum sit, iustitiam tum quidem totam virtutem esse, tum autem alteram eius partem, tum verò quartam; hæc tertia eius est pars. S. Intellego. G. Ac dicuntur quidem hæc virtutes ciuiles, quoniam in spiritu, hoc est cogitatis, dictis, & factis sedem habentes, ad ciuitatem ac Rempubicam regendam ac moderandam pertinent. Et quidem cum summo loco sit iustitia regina, quæ ius suum cuique tribuere præscribit; inferiùs autem iudicium, quod præscripta exequitur, vnde iustitia in iudicium conuerti in Psalmis dicitur; media inter vtrumque interiecta est lex præscripta, quam parit iustitia tanquam supremus magistratus, & exequitur iudicium. Quibus tribus omnes omnino ciuitates & Respublicas contineri constat. S. Ita res est. G. Ac de iis quidem loquens Dauid in Psalmis, subinde duo extrema coniungit, iustitiam & iudicium, veluti cum dicit: Iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ. Iustitia & iudicium, correctio sedis eius.

eius. Nam cum lex quasi pro throno Dei sit, iustitia, & iudicium eius sustentacula & quasi fulcra (nam hoc præparatio & correctio verè significant) secundum id quod dictum est, rectissime vocantur. Item: Iustitia tua sicut montes Dei, & iudicia tua abyssus multa. Nam cum iustitia supra sit, altitudo, iudicium autem infra, profunditas merito ei tribuitur. Subinde autem vnum extremum cum medio; vt: Iustitia tua in æternum, & lex tua veritas. Iustitias meas profanauerunt, & mandata mea non custodierunt. Et, Iustitia illius in filios filiorum, his qui seruant testamentum eius. Subinde alterum extremum cum medio; vt, Memor fui iudiciorum tuorum à sæculo Domine, & consolatus sum. Defectio tenuit me, pro peccatoribus dereliquentibus legem tuam. Viam veritatis elegi, & iudicia tua non sum oblitus. A iudiciis tuis non declinaui, quia tu legem posuisti mihi. Subinde denique omnia tria simul; vt: Qui annunciat verbum suum (quod legem significat) Iacob, iustitias & iudicia sua Israel. Nec aliud pertinet quod Dominus ipse in Euangelio dicit: Arguet mundum de peccato (nempe contra legem) de iustitia, & iudicio. Item: Et reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, misericordiam, quæ iustitiæ est; & fidem, quæ legis. Hesiodus has tres virtutes ea re adumbrat, quod ait Iouem, quem pro iudicio ponit, vnde apud Orpheum iudicium in folio Iouis sedere dicitur, tum quidem Metim, hoc est prudentiam vxorem duxisse, quod legis est; tum autem Themim, quod iustitiæ, vt & supra attigimus. S. Præclare dicis. G. Atque ad has quidem tres virtutes, iustitia vniuersalis, tum quidem particulatè accedit, tum autem generaliter. S. Quomodo particulatè? G. Secundum quaternarium numerum, vt diximus. Quo quidem modo iustitia theologica, fide, spe, & charitate continetur: Iustitia moralis, prudentia, fortitudine, temperantia: Iustitia civilis, lege, iudicio, & iustitia minore. Quod quidem poetico more adumbrans Orpheus, Themidi Deæ, quæ iustitia est vniuersalis, tres filias tribuit; Eunomien, quæ lex est; Dicen, quæ iudicium; & Irenen, quæ iustitia minor. nam Iustitia & pax oscularæ sunt, inquit Dauid. quibus singulis, singulos hymnos Orpheus canit. S. Quomodo generaliter? G. Secundum denarium, sic vt omnes illas nouem virtutes, tanquam musarum pulcherrimum chorum, vna Iustitia vti Apollo comprehendens, cunctas sub se contineat, iisque citharæ suæ plestro, vitam & motum tribuat, quæ quidem ea est cithara, quæ decem chordarum apud Dauidem dicitur. S. Post heterogeneas vniuersalis iustitiæ partes explicatas, nunc homogeneæ quænam sunt? G. Quæ licet nomine à iustitia secundum varia eius officia, & subiecta differant, re tamen cum illa sunt eadem. Vnde Cicerò: In commune quæ posita pars est, iustitia dicitur, eaque erga deos religio, erga parentes pietas, vulgo autem comitas, creditis in rebus fides, in moderatione animaduertendi lenitas, amicitia in benevolentia nominatur. Ne minus dicendum est de obseruantia, obedientia erga maiores, comitate, affabilitate, blanditiæ erga minores, de fide, veritate, constantia in dictis, gratitudine, liberalitate, beneficentia in factis, & si quæ sunt alia eiusmodi, quibus vel dando, vel referendo, vel mixto, quodam modo ius suum cuique tribuitur. Nam quemadmodum cum prudentia, sapientia, scientia, solertiæ ars, intelligentia; cum fortitudine animi magnitudo, generositas, potentia; cum temperantia, humilitas, mansuetudo, modestia, continentia, pudor, verecundia, lenitas, moderatio; ita hæc cum iustitia sunt coniuncta. S. Post hæc de gradibus iustitiæ volo vt dicas. G. Sanè cum diuisio in species, à prima parte definitionis ducatur, in partes autem à secunda; hanc diuisionem prima pariter & secunda pars definitionis nobis subministrant. S. Quid ita verò? G. Nam cum hæc in voluntate boni, vt supra dictum est, consistant, & tam voluntatis quàm boni certi sint gradus: fit, vt & iustitia ipsa certis gradibus sit distincta, qui tum quidem tres sunt sub quaternario; tum verò tres sub denario. S. Qui sunt autem tres sub quaternario? G. Sanè cum voluntas vel metu impellatur, vel spe inuitetur, vel per se liberè sponteque sua moueatur; & cum bono coniuncta sint declinatio pœnæ, adeptio præmij, & fruitio ipsius boni: fit, vt tres gradus iustitiæ, hoc est, voluntatis bonæ, hinc existant. S. At quinam autem illi? G. Infimus cum metu pœnæ, superior cum spe præmij, summus cum amore ipsius boni, ad ius suum cuique tribuendum quis commouetur. S. Rectè. G. Quibus quidem quarto loco præsidens iustitia vniuersalis, primùm leges omnes secundum tres istos gradus describit; partim præcipiendo quid faciendum sit, vel non sit, & quam potissimùm de causa; partim præmia proponendo, iis qui paruerint; & partim pœnas minando, iis qui minus officium fecerint: quorum omnium pleni sunt libri Euangelici, Psalmorum, Mosaici, & alij. veluti cum dicitur: Tum iusti fulgebunt sicut Sol in regno Patris sui. Separabunt malos de medio iustorum. Retribuetur tibi in resurrectione iustorum. Iusti in vitam æternam, hi autem in supplicium æternum. Iniusti punientur, & semen impiorum peribit.

Salus autem iustorum à Domino. Me expetunt iusti, donec retribuas mihi. Virum iniustum mala capient in interitu. cum similibus. S. Probè. G. Deinde etiam hinc fit, quòd ipsa iustitia, omnisque ad eò virtus, alia inchoata dicitur, quæ infimi gradus est; alia purgatoria, quæ superioris; alia purgati animi, quæ summi. S. Optimè. G. Tum & illud hinc procedit, quòd homines alij imperfecti dicuntur, qui sub lege constituti, metu pœnæ, virtutem colunt: alij medij, qui in lege constituti, spe præmiorum id faciunt: alij supremi, qui supra legem positi, solo virtutis amore rectè faciunt. S. Præclare. G. Cæterum quamquam in genere hæc ita sint, quatenus tres gradus iustitiæ constituuntur, quibus quarto iustitia vniuersalis præsidet; in specie tamen paulo aliter se habent, quatenus nouem gradus iustitiæ ponuntur, quibus decimo loco iustitia vniuersalis præest. S. Ergo nouem hi gradus quinam sunt? G. Tres metus pœnæ, tres spei præmij, & tres amoris boni. S. Qui sunt tres gradus metus pœnæ? G. Infimus seruilis, cum pœnæ externæ timore quis commouetur, quem in charitate inesse Diuus Ioannes negat. Supremus filialis, cum Deum per se offendere quis metuit, qui timor sanctus, & initium sapientiæ in Psalmis vocatur: vnde seruire Domino in timore, & exultare ei cù tremore iubemur. Medius mixtus ex utroque, qui pro naturæ humanæ corruptione mortalibus ferè communis est, & Deo gratus: vnde in Euangelio Simeon vir iustus, & timoratus dicitur: & David, Videbunt iusti, inquit, & timebunt. pertinetque huc quod in Zoroastreis carminibus scribitur, patrem non metum incutere, sed reuerentiam excitare velle. S. Qui spei præmij? G. Infimus mercenarius, cum rerum externarum spe quis ducitur: à quo hypocritæ in Euangelio mercedem suam accepisse dicuntur. Supremus liberalis, cum in solo Deo per se spem suam quis ponit: vnde viro bono, Dominus spes eius dicitur. Et medius mixtus ex utroque, & positus inter vtrumque. Atque ad hanc quidem spem pertinet quod dicitur in Psalmis: Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino. Paratum cor eius sperare in Domino, & iustitia eius manet in sæculum sæculi. Latabitur iustus in Domino, & sperabit in eo. S. Qui amoris boni? G. Enimverò cum boni generalis tres sint gradus speciales; iustum particulare, quod est, veluti cum vestis membris quadrat; pulchrum siue honestum, cum eadem ornata est; & bonum, cum aduersus cæli iniurias apta: & voluntatis siue amoris generalis tres quoque sint gradus speciales, nempe simplex voluntas siue dilectio, quæ positiui gradus est; amor qui fertur concitatius, qui comparatiui; & charitas siue eudocia, quæ amato posita, in eo acquiescit, cui & beneplacito nomen est (vnde & Deus Pater in Filio sibi complacuisse ait) qui superlatiui: Fit, vt dando singula singulis, tres hinc orientur gradus bonæ voluntatis, siue amoris boni, nempe dilectio iusti, qui infimus est; amor pulchri, qui superior; & charitas siue eudocia boni, qui summus. Et quidem cum amoris diuersi hinc statuuntur ordines, tum res quoque aliæ licitæ, aliæ honestæ, aliæ bonæ; nec omnia quæ licita sunt, honesta esse; nec omnia quæ honesta sunt, expedire dicuntur. Cui accedit quòd cum iustum sibi abesse, multi non ægrè patiantur, quod & circa honestum vsu venit: neminem esse, qui bono, siue vero, siue opinato carere velit. S. Reuera dicis. G. Sed iam videamus quònam pacto nouem istis gradibus iustitia vniuersalis decimo loco præsit. S. At quònam autem? G. Haud aliter atque nouem choris Angelorum Deus ipse præsidet; vel scalæ, quam per somnum Jacob videbat, Dominus innitebatur. Nam præterquam quòd omnes hi gradus speciales in vniuersali iustitia insunt; omnes enim sunt boni, & in domo Patris mei (inquit Dominus in Euangelio) mansiones multæ sunt; tum autem sunt tanquam scalæ, per quas ab inferioribus ad superiora paulatim ascenditur, transeundo de virtute in virtutem, vt ait David; donec tandem videatur Deus Deorum, qui est summa perfectio, & absolutio omnium virtutum, ipsaque vniuersalis iustitia, quæ cuncta continet, ac coercet. S. Reliquum est, de formis iustitiæ vti nunc differas. G. Hæ numero tres sunt, quæ à supradictis partibus, speciebus, ac gradibus iustitiæ proficiuntur, & ex iis constantur. S. Quænam autem illæ sunt? G. Iustitia recta, restricta, & laxa siue moderata. S. Quam vocas iustitiam rectam? G. In qua simplex voluntas, ad eam partem iustitiæ se applicans, quæ in prudentia & scientia veri consistit, iustum illud secundum proportionem arithmeticam profequitur, quod particulare secundum gradum positiuum modò vocauimus. S. Scitè. G. Quo quidem modo, cum ius suum cuique tribuitur, meritò recta iustitia dicitur. Quoniam voluntas nulla re incitata, ad id recta via fertur, quod recta ratio dicit, ad cuius præscripta, tanquam ad dictata quædam se accommodat, nec vnquam ab iis recedit. de qua loquens David, Iustus, inquit, es Domine, & rectum iudicium tuum. Iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda. Lux orta est iusto, & rectis corde læticia. cum aliis de genere eodem. S. Quam dicis iustitiam restrictam? G. In qua voluntas amore accensa, ad eam partem iustitiæ se appli-

applicat, quæ in potentia & fortitudine consistit (minimè tamen refragante, sed sequente ratione, nam alioqui iustitia non esset) & secundùm proportionem Geometricam procedit, ad pulchrum adipiscendum, vel turpe vindicandum. S. Intelligo. G. Quo quidem modo cum ius suum cuique tribuitur, meritò restricta vel intensa iustitia dicitur, quoniam voluntas, amore pulchri, vt dixi, inflammata, & quod ei consequens est, zelo atque odio turpis incitata (nam in omni amore zelus inest, sic vt eiusdem sit diligere iustitiam, & odisse iniquitatem) vim ac potestatem suam quàm potest acerrimè, quatenus quidem non refragante ratione fieri queat, exercet, sic vt secundùm naturam proportionis Geometricæ quàm exactissimè omnia examinet, & pro ratione ac natura gradus comparatiui, ad extrema semper tendat. S. Teneo. G. Vnde fit vt quod in rebus inde existit, iustum, rigidum, summum, scrupulosum, exactum, strictum, durum sit, ac dicatur, nempe quod ad viuum omnia refecat. S. Rectè. G. Ac quantum ad homines, vt in bono collaudando, & dignis præmiis afficiendo, ad extrema semper decurrit, nec quicquam irremuneratum relinquit; ita è contrà in malo vindicando, in quo maximè elucet, extrema quæque petens, summam cum dignitate seueritatem, duritiem, austeritatem exercet: vnde fit vt zelus Dei in sacris literis indignatio, furor, odium, ira vocetur; quam quidem homines accendunt, & aduersum se prouocant, cum à via iusta, vt apud Davidem est, recedunt. S. Probè. G. Atque hæc quidem nomina, tum autem ab hominum affectibus arrepta, indeque ad Deum translata esse videri possunt, tum verò (siquidem exactius limanda veritas est) in Deo reipsa inesse, non humana quidem, sed penitus diuina & recondita ratione. Nam cum solo malo excepto, nihil sit in tota nostra natura, quod non ideam suam in Deo habeat, & vt suprà demonstratum est, in diuinis non solum affirmationes eius quod est, vt amor boni; sed & negationes eius quod non est, vt non amor non boni, reuera insint, vnde ad iram porrò, indignationem, & odium mali descenditur: sequitur, ea Deo reuera inesse, & ab eo ad homines manare. S. Iam laxam siue moderatam iustitiam quam vocas? G. Hæc est quæ à bona voluntate, siue temperantiâ, originem trahens, in charitate siue eudocia boni ipsius suauiter acquiescit, ad ius suum cuique secundùm proportionem harmonicam tribuendum. Vnde oritur ac efflorescit nobilissima illa ac suauissima iustitiæ forma, quæ æquitas, bonitas, benignitas, humanitas, simplicitas, gratia, misericordia, & aliis pulcherrimis nominibus appellatur. S. Audio. G. Et est cum voluntas mansuetudinis ac lenitatis plena, non solum nihil intensum vel restrictum exigit, sed & idipsum quod rectum est, non aurificis statera, sed quadam populari trutina, de plano, & pingui (quod dicitur) minerua, moderatur & examinat, quoad eius secundùm rationis ac iudicij normam fieri potest, quam ob id comiter ad se allicit, & tanquam regulam Lesbiam flectit, siue de peccatis hominum condonandis agatur, quod gratiæ est, & misericordiæ; siue de rebus moderandis, quod æquitatis. S. Intelligo. G. Quæ quidem duo vocabula, ex eodem fonte manantia, frequenter in Psalmis cum iustitia coniunguntur, cum dicitur: Mutuabit peccator, & non soluet; iustus autem miseretur, & retribuet. Misericordia & veritas obuauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt. Iustus Dominus, & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius. Iudicabit orbem terræ in æquitate, iudicabit populum in iustitia. S. Pulchrè. G. Et quidem cum recta iustitia angulo recto Geometrico quodammodo sit similis, restrictam cum acuto, moderatam cum obtuso non malè compararis. Meminitque omnium trium Imperator Constantinus, cum ait: Placuit in omnibus rebus præcipuam esse iustitiæ (rectæ nempe) æquitatisque quàm stricti iurisdictionem. quibus verbis docetur, recta iustitia communiter, restricta rarò, moderata semper esse vtendum. S. Quid ita verò? G. Quia cum recta iustitia, secundùm communes iuris & iniuriæ regulas procedat, vt dictum est; per se lucet, communiter ea esse vtendum. S. Verum. G. Ac quantum ad restrictam attinet, quoniam circa extrema, vt diximus, versatur, quæ rarò se offerunt: sequitur, non nisi rarò ea vtendum esse. & quidem eo magis, quòd cum ab extremis bonis, facilis ad malum sit lapsus; quoniam inter vtrumque non nisi hilum interest; vir bonus, non nisi summa necessitate coactus, tanto periculo se committit, quemadmodum medicus non nisi extremis malis extrema remedia adhibet. Cui accedit, quòd cum hæc forma iustitiæ circa malum vindicandum plerumque versetur, idipsum autem malum sua natura sit momentaneum: sequitur, remedium quod ei adhibetur, eiusmodi quoque esse debere. Vnde in Psalmis momentum esse dicitur in ira Domini, integra autem vita in bona voluntate eius; & si ad vesperum est fletus, mox ad matutinum adesse lætitiâ. S. Optimè profectò. G. Et quod pertinet ad iustitiam moderatam, ideo semper ea dico vtendum, quoniam siue restrictam iustitiam spectes, siue rectam, siue ipsammet moderatam, et se, nihil est quod ipsa vacare possit. S. Qui sic autem?

autem? G. Quoniam cum restricta iustitia sub moderata contineatur, quemadmodum angulus acutus in obtuso inest: nunquam ita potest exerceri restricta, quin aliquid ex moderata ei admiscetur. Vnde Martianus Iurisconsultus, Perspiciendum est, inquit, iudicanti, ne quid aut durius aut remissiùs constituitur quàm causa deposcit: non enim aut seueritatis, aut clementiæ gloria affectanda est, sed perpenso iudicio, prout quæque res exposulat, statuendum est. planè in leuioribus causis proniores ad lenitatem iudices esse debent, in grauioribus pœnis seueritatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi. S. Ita memini eum scribere. G. Et de iustitia recta, quoniam & ipsa sub moderata continetur, quemadmodum angulus rectus sub obtuso, & nulla regula tam certa statui potest, quæ non vt Lesbia norma aliquando flecti debeat: consequens est, sine admittione moderatæ, eam nunquam rectè posse exerceri. Et ideo in Psalmis non solum veritas & misericordia, iustitiæque & æquitas, ferè semper coniunguntur, sed & subinde, vbi semel iustitiæ fit mētio, bis nomen misericordiæ ponitur, veluti cum dicitur: Exortum est in tenebris lumen rectis, misericors, & miserator, & iustus. Item: Misericors Dominus & iustus, & Deus noster miseretur. S. Sic est. G. Ac quantum ad ipsam moderatam iustitiam per se attinet, quatenus ea duas supradictas excedit, quemadmodum obtusus angulus acutum & rectum, caput ac princeps est omnium. S. Præclarè. G. Et quidem quemadmodum adamas ex auro nascens, ipsius nobilissima pars est, & supra ipsum positus; ita & misericordia ex iustitia erumpens, ipsius pars est longè nobilissima, & supra eam quodammodo posita: quod ostendit Propheta, cum ait, suauem quidem Dominum esse in vniuersis, sed miserationes eius super omnia esse opera eius. Et Dominus ipse in Euangelio perfectam hominis vitam describens, non in alio quàm in vna misericordia eam constituit, quam ex intimis visceribus bonitatis Dei proficisci Zacharias canit. Et quidem cum ex bono procedat, & circa id versetur quod sua natura perpetuum & æternum est, fit vt & ipsa perpetua sit, & æterna: quod circa iustitiam restrictam, quatenus in malo, quod momentaneum est, vindicando versatur, secus habet. S. Rectissimè me hercule naras. G. Quanquam vnum tamen meminisse, arctèque semper tenere oportet. S. Quidnam autem? G. Nempe licet circa formas istas tres iustitiæ inter se comparatas res ita se habeat, circa vniuersalem tamen iustitiam aliter se habere. Nam quemadmodum illa supra omnes partes suas, prudentiam, fortitudinem, & temperantiam collocata, eas cunctas complectitur, & cum iis sola comparatur, quod & ipsum circa species, commutiuam, distributiuam, & mixtam accidit, nec non circa gradus timoris, spei, & amoris, vt dictum est, ita & supra formas istas, iustitiæ rectæ, restrictæ, & moderatæ constituta, omnes illas complectitur, solaque cum iis comparatur, diiudicans, & præscribens quam potissimum forma, quaque in re vtendum sit, vel non sit. S. Intellego. G. Et ideo non miserandum esse pauperis in iudicio, in lege Mosaica traditur, reprehenditurque iure civili, qui intempestiuè misericordiam exercuit. Et quemadmodum iudicium sine misericordia, ita & zelus sine scientia vituperatur. nam omnia certo modo secundum præscriptionem iustitiæ vniuersalis sunt miscenda, quæ quam specie, parte, gradu, vel forma vtendum sit, & quatenus, quaque in re, diiudicat.

De vi & effectu Iustitiæ.

TITVLVS XVI.

S. **O**ST definitionem, & diuisionem iustitiæ explicatam, de vi eius & effectu age nunc videamus. G. Hæc res tum quidem vniuersaliter spectatur, tum autem generaliter, tum verò specialiter, tum denique particulatè. S. Quomodo autem vniuersaliter? G. Quatenus vim & effectum iustitiæ omnem vna re maxima concludimus, nempe summa felicitate ac beatitudine, quam à iustitia exsistere, & quasi efflorescere, Dominus ipse docet, cum ait: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. & David, Beati, inquit, qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore. S. Quomodo generaliter? G. Quòd vim omnem & effectum iustitiæ in duobus ponimus, quæ sunt, liberatio ab hostibus, cum redemptione ab omni malo, quòd pertinet illud Psalmi: Multæ tribulationes iustorum, & de his omnibus liberat eos Dominus. & adeptio boni, siue salutis, quod significat David, cum ait: Vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum. S. Specialiter quo pacto? G. Quatenus totam vim & effectum iustitiæ, ex definitione eius elicimus, secundum numerum ternarium & quaternarium, vnde ter quaterque beati apud Poëtam dicuntur. S. Secundum ternarium quonam modo? G. Ex eo quòd iustitia constans & perpetua voluntas dicitur.


dicitur. Nam quia voluntas est, quæ principium est actionis, utique effectus eius est, ut vitam inducat; unde resurrectio iustorum in Euangelio dicitur. Quia autem est constans voluntas, hanc quoque vim habet ut vitam firmam ac constantem efficiat; quod significat Propheta, cum dicit: Et non dabit in æternum fluctuationem iusto. Et quia eadem est perpetua, effectus eius est vita æterna; quod pertinet illud Psalmi: Dispersit, dedit pauperibus, & iustitia eius manet in sæculum sæculi. S. Secundum quaternarium autem? G. Quod iustitia constans, & perpetua voluntas definitur, ius suum cuique tribuendi: quia quidem ratione fit, ut effectus eius sit, non solum vitam inducere, quod unum est; eamque constantem, quod alterum; & perpetuam, quod tertium; sed & tranquillam ac quietam, quod quartum. Nam ubicumque ius suum cuique tribuitur, & divina illa iustitiæ musica, quam diximus, seruetur, ibi & pacem, & concordiam esse necesse est; unde Rex iustitiæ Melchisedech (nam hoc nomen ipsum significat) civitatem Salem; hoc est pacis, condidisse scribitur. Et in Psalmis, Iustitia & pax se mutuo osculata dicuntur. & Suscipient montes pacem, & colles iustitiam. & Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis. Et Angeli in Euangelio annunciant pacem hominibus bonæ voluntatis; hoc est, iustis. S. Rectè. G. Quam quidem pacem generali nomine sumptam; si quidem in sua membra rursum diuidas, existunt inde hæc quatuor: pax publica, & concordia priuata; quantum ad homines attinet; sanctitudo, siue cessatio ab omnibus rebus profanis, & quies in vno Domino, quantum ad Deum: unde sanctum illud Sabbathum per ternarium & quaternarium, hoc est, septenarium numerum constituitur, in quo omnines acquiescere iubemur: conueniuntque cum hoc numero verba definitionis, quæ ternario & quaternario, hoc est, septenario numero continentur. S. Dehinc particulatè autem vis & effectus iustitiæ quonam modo spectatur? G. Secundum ter tria denario numero comprehensa. S. Quæ sunt prima tria? G. Quæ à prima parte definitionis procedunt, aliæque manant ex aliis. Nam cum dictum sit, effectum iustitiæ esse, ut vitam constantem ac perpetuam inducat; vitæ porro effectus est, ut lumen & claritatem actionum proferat; quod docet Euangelium, cum dicit: In ipso vita erat, & vita erat lux hominum. & David: Ut placeam coram Deo in lumine viuentium. porro, Et deducet, inquit, tanquam Solem iustitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem: proficiturque hinc, quod iustitiam Solem apud Zachariam vocari, supra attigimus: & quod Dominus in Euangelio ait: Tunc iusti fulgebunt sicut Sol in regno patris sui. & quod viri boni & iusti, clari & illustres dicuntur. Et quidem uti ex vita lumen existit; ita porro ex lumine honor, & gloria, & prædicatio operum Dei proficitur. quod ostendit Dominus in Euangelio, cum dicit: Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est. S. Quæ sequentia tria? G. Quæ à secunda parte definitionis oriuntur, & alia neçuntur ex aliis. Nam cum supra traditum sit, alterum effectum iustitiæ esse, ut pacem generet; pacis porro vis & effectus est, ut diuitiarum vim ac potentiam, & rerum omnium abundantiam ac copiam, cum sobolis iucunda propagatione inducat. quod indicat David, cum ait: Fiat pax in virtute tua; & abundantia in turribus tuis. Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te. Manatque hinc, quod iustus ut palma florere, & sicut cedrus Libani multiplicari dicitur. Atque uti ex pace diuitiæ nascuntur, ita ex diuitiis laus, honor, & gloria procedit. quod ostendit Propheta dicens: Gloria & diuitiæ in domo eius, & iustitia eius manet in sæculum sæculi. Lætabitur iustus in Domino, & sperabit in eo, & laudabuntur omnes recti corde. S. Quæ reliqua tria? G. Quæ ab iis quæ ab utraque parte definitionis iustitiæ procedere diximus; effluunt. Nam cum primæ partis sit, deteris omnibus maculis, cor mundum & purum cum splendore & charitate inducere; ac Dominus dicat in Euangelio, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: sequitur, effectum iustitiæ esse, ut Deum quis videns; in conspectu eius versetur. quod ostendit David, cum ait: Verumtamen iusti confitebuntur nomini tuo, & habitabunt recti cum vultu tuo. Item: Et iusti epulentur, & exultent in conspectu tuo. Et cum secundæ partis sit, pacem constituere, & Dominus rursum dicat in Euangelio, Beati pacifici quoniam filij Dei vocabuntur: conficitur, vim & effectum iustitiæ esse, ut filios Dei efficiat. quod & ostendit illud Ioannis: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Nec non ipse Dominus, cum sicut Solem iustos splendere ait in regno patris sui, cuius per iustitiam effecti sunt filij. Et cum utriusque parti hoc sit commune, ut cum præclarissimarum actionum splendore, & rerum omnium abundantia & copia, gloriam & honorem inducat; ut dictum est: gloriæ autem & honoris is sit effectus, ut gaudium & lætitiæ voluptatemque pariat: sequitur, vim & effectum iustitiæ esse, ut filij Dei in conspectu patris sui versantes, in ipso lætentur, & exul-

tent;

tent, ut ait Propheta, vñ que epulentur, donec cibo & potu iustitiæ pleni, saturentur. Quod ostendit David, cum dicit: Ego autem in iustitia apparebo in conspectu tuo, satior cum apparuerit gloria tua. Et Dominus ipse: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Homerus autem syis fabulis id adumbrans, Themideam ambrosiam & nectar diis præbere canit. S. Nunc hæc ter tria quoniam autem pacto denario numero comprehenduntur? G. Quod qui harum rerum, quas diximus, participes sunt, non solum in ciuitate, atque aded in domo Dei, sed & in ipso Deo habitare dicuntur: nam lætantium omnium, inquit Psalmista, habitatio est in te. qui est vltimus iustitiæ effectus, qui omnes comprehendit de quo loquens David, Domine, inquit, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam. Et Dominus in Euangelio: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Atque hæc quidem est domus illa ac ciuitas noua, quæ in Apocalypsi describitur quadrata: quoniam quæcumque de vi & effectu iustitiæ diximus, a quaternarij numeri natura, si bene animaduertas, procedunt. S. Quid ita verò? G. Nam cum eorum fundamenta sint vita & pax, primum numerum quaternarium, vitæ numerum esse inde constat, quod quatuor trianguli primum corpus vitale, hoc est, pyramidem constituunt, cuius natura est, ut tum quidem vitam & inotum inducat, & per se constans sit, & perpetua; tum autem claritatem & lucem producat: vnde reliqua consequuntur. S. Verum. G. Ac quantum ad pacem attinet, quoniam quaternarius trium quasi fidium concentum & harmoniam continet, ut ante diximus, sequitur, pacem & concordiam ab ea proficisci, nec non rerum omnium abundantiam: quoniam omnes omnino numeros, eorumque proportionem, in vno quaternario inesse, iam supra ostendimus. S. Sic est. G. Quibus ad extremum accedens ciuitas illa Dei, & ipsa quadrata, ut dictum est, omnia perficit & absoluit.

De Iniustitia.

TITVLVS XVII.

S.  **UONIAM** de iustitia satis, ut videmur, diximus; iam de iniustitia quid ais? **G.** Enimverò eius meminit Euangelium, cum dicit: Hic verax est, & iniustitia non est in eo. Item David: Et labor in medio eius, & iniustitia. dicunturque hinc homines iniusti: ut, Virum iniustum mala capient in interitu, & res iniustæ: ut, Quia iniusta cogitatio eorum est. & quæ ab hominibus fiunt, iniuste fieri: ut, Peccauimus, iniuste egimus, iniquitatem fecimus. cui accedit quod iniustitia pro iniuste factis nonnunquam accipitur: ut, Iniustitias manus vestræ concinnant. **S.** Quid autem vis tradere de iniustitia? **G.** Quid sit, quomodo diuidatur, quæ vis eius, & effectus, & quæ eius sit origo. **S.** Quam autem dicis iniustitiam? **G.** Quæ iustitiæ contraria est, non simpliciter quidem & absolute, nam Deo, & proinde iustitiæ ipsius, nihil est absolute contrarium; nam alioqui duo statuerentur principia, quod non est ferendum: sed per relationem dumtaxat, idque tum quidem priuatiue (ut sic dicam) tum autem positiuè, tum verò vtroque modo. **S.** Quomodo autem priuatiuè? **G.** Quatenus iniustitia est defectus voluntatis constantis ac perpetuæ, ius suum cuique tribuendi; vnde, quæ omissionis peccata dicuntur, originem trahunt. **S.** Quomodo positiuè? **G.** Quatenus iniustitia libido est inordinata, vaga, & inconstans, ius suum cuique auferendi, siue nemini tribuendi, siue iniuriam inferendi; omnia enim eodem redeunt: vnde, quæ commissionis vocantur peccata, proficiscuntur. Et quidem cum iustitia sit voluntas, cum vera scientia & potentia coniuncta: iniustitia est inordinata, ut dico, libido, cum praua scientia, vnde dolus existit; & praua potentia, vnde vis, coniuncta. **S.** Quomodo denique vtroque modo? **G.** Quatenus iniustitia dum ad eum modum quo dictum est se habet, id ipsum tan. en sub falsa specie, ac simulatione iustitiæ efficit. Et quidem cum primo modo iniustum esse malum sit, secundo peius; istud omnium est pessimum. Nam quemadmodum optimus est, qui, cum bene facit, quam modestissime ac humillimè de se sentit: ita pessimus est, qui, cum malus sit, bonus tamen vult videri. **S.** Præclare dicis. **G.** Imò vti bonum est à malo abesse; melius, facere bonum; optimum autem, propter bonum persecutionem pati tanquam malum: ita malum est carere iustitia, peius iniustum esse, & pessimum ob iniustitiam tanquam iustum honorari, & in pretio haberi. **S.** Sic est. **G.** Atque hoc quidem genus homines sunt, qui Hypocritæ à Domino in Euangelio, Sophistæ apud Platonem, & Tyranni appellantur: qui umbras & imagines boni ac iusti assumentes; cuiusmodi sunt exterminare faciem, extendere phylacteria,

ſtertia, orare in angulis platearum, canere tuba ante ſe in dandis elemofynis, & alia de genere eodem, pro bonis & iuſtis ſe venditant, cum contrà mali ſint, & iniuſti, qui venientes in veſtibus ouium, intus ſunt lupi rapaces. Ac aſſumunt quidem has imagines ex inferiori mundi regione; vbi eas eſſe ſuprà diximus, quibus per ſe bonis malè vtuntur, dum à iuſtitia eas ſeparant, & pro velamento iniuſtitiz vſurpant. Vnde Paulus pseudoapòſtolos in Apoſtolos Chriſti ſe tranſfigurare ait. idque mirum non eſſe, quoniam cum ipſe ſatanas ſe tranſfigurer in Angelum lucis, nihil magnum fieri, ſi miniſtri eius tranſfigurentur veluti miniſtri iuſtitiz. S. Quomodo autem diuiditur iniuſtitia? G. Haud àlter atque iuſtitia: nam contrariorum eandem eſſe diſciplinam; vulgo notum eſt. Et idèo quemadmodum iuſtitia alia vniuerſalis eſt, quæ omnem virtutem continet; alia particularis; quæ pars quarta eſt virtutis: ita & iniuſtitia, tum quidem particulatè ſumitur, pro eo vitio, quod circa res externas malè verſatur; veluti quod de raptoribus, iniuſtis, adulteris in Euangelio ſcribitur, & quod veracem eſſe, & iniuſtum inter ſe opponuntur: tum autem vniuerſaliter pro omni peccato, veluti quod Dauid iniuſtitiam ſuam coram Deo ſe non abſcondiſſe ait, & fore vt iniuſti puniantur ac diſpereant. S. Rectè. G. Atque hæc quidem de cauſa fit, quod iuſtitiz non ſolum iniuſtitia opponitur, veluti cum dicitur in Euangelio: Qui oriri facit ſolem ſuum ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. ſed & impietas & peccatum, ex quibus licet primum proptiè vitium ſit ratiocinatricis animi partis, erga Deum; alterum autem morbus appetitricis partis, erga homines: vtrumque tamen totum malum complectitur, quemadmodum & iniuſtitia; veluti cum dicitur apud Dauidem: Quia nouit Dominus viam iuſtorum, iter autem impiorum peribit. Interrogat Dominus iuſtum, & impium. Item melius eſt modicum iuſto, ſuper diuitias peccatorum multas. Cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua iuſti. cum ſimilibus, quorum plenus eſt liber Pſalmorum. S. Nunc de vi & effectu iniuſtitiz reddito. G. Enimverò & hîc non aliud faciendum eſt, quàm vt ea quæ de iuſtitia dicta ſunt, contraria ſumas. S. At quonam autem pacto? G. Primùm enim vniuerſaliter, cum viſ & effectus iuſtitiz ſit, vt ſummam beatitudinem ac felicitatem inducat, contrà de iniuſtis dicitur, contritionem & infelicitatem eſſe in viis eorum. S. Audio. G. Deinde generaliter, cum vox redemptionis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum ſit; contrà iniuſti obligati, & cecidiſſe dicuntur. S. Intellego. G. Tum ſpecialiter, cum iuſtitia vitam conſtantem & perpetuam tribuat, cum pace ac concordia coniunctam; contrà iniuſti viam pacis non cognouiſſe dicuntur, & præmium peccati mors. S. Teneo. G. Poſtremò particulatè, cum iuſtitia vitam claram & ſplendidam, pacemque abundantem & honoratam inducat, hominemque filium Dei effectum, in conſpectu eius lætari, & epulari, & in domo ipſius perpetuò degere faciat; contrà iniuſtitia à regno & conſpectu Dei excluſum, filiumque diaboli factum, in tenebras exteriores, hominem omni ignominia affectum, & rerum omnium egenum deducit, vbi eſt fletus & ſtridor dentium. An non ita eſt? S. Maximè. G. Et verò tametsi quidem vir iniuſtus aliquid ſubinde eſſe videatur, id mox vno quaſi puncto temporis euaneſcit. Nam vidi, inquit Dauid, impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani: & tranſiui, & ecce non erat; quaſiui, & non eſt inuentus locus eius. S. Verum. G. Et quidem cum homo, quantum ad exteriora attinet, per ſe nihil aliud ſit quàm vmbra quædam, quod oſtendit Propheta, cum dicit; Homo vanitati ſimilis factus eſt, dies eius ſicut vmbra prætereunt: tum ſeptem ſunt quibus ſpecialiter hominis iniuſti futilitatem ac leuitatem comparat. S. At quanam autem illa? G. Puluis, fœnum, aqua, cera, fumus, ſomnium, imago. quorum his verſibus meminit: Non ſic impij, non ſic, ſed tanquam puluis, quem proicit ventus à facie terræ. Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem: quoniam tanquam fœnum velociter aſceſcent, & tanquam holera herbarum citò decident. Ad nihilum deuenient, tanquam aqua decurrens: intendit arcum ſuum donec infirmentur: Sicut cera, quæ fluit, auferentur: ſupercecidit ignis, & non viderunt ſolem. Inimici autem Domini, mox vt honorificati fuerint, & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient. Velut ſomnium ſurgentium Domine, in ciuitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges. S. Reſtat de origine iniuſtitiz vt exponas. G. Verum. Et quidem quemadmodum origo iuſtitiz à ſummo bono Deo eſt, vt diximus: ita e contra origo iniuſtitiz à ſummo malo diabolo trahitur. S. Rectè. G. Ac eſt verò malum bono contrarium, non quidem abſolutè, vt diximus, ſed per relationem dumtaxat. Nam reuera malum, neque per ſe eſt, neque ſuis propriis ſubiectis inhæret, ſed ſubiectò ipſius boni, non naturaliter, ed ex accedenti. S. Cur dicis non eſſe per ſe? G. Quoniam id vni bono conuenit, quod ſolum cum eo quod eſt conuertitur. S. Cur propriis ſuis ſubiectis negas inhære? G. Quia cum

cùm per se nihil sit, nullum quoque proprium habet subiectum. S. Quomodo ipsius boni subiectis dicis inhærere? G. Nempe quia creaturis à Deo factis malum haud secus inest, atque luxatio baculi in ipso est baculo. S. Cur non naturaliter? G. Quia cùm omnia quæ à Deo (in quo nullum malum inest) fabricata sunt, sua natura sint bona: sequitur, malum quod iis inest, præter naturam accedere. S. Cur per accidens? G. Quoniam malum non proprio principio, nec sine nititur, sed alieno, nempe ipsius boni. Nam qui malè agit, non mali adipiscendi causa id facit (nemo enim sponte miser est) sed boni, à quo cùm falsa ipsius specie deceptus aberrat, malum pro bono eligens, fit, ut ipsum malum non à Deo, nec à natura, sed ab ipso existat. S. Intellego. G. Circa quam quidem rem tamen si verum est, neminem sponte, ut dico, malum esse, utique tamen verissimum est, omnes sponte fieri malos (nam absque eo, iure puniri nec possent, nec deberent) idque per tres quasi gradus. S. Quos autem illos? G. Primum, cùm quis sponte sua à Dei contemplatione se auertit: quod initium peccati est. S. Bene dicis. G. Deinde, cùm à Deo auersus ad seipsum se conuertit: quæ progressio. S. Rectè. G. Pòst, cùm sui contemplatione nimium inhærrens, Dei oblitus, seipsum amare, & quasi Deum facere incipit: quæ expletio. S. Probè. G. Quod quidem cùm Lucifero accideret, cùm iuxta Dei thronum sedem suam collocare, & Deo æqualis esse vellet, inter exemplar Deum, & se imaginem non distinguens; factum est, ut orto tum primum malo, per ipsum, in ipso, & ab ipso, ex Angelo Dei, aduersarius ipsius Satanæ exstiterit, & ex summa mundi regione in infimam, pœnæ causa, detrusus fuerit: sic ut quemadmodum iustitia à bonitate Dei, ita iniustitia à malitia diaboli, ortus sui principatum ducat. S. Teneo. G. Nec est verò quærendum, cur non ita Deus Angelum crearet, ut malus fieri non posset: quoniam cùm pro immortalitate sua, eum sibi quàm simillimum facere vellet; consequens erat, ut & liberæ, suæque voluntatis esset: nam nihil Deo similis, quàm libera voluntas, per quam, ut minor quidam deus, id facit quod vult. Qua quidem quòd postea abusus est, ipsi imputari debet, non Deo; cuius tanta est bonitas, ut etiam ex malo bonum eliciat, absque quo malum existere nunquam permisisset.

De mediis inter iustitiam & iniustitiam.


TITVLVS XVIII.

S. **D**OST iustitiam descriptam, & item iniustitiam, de iis quæ media inter utramque interiecta sunt, quidnam habes dicere? G. De his primum generaliter tractabo, deinde specialiter, tum quæ vis eorum sit, & effectus. S. Generaliter igitur quænam ea esse dicis? G. Quæ ex mundo decerpta, indifferentia vocantur. S. Cur ex mundo dicis esse decerpta? G. Quia uti iustitia ex Deo est, supra mundum; & iniustitia ex diabolo, infra mundum: ita hæc media inter ea interposita, ex ipso mundo tracta sunt, ac delibata. S. Cur vocas indifferentia? G. Quia licet per se sint bona (nam fecit Deus omnia bona) quantum tamen ad hominem attinet, sunt indifferentia; & ideo prout bene, vel malè illis utitur, ita bona illi sunt, vel mala. S. Nunc specialiter quænam hæc esse dicis media inter iustitiam & iniustitiam interposita? G. Favorabile, odiosum, medium. S. Quid vocas favorabile? G. Quod à bono, quod superioris mundi est, profluens, fauorem secundum æquitatem meretur. S. Quod odiosum? G. Quod à malo, quod inferioris mundi est, procedens, odio secundum seueritatem dignum habetur. S. Quod medium? G. Quod à medio mundi proficiscens, medium inter vtrumque est interiectum: & in tria rursus capita deducitur. S. At quænam autem illa? G. Vitale, necessarium, delectabile, pro numero quoque trium regionum mundi, à quibus manant, licet in media propriè insint. S. Quid ita verò? G. Nam cùm antè dictum sit, in inferiori regione plus esse eius quod non est, quàm quod est, quod cuncta superiora cum dolore ad se rapit, & ad nihilum quo ad potest deducit; hinc necessitas existit parandi ea, quibus ad vitæ commoditates contra mortem est opus. S. Rectè. G. At cùm in suprema regione plus sit eius quod est, quàm quod non est, quod cuncta quæ potest in inferiora cum voluptate infundit; hinc nascitur delectabile, ad attrahendum ea quæ iucunda sunt, & pulchra: vnde & publica honestas, cuius sæpe ratio habetur, originem ducit. S. Probè. G. Et cùm in media regione, æquæ vtriusque eius quod est, & eius quod non est, sint partes; fit, ut ex delectabilium & necessariorum mixtione existat vitale: quod vitæ iuuandæ seruit. S. Pulchrè. G. Quæ quidem tria (quorum contraria sunt, non necessarium, non delectabile, inutile; vnde & alia porro proficiscuntur, ut indecens, absurdum, contra bonos mores) si cum tribus supradictis,

Etis, iusto, pulchro, bono, speciali, & eorum contrariis, iniusto, turpi, & malo compares, inuenies necessarium, & non necessarium esse, quod inter iustum, & iniustum speciale medium est interiectum; delectabile, & indelectabile, quod inter pulchrum & turpe; & vtile, ac inutile, quod inter bonum & malum. S. Nunc vis horum & effectus quisnam est? G. Quod dum iustitiam nonnunquam & iniustitiam ad se alliciunt, id iustum vel iniustum faciunt, licitumue aut illicitum, quod cum fauore vel odio, necessitateque, vtili, aut delectabili, & eorum contrariis est coniunctum. Nam hinc dicitur, odia restringi, fauores conuenit ampliari: quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum: semper in coniunctionibus non id modo spectatur quod licitum est, sed & quod honestum: Vtile non debet per inutile vitari. cum aliis de genere eodem.


De lege.

TITVLVS XIX.

S.  C E P I de Republica, siue de homine, accepi de iustitia, agesis de lege nunc dicito, nam id, nisi fallor, tertium est, quod in hac parte institutionis proposuisti. G. Bene meministi. Et quidem vti frustra est, materiam subiectam nouisse, in quam forma inducenda est, & item formam quæ in materiam subiectam induci debet, nisi instrumenta quoque media cognoscas, per quæ vnum cum alio coniungitur, & tanquam per canales forma in materiam deriuatur: ita parum esset, quantum ad rem propositam attinet, quid homo, siue respublica, quid iustitia sit, cognoscere, nisi & quid lex sit, per quam iustitia in hominem inducitur, intelligatur. S. De ea igitur re quid tractas? G. Primum quid lex sit, exponam: deinde quomodo diuidatur: tum quæ vis eius sit, & effectus: post quid legi contrarium: denique quæ præcepta sint legis.

Quid lex.

TITVLVS XX.

S.  R E G O legem quidnam esse ais? G. Enimvero vt primum eam definiam, deinde autem varia eius nomina, quæ ex definitione emergunt, ostendam, aio legem summam diuinæ mentis rationem esse, & vocem, cum bonitate ac potentia coniunctam; quæ posita in republica, iubet ea quæ facienda sunt, & prohibet contraria; vt exhausta iniustitia, iustitiæ particeps efficiatur. S. Cur rationem eam dicis? G. Vt substantiam legis ostendam, quæ vtrique non in alio, quàm in ratione & intelligentia consistit: vnde lex & ratio inter se conuerti vulgo dicuntur. Nam quemadmodum homo substantiam suam in eo quod est habet, quod Patris est: iustitia autem in voluntate quod Spiritus sancti: ita lex in ipsa habet ratione & intelligentia siue mente, quod Filij. S. Optimè profectò. G. Atque hinc quidem fit, quod lex apud Græcos à mente nomen habere dicitur, & virorum prudentum consultum apud Papinianum: inuentio autem veritatis apud Platonem, & in Psalmis ipsa veritas vocatur, quoniam ratio & intelligentia, secundum ea quæ suprâ tradita sunt, nihil aliud est quàm prudentia, & scientia, siue cognitio veritatis. S. Sic est. G. Atque addo quidem diuinæ mentis esse rationem, quoniam prima vera lex in vno Deo est, à quo deinde ad mundum profluit, vbi lex naturæ vocatur; & post deinceps ad hominem, vbi lex humana à lege diuina & naturali deducta. Quod considerans Demosthenes, omnem legem inuentum ac donum Deorum esse ait, & Socrates in Critone, leges humanas inferiores, sorores vocat minores natu superiorum legum diuinarum ac naturalium, sic vt cum substantiâ sint eadem, non nisi gradu differant. Nam quemadmodum in Timæo dij minores, primis seminibus à Deo Patre acceptis, ex mundi maioris partibus ab illo factis, ipsi minores partes porro fabricant: ita & homines ex igniculis legum diuinarum ac naturalium, leges humanas inferiores condunt. S. Rectè. G. Et adiicitur porrò vocem esse, quia omnis lex, tanquam viua quædam vox, vt inquit Aristoteles, est in republica, quæ à mente ac ratione proficiscitur: vnde & sermo, & eloquium, & verbum in Psalmis vocatur. De quo quidem verbo Ioannes Euangelium suum ordiens, primum quantum ad Deum: In principio, inquit, erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Deinde quantum ad mundum: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Tum quantum ad hominem: In ipso vita erat, & vita erat lux hominum; & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehendunt. S. Præclare me hercule. G. Ac quod

quod denique dicitur, legem rationem esse cum bonitate ac potentia coniunctam; ad hoc pertinet, ut intelligamus, quemadmodum substantia hominis in potentia eius quod est consistit, accedente voluntate & intelligentia; & substantia iustitiæ in voluntate, accedente intelligentia & potentia: ita substantiam legis in intelligentia consistere, accedente potentia & voluntate. nam licet principia illa diuersa sint, nunquam tamen separari, sed vnicumque vnum pro substantia est, alia duo pro adminiculis mox ei accedere, iam supra diximus. Atque hoc quidem modo accipiendum est, quod apud Ioannem verbum plenum dicitur gratiæ, quod iustitiæ est; & veritatis, quod potentiæ: & in Psalmis, omnes viæ Domini, quæ sunt leges, veritas dicuntur esse, & misericordia: adeo ut lex, iudicium, & iustitia, quanquam diuersa sint, nunquam tamen separentur; vnde & tribus hymnis continentibus, ab Orpheo celebrantur. S. Porro quidnam autem sibi vult quod addis: Quæ posita in republica? G. Ut subiectum legis demonstrarem, quod non aliud est quàm respublica: vnde communis reipublicæ sponso apud Papinianum ex Demosthene & Chrysippo dicitur, cuius leges sunt tanquam nerui, quibus mouetur. S. Intellego. G. Et quidem cum prima respublica in Deo sit, secunda autem in mundo, & tertia denique in homine, & inter homines: in singulis legem versari, docet in illius hymno Orpheus, vbi legem immortalium pariter & mortalium, castam reginam vocat, nec non aëtherum, marisque, & terræ, totiusque adeo naturæ gubernatricem. de quo David: Verbo Dei, inquit, cœli firmati sunt; & spiritu oris eius, omnis virtus eorum. Chrysippus diuinarum & humanarum rerum reginam illam appellat. S. Teneo. G. Et quidem quantum ad hominem eiusque rempublicam speciatim attinet, tribus omnino modis in ea lex inest. S. Cedo quibus? G. Primum quatenus tacite omnibus mortalibus à Deo & natura est insita: deinde quatenus per Moysen & alios à Deo prodita, & scriptis mandata est: tum quatenus verbum caro factum est, & habitauit in nobis. ut idoneo loco post latius explicabitur. S. Cur dicitis, Quæ iubet ea quæ facienda sunt, & prohibet contraria? G. Ut præter substantiam legis; quæ quidnam ea sit declarat; etiam virtutem eius, quæ qualisnam sit edocet, ostendam. S. Probè. G. Ac consistit quidem hæc virtus in iubendo ac vetando. Nam cum lex quasi regula quædam sit, & norma omnium actionum; quæ facienda sunt iubet, & quæ non facienda prohibet. quod generali nomine præceptum apud Papinianum dicitur. S. Audio. G. Differtque hac re verbum istud siue sermo, à verbo siue sermone communi: quoniam cum in illo non nisi simplex narratio insit, in hoc etiam præceptum continetur. S. Verum. G. Quanquam id non semper fit expressè, sed sæpe tacite, veluti cum non amplius quàm quod iustum vel iniustum sit, lege comprehenditur, vbi eius quod iustum est, iussio; quod autem iniustum, prohibitio tacite subauditur. S. Sic est. G. Atque hoc modo tota historia Mosaica lex dicitur, quoniam propositis boni & mali exemplis; ut bona imitemur, mala autem fugiamus, tacite iubetur, & vetatur. S. Superest, cur ad extremum abs te additum sit: Ut exhausta iniustitia, iustitiæ particeps efficiatur. G. Nimirum ut cognito subiecto legis, quis eius sit finis intelligatur, qui est, ut sublata iniustitia, iustitia in rempublicam per ipsam inducatur. Nam quemadmodum radij solis ab ipso nascentes, & ad terram vsque pertinentes, vim eius eò traducunt: ita lex à diuina iustitia originem trahens, & in rempublicam se immittens, exhausta iniustitia, diuinæ iustitiæ eam participem efficit. S. Probè narras. G. Et ideo Papinianus Demosthenis vestigiis insistens, ait, legem, delictorum quæ sponte vel ignorantia contrahuntur, coercitionem esse: Chrysippus autem, rerum honestarum, ac turpium arbitram, & iuris & iniuriæ regulam. S. Ita res est. G. Et Orpheus quoque tum quidem iustitiam eam inducere, tum autem inuidiam & calumniam persequi ait. Quod etiam pertinent nonnulla legis nomina, quæ in Euangelio & Psalmis exstant. S. Ac quænam autem illa? G. Intelleges, si quemadmodum propositum est, omnia legis nomina proferamus; & quo pacto quodque eorum à definitione manarit, exponamus. S. Hæc igitur nomina quænam sunt? G. Viginti omnino numero, nempe: lex, verbum, eloquium, sermo, veritas, doctrina, disciplina, testimonium, testamentum, iustificatio, semita, via, porta, ordinatio, mandatum, præceptum, pactum, iustitia, iudicium, æquitas. S. Quomodo autem hæc ducuntur à definitione? G. Enimvero quantum ad substantiam attinet, cum primum dictum sit, eam in ratione siue scientia veri, cum voluntate & potentia coniuncta, consistere; nomina quæ inde ducuntur, sunt, doctrina, veritas, quæ rationis sunt; iustitia, & æquitas, quæ voluntatis; & disciplina, ac iudicium, quæ potentiæ; & denique lex, quæ omnium. Et cum additum sit, rationem istam diuinæ mentis esse, & eius quali viam vocem; nomina inde profluentia sunt, testimonium, & testamentum; propterea quod lex Dei voluntatem nobis testatur, & quasi pro eius testamento est; & verbum, eloquium, sermo, quæ à voce procedunt.

cedunt. Aded vt duodecim omnino sint nomina, quæ à sola substantia proficiscuntur, quorum frequentissima est mentio in Psalmis: veluti cum dicitur: Qui annunciat verbum suum Jacob, iustitias & iudicia sua Israël: Lex tua veritas; Omnia iudicia tua æquitas: Beati qui scrutantur testimonia eius: Cur sumis testamentum meum per os tuum: Bonitatem, disciplinam, & scientiam doce me: Et doctrina tua ipsa me docebit: In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi: Non obliuiscar sermones tuos: cum sim in milibus. S. Probe narra. G. Ac quantum pertinet ad virtutem legis, quæ in iubendo & verando cernitur, nomina quæ inde manant, sunt, mandatum, præceptum, ordinatio; de quibus in Euangelio, & Psalmis: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: Tu mandasti custodiri mandata tua nimis: Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos: Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia seruiunt tibi. S. Bene sanè. G. Ac quatenus quidem legis subiectum est respublica, in qua tanquam per conventionem (vti apud Moysen videre licet) constituitur, nomen eius quod inde manat, est, pactum; pertinetque eodem, quod multis aliis scripturæ locis lex fœdus appellatur. S. Præclare profectò. G. Et quod denique pertinet ad vim, & effectum legis, qui est, vt iustitiam in rempublicam inducat, & e contra per eam incedendo ad iustitiam perueniatur, nomina legis quæ inde profluunt, sunt, iustificatio, veluti cum dicitur in Euangelio, Zachariam & Elisabetham ambos iustos fuisse ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini; & via, semita, & porta iustitiæ, de quibus loquitur David, cum ait: Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas: Deduc me in semita mandatorum tuorum, quia ipsam volui: Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas, confitebor Domino. Et quidem cum iustitia sit tanquam ampla quædam domus (vt diximus) omnibus virtutibus ornata, de qua loquitur David, cum ait: Et non intrent in iustitiam tuam: viæ, semitæ, portæ, per quas eò itur & intratur, sunt Dei iussa & mandata, vnde beati dicuntur immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. S. Rectissime. G. Et quidem cum supra demonstratum sit, plenam perfectamque legem, & veram, vnum esse Christum, sit, vt supradicta legis nomina etiam illi tribuantur. Nam & Verbum vocatur, Veritas, & Via, & Ostium, siue porta; vt: In principio erat verbum: Ego sum via, veritas, & vita: Ego sum ostium. cui accedit, quod Paulus iustificationem nostram eum nominat.

Quæ diuisio legis.

TITVLVS XXI.

S. **D**OST hæc, quæ diuisio legis sit, volo vt dicas. G. Enimvero vti de iustitia paulo antè diximus, ita & hic vsu venit, vt lex tum quidem in species diuidatur, tum autem in partes, tum verò in formas, tum denique in gradus. S. Quæ sunt species legis? G. Hoc tribus modis consideratur. S. Quis est primus? G. Quod omnis lex, vniuersalis est, generalis, vel specialis. S. Quæ est lex vniuersalis? G. Quæ vniuersæ alicuius reipublicæ descriptionem ac historiam continet, quo modo omnes quinque libri Moyse legis nomen habent. S. Quæ generalis? G. Quæ totius ciuitatis alicuius iura legesque comprehendit, vt lex duodecim tabularum apud Romanos. S. Quæ specialis? G. Quæ certæ rei alienius ius describit, vt lex Rhodia de iactu. S. Rectè. G. Et est quidem, vel generalis totius reipublicæ, vt plerumque fit, vel specialis, certi generis hominum, vt militum, clericorum, vel particularis vnus hominis, cum privilegia irrogantur. S. Secundus modus quis est? G. Quod omnis lex, diuina est, naturalis, & humana. S. Quæ est diuina? G. Quæ à Deo profecta, & ad Deum pertinens, cum cælestibus nobis est communis. Ac est tum quidem ante peccatum constituta, in paradiso; tum autem post peccatum, administro Moyse; tum verò sub gratia, per Iesum Christum Dominum nostrum, vt posterius latius tradetur. S. Quæ naturalis? G. Quæ in natura insita, & ad res naturales pertinens, cum beluis nobis est communis: & est partim primæ naturæ integræ, partim secundæ corruptæ, partim tertiæ per gratiam reparatæ. S. Quæ humana? G. Quæ ex diuina & naturali deducta, humano ingenio constituta est, primum ante peccatum in paradiso, de vxore non dimittenda, deinde post peccatum sub natura corrupta, tum post gratiam sub natura reparata; vt idoneo loco post ampliùs demonstrabitur. S. Tertius modus iam quis est? G. Quod omnes leges, primariæ sunt, secundariæ, aut tertiæ. S. Quæ sunt primariæ? G. Quæ à nolla alia lege sunt deductæ. Ac sunt quidem, vel primarij legislatoris, apud quem summa est reipublicæ, siue vnus sit, cuius sunt constitutiones & placita Principum, apud Romanos; siue plures optimates, quorum sunt senatusconsulta; siue omnes, quo-

rum sunt leges, & plebiscita : vel secundarij, vt edita Prætorum, Ædilium, & aliorum Magistratum: vel tertij, vt Iurisprudentum. S. Quæ secundariæ? G. Quæ à primariis per consequentias deducuntur. vt si agnatus ideo agnati sui impuberis tutela grauatur, quia emolumentum successionis exspectat; debet & patronus liberti sui tutela grauari, quoniam & ad ipsum eius pertinet successio. S. Quæ tertiæ? G. Quæ per similitudinem ducuntur à primariis. vt si parenti officium exhibendum est, est & patrono, quia imaginem ac similitudinem gerit parentis. S. Post species legum enumeratas, iam de partibus earum dicito. G. Hæ sunt, proœmium, constitutio, sanctio. S. Quid vocas proœmium? G. Quod tanquam caput legi præponitur, eiusque causam, occasionem, rationem, iustitiam, æquitatem, necessitatem, vtilitatem, & alia eiusmodi demonstrat, vt tanto facilius à populo recipiatur. veluti quod initio tituli de pactis Vlpianus scribit: Huius edicti æquitas naturalis est; quid enim tam congruum fidei humanæ, quàm ea quæ inter eos placuerunt seruare? Plato in libris de legibus, & alibi, magnam vim in eo positam esse ait, vt leges proœmia habeant, eaque aptè concipiantur, idque haud paulo rectius quàm in suis cantibus citharædi, & concionibus oratores solent. Addens, legislatores qui sine proœmiis leges condunt, similes esse medicis qui seruos curant, quibus nullam pharmaci quod exhibent rationem reddentes, vt domini imperant: alios autem, qui exordia iis præponunt, illis esse similes, qui ingenuis hominibus curandis adhibentur, quibus antequam medicamentum præbeant, rationem eius dant, vt tanquam boni patres persuadeant. S. Quid sanctionem? G. Conclusionem siue finem legis, vbi vel spes præmij proponitur his qui legi paruerint, vel metus pœnæ qui non paruerint, vel vtrumque, vt apud Moysem, in extremo Deuteronomij, & in Euangelio passim videre licet. Ac pertinent quidem omnia præmia & pœnæ, vel ad externa pecuniæ, & existimationis bona, vt cum boni honore afficiuntur, rebusque augentur, mali autem pecunia mulctantur, & infamia notantur; vel ad bona corporis, cum malis flagra, tormenta, mutilationes membrorum, & denique variæ mortes inferuntur: de bonis autem dicitur, Potenserit in terra semen eius, generatio rectorum benedicetur. vel ad bona animi, tam in hac quàm in futura vita; veluti quoddam impiis conscientia faces, & stimuli, & perpetuæ pœnæ apud inferos proponuntur, pijs autem summa animi tranquillitas, & apud superos vita beata, vti non solum in sacris literis, sed & apud Platonem in libris de Republica, Phædone, Gorgia, & alijs locis, nec non apud Homerum videre licet. Et Poëta noster: *Si genus humanum, inquit, & mortalia seminis arma; At sperate Deos memores fandi atque nefandi.* Ac afficitur quidem quis præmio vel pœnâ, tum quidem dictis, veluti cum boni collaudantur, mali autem reprehenduntur, & obiurgantur; tum autem factis, veluti cum facto ipso mali plectuntur, bonis autem honores exhibentur; tum verò dando, auferendo, cum bonis bona adduntur, malis autem auferuntur. S. Quid denique constitutionem? G. Ipsum principale quasi corpus legis, in quo substantia eius, & virtus, & reliqua quæ cum iis sunt coniuncta, insunt. S. In quo consistit substantia legis? G. In subiecto, prædicato, & quod ex vtroque existit. S. Quod vocas subiectum? G. Id de quo lex tractat, vt furtum. S. Quod prædicatum? G. Id quod lex de re subiecta definit, vt iniustum est. S. Audio. G. Ac sunt quidem tam subiecta quàm prædicata, trium omnino generum. S. Quæ sunt genera subiectorum? G. Personæ, res, & earum circumstantiæ, ad quæ tria redeunt omnia de quibus leges feruntur. S. Quæ prædicatorum? G. Status coniecturalis, an dictum, factum, vel cogitatum quid sit; definitiuus, quid sit, quod nomen habeat, & quam descriptionem; & iuridicialis, quale quid sit, iustumne, an iniustum, an neutrum: quibus tribus siue ter tribus comprehenduntur omnia quæ legibus describuntur. S. Quod ex subiecto pariter & prædicato existit, quidnam est? G. Ipsa legis substantia, qua circa personas, res, & earum circumstantias decernitur, an sint, quid sint, & quales sint: vt, pater præsumitur diligere filium: nuptiæ sunt viri & mulieris coniunctio: ex sacro furari grauius, quàm ex profano. S. Dehinc virtutes legis quænam sunt? G. Quæ secundum ea quæ supra tradita sunt, è substantia erumpunt. ac sunt, imperare, vetare, permittere. S. Quænam imperantur? G. Iusta, quæ facienda sunt. S. Quæ vetantur? G. Iniusta, quæ non facienda. S. Quæ permittuntur? G. Neutra, quæ licita. S. Probè dicis. G. Et quidem tanta est inter virtutem legis, & substantiam cognatio, vt licet vnum ex iis dumtaxat ponatur, alterum mox ex eo intelligatur; sic vt si secundum substantiam aliquid iustum esse, & fieri debere dicatur, perinde atque si iustum esset habeatur, & è contrâ, si vti fiat secundum virtutem iubeatur, non secus atque si iustum esse, & fieri debere, declaratum sit, putetur: tantumque hoc interest, quoddam substantia ad res de quibus lex fertur, virtus autem ad homines quibus fertur, propriè pertinet. S. Iam reliqua quæ cum substantia & virtute sunt coniuncta,

functa, quænam sunt? G. Diuersæ formæ, & gradus legum, de quibus deinceps sequitur vt tractemus, si vnum circa partes prius admonuerimus. S. Quidnam autem? G. Nempe licet plenè perfecteque legis tres illæ partes sint quas diximus, proœmium, constitutio, & sanctio: multas tamen leges existare, vbi non omnes tres, sed duæ dumtaxat, vel vna etiam reperiat, siue proœmia dûtaxat sint, cuiusmodi sunt exhortationes ad virtutem; siue constitutiones, vt plerumq. fit, siue sanctiones, cuiusmodi sunt iudicia pœnalia. S. Sic est. G. Et quidem cum hinc leges aliæ simplices dicantur, aliæ pœnales; à statibus leges aliæ iuris sunt, aliæ facti, & à virtutibus alia iussa affirmatiua, alia vetita negatiua. S. Post species & partes legis, nunc de formis eius quidnam habes dicere? G. Enimvero, hæ trium omnino sunt generum. S. Cedo quorum? G. Nam omnes formæ vel internæ sunt, vel externæ, vel mediæ. S. Quæ sunt internæ? G. Quod leges aliæ sunt, quæ quid constituunt, vt plerumque fit; aliæ quæ tollunt, vt de lege Fusia tollenda; aliæ quæ mutant, vt de vsucapione transformanda. S. Quæ mediæ? G. Quod leges aliæ loquentes sunt, vt magistratus, qui primarij sunt; aliæ mutæ, vt leges constitutæ, quæ secundariæ, nempe ad quas propter hominum imbecillitatē peruenitur; aliæ mixtæ, vt iudicia per quæ magistratus leges mittunt executioni. Et quidem leges mutæ, primùm vel scriptæ sunt, vel non scriptæ, quæ in consuetudine positæ sunt, siue per se natæ tacito Dei iudicio, vel ductu naturæ, vt sæpe fit; siue à legislatore latæ, vt nonnumquam accidit: nam Deum & naturam hominem imitari, suprâ traditū est: deinde partim expressæ, vt cõmuniter euenit; partim tacitæ, veluti quod omnis Christi actio, nostra est institutio. Tum aliæ claræ & apertæ, vt pleræque omnes; aliæ ænigmatibus inuolutæ, cuiusmodi multæ erant in lege Mosaica: quod & parabolæ Euangelicæ referri possunt. S. Quæ denique externæ? G. Quod omnis lex partim directæ est, quæ recta via disponit quod vult, vt plerumque fit; partim indirectæ, quæ per circuitionem id facit: quæ tum quidem iudicialis est, veluti cum quod iure actionis fieri non potest, per exceptionem efficitur, vel ope fit magistratus, vt cum à Prætorè in integrum quis restituitur, vel per fictionem legis, vt quod postliminio reuersus, in vrbe semper fuisse censetur: partim mixta, cum lex & directæ simul est, & indirectæ, quod tum quidem per ipsius legis fit temperationem, veluti quod filij quidem sponsam duci posse declarat, sed dissuadet tamen ne fiat; tum autem ope etiam magistratus, veluti cum pupillo ita rem gerere permittitur, si auctoritas tutoris accedit; tum vero iudicij quoque auxilio, veluti cum prædia juniorum ita demum rectè alienantur, si decretum Prætoris intercedat. S. Restat de gradibus legum vt exponas. G. Ita est. Et quidem hi vel in substantia legis insunt, vel in virtute, vel in vtroque, prout de formis suprâdictis quoque contingit, ex quibus internæ, substantiæ sunt; externæ, virtutis; & mediæ, vtriusque. S. Qui sunt gradus qui in substantia insunt? G. Quod leges aliæ veræ sunt, aliæ verisimiles, aliæ apparentes. Nam cum lex sit ratio, vt antè dictum est, & rationes aliæ sint demonstratiuæ, siue veræ; aliæ probabiles, siue verisimiles; & aliæ apparentes; ex quibus primæ pro anima sunt, sequentes pro corpore, & vltimæ pro vmbra: fit, vt legum totidem sint gradus. S. Qui sunt in virtute? G. Quod leges tum quidem remissæ sunt, quæ infimi sunt gradus; tum autem mediæ, quæ superioris; tum verò intensæ, quæ supremi: idque siue iussionem spectes, siue prohibitionem, siue permissionem. Iussionem, veluti, consulo, hortor vt facias, quod primi gradus est; mando, volo vt facias, quod secundi; & dico, edico vt facias, quod tertij. Prohibitionem, veluti, dissuadeo ne facias, quod infimi gradus est; nolo vt facias, quod superioris; prohibeo ne facias, quod supremi. Atque ab his quidem gradibus quædam ita dicuntur prohiberi, vt tamen facta teneant; quædam ita, vt si contrâ fiat, pro inutiles, perperam facta, vel rescissione digno habeatur; quædam ita vt quod contrâ factum erit, nullum, vel etiam supplicio dignum censeatur. At quantum ad permissionem attinet, quæ conuiuentibus oculis per dissimulationem tolerantur, primi gradus sunt infimi; quæ permittuntur quidem, sed tamen dissuadentur, secundi superioris; quæ simpliciter & absolutè permittuntur, tertij supremi. S. Qui sunt gradus substantiæ pariter & virtutis? G. Quod leges aliæ maiores sunt, quas oportet facere, veluti cum dicitur in Euangelio: Quod est præceptum magnum in lege? aliæ parvæ, quas non omittere; de quibus dicitur: Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis: & aliæ mediæ inter vtrasque interiectæ; cuiusmodi sunt consilia. Quas omnes tum quidem ex substantia metimur, prout res legibus subiectæ maiores sunt vel minores; tum autem ex virtutibus, quatenus mandata & vetita intensiora sunt, aut remissiora; tum verò ex vtrisque, vt plerumque accidit.

Qua vis legis, & effectus.

TITVLVS XXII.

S. **D**IXISTI quid sit lex, & quomodo diuidatur: nunc, quamvis eius sit & effectus, reddito. **G.** Enimverò cum lex mediâ sit inter iustitiam & temp. interiecta, vt supra diximus, vna vis eius est, vt iustitiam in republ. inducat, altera, vt republ. ad iustitiam adducat, & tertia, vt vnâ cum aliâ coniungat. **S.** Quomodo iustitiam in republ. inducit? **G.** Quatenus lex iustitiæ vox est, & verbum in republ. constitutum, denunciâs quid circa quamque rem iustum sit, vel non sit. Vnde Mercurium, qui legem significat, iustitiam in republ. intulisse in Protogora proditur, & apud Dauidem, omnia mandata Domini, veritas, æquitas, & iudicium, quæ partes sunt iustitiæ, appellantur, constatq; veram legem Christum, veram demum iustitiam circa quamq; rem demonstrasse. **S.** Quomodo republ. ad iustitiam adducit? **G.** Quatenus lex hominis intelligentiam, voluntatē, & memoriâ, per doctrinam, disciplinam, & vsum quotidianū ad iustitiam informat. Vnde in Psalmis, Bonitatem, inquit Dauid, & disciplinam, & scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi. Item: Lex Domini immaculata, conuertens animas. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Præceptum Domini lucidum, illuminâs oculos: Testimoniū Domini fidelem, sapientiam præstans paruulis. Et in Euangelio, Christus, verus magister & Dominus dicitur. & ipse de se loquens, Ego sum lux mundi, inquit, qui sequitur me, non ambulat in tenebris. **S.** Quomodo deniq; vnâ cum alio coniungit? **G.** Quatenus homo legi, tanquam vinculo cuidam & neruo, quo ipse & iustitia inter se connectuntur, adhærens, iustitiæ particeps efficitur. Quod quidē cum per alias leges imperfecte fiat, & inchoate, per vnū Christum, verum Verbum, plenè fit, ac perfecte. Vnde in Psalmis, iudem qui iustitiæ, legi quoq; effectus attribuuntur. **S.** Quî sic autem? **G.** Nam & vitâ illi tribuitur, vt: Adhæsit paup̄m eto anima mea, viuifica me secundū verbū tuum. Vocatq; Dominus seipsum panē, & vitam, Item pax, vt: Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. & Dominus, Pacem meâ, inquit, do vobis. Tum rerum omnium copia, & abundantia, cum suavitate ac lætitia coniuncta, vt: Iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda. Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa, desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel, & fauum: Et Dominus: Iugum, inquit, meum suauē est, & onus meū leue. Et denique summa beatitudo, vt: Beati immaculati in via, qui ambulât in lege Domini: Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum. Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius. & Dominus, Beati, inquit, eritis, cum oderint vos homines, & persecuti vos fuerint, propter me filium hominis. Plura non addo, quia ex his quatuor reliqua dependent, vt passim videre licet.

Quid legi contrarium.

TITVLVS XXIII.

S. **N**IGITUR quidnam legi contrarium sit, deinceps tradito. **G.** Sanè cum ea propriè lex sit ac dicatur, quæ à iustitia manat ac profluit, vt dictum est, eius contrarium esse dicimus, legem iniustitiæ, quam ob id legem peccati Paulus vocat, his verbis: Igitur ego ipse mente seruo legi Dei, carne autē legi peccati. Item: Lex spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati. **S.** Intellego. **G.** Dicitur etiam lex carnis, siue membrorum, tanquam contraria legi spiritus Dei. Quod ostendit idem Paulus, cum ait: Condelector enim legi Dei, secundū interiorem hominem: video autem aliam legē in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. **S.** Teneo. **G.** Vocatur quoque lex mortis ab eodem Paulo, cum dicit: Nunc autem soluti sumus à lege mortis, in qua detinebamur, quia quemadmodū iustitiæ præmium est vita æterna, ita peccati præmium est mors. **S.** Quid hanc legē iniustitiæ, quoniam modo describis? **G.** Sane cum supra dictum sit, legem iustitiæ, verbum veritatis esse, immaculatum, & in se iustificatū, quod ostendit Dauid, cum ait: Iustitia tua iustitia in æternū, & lex tua veritas: Item: Lex Domini immaculata est, & iudicia eius vera, iustificata in semetipsa: hæc contra lex est falsi ac mendacij, quemadmodum diabolus, auctor ipsius, iam inde ab initio mēdax est, & homicida. **S.** Rectè. **G.** Atque inde quidem fit, quòd fabulæ nomen in Psalmis illi tribuitur, cum scribitur: Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua. & panno menstruato similis dicitur, nullis nitens veris principiis, ex fontibus aquæ viæ deductis. quod ostendit Propheta, cum ait: Me
relique-


reliquerunt fontem aquæ viuæ, & sequuti sunt cisternas ruptas, quæ nequeunt aquam continere. Nam lex iniusta quantumcumq. magnis præfidiis sepiatur, ad extremum tamen eueritur. S. Probè dicis. G. Et quidè cum leges ex iustitiæ fontibus deriuatæ, ex ore Dei proficisci dicantur, contrà qui leges iniustas constituit, non Dei, sed suo ore loqui dicitur, suisq; niti inuentionibus, ex ambitionis, libidinis, & auaritiæ fontibus deductis. cuiusmodi sunt omnes leges tyrannorum, & hypocritarum, quæ non ad iustitiam in rempubl. inducendam, sed ad opinatum ac falsum commodum eorum qui illas condunt, diriguntur. vt apud Platonem, & Aristotelè, ac maximè quidem in Euangelio videre licet. S. Ita res est. G. Et verò cum duæ istæ leges contrariæ, iustitiæ vna, & iniustitiæ altera, sic se habeant, vt simpliciter & absolutè vna sit bona, altera autem mala; quæcumque leges ex iis quæ media inter iustum & iniustum interiecta esse diximus, ducuntur, ita se habent, vt cum suapte natura sint indifferentes, bonæ fiant quatenus ad iustitiam referuntur; malæ autem quatenus ad iniustitiam; & mixtæ quatenus ad vtrumque: quod quidem sepius vltimè vsu venit; quoniam vix vlla lex humana tam iustè scribi potest, quæ non aliquid iniusti, vt apud Chrysippum est, secum trahat.

Quæ præcepta legis.

TITVLVS XXIIII.


S. **S**UPEREST de præceptis legis vt exponas. G. Sic est: & quidem hæc sunt dictata ipsa, & iussa legis, quæ ab ea proximè emanant, tum quidem à iustitia ipsa tracta, tum autem homini ac reipubl. accommodata, vt vnum cum alio coniungatur. S. Capiò quod dicis. G. Ac spectantur autem hæc omnia, tum quidem vniuersaliter, secundum monadem; tum autem generaliter, secundum binarium numerum; tum verò specialiter, secundum ternarium, tum deniq; particulatè, secundum quaternarium. adeò nihil est, omnibus his in rebus, quod non numeris hisce constet, vt iam sæpe vidimus. S. Quod autem vocas præceptum vniuersale? G. Quo docetur, nihil homini magis esse proprium quam iustitiam, ad quam solam colendam à Deo fabricatus, & in hoc mundo tanquam templo constitutus est. S. Quæ sunt præcepta generalia duo? G. Recedere à malo, cum ab iniustitia quis se auertit: & facere bonum, cum ad iustitiam se conuertit. S. Quæ specialia tria? G. Voluntatem habere constantem & perpetuam, secundum priorem partem definitionis iustitiæ, honestè viuendi, alterum non lædendi, ius suum cuique tribuendi: quod tum quidem principiis Ethicis constat, quæ à voluntate bona, per pulchrum profluunt; tum autem Physicis, quæ à potentia eius quod est, per constans; tum verò Logicis, quæ à scientia veri, per perpetuum: de quibus posterius latius explicabitur: hinc autem attigisse, & tanquam intento in fontem digito demonstrasse fat est. S. Quæ particularia quatuor? G. Vt secundum posteriorem partem definitionis iustitiæ reipla ius suum cuique tribuamus, nempe Deo suprà, animatibus infrà, nobis ipsis, inter vtrosque mediis interiectis, operam porro dantes. vt non minus in proximos quàm in nos simus animati, siue maiores illi sint, siue minores, siue æquales. Atque id quidem omne secundum principia Mathematica, ab hac secunda parte iustitiæ profluètia, efficiendo per ea, vt quod non est existat, quod monadis est; & distinguendo confusa, quod binarij numeri; & redigendo in ordinem inordinata, quod ternarij; & conciliando ea quæ dissident, quod quaternarij, vt suprà quoque tactum est, & post latius dicetur. S. Rectè. G. Atque hoc quidem modo omnes iuris ac legum fontes, tum quidem quaternario numero constant (nam cuncta præcepta, alia vniuersalia, alia generalia, alia specialia, & alia particularia esse iam vidimus) qui quidem numerus, & iustitiæ proprius est, vt antè dictum est, & homini: vnde qui quarto loco in mundo natus est, Enos, hoc est, homo per excellentiam vocabatur, sic vt iustitia & homo per hunc numerum vtrique congruentem coniungantur. S. Intelligo. G. Tum autem denario numero: nam vnum præceptum vniuersale, duo generalia, tria specialia, & quatuor particularia sunt decem. Quem quidem numerum, & ipsum homini pariter & iustitiæ congruere inde constat, quod, vt Philo scribit, decimus homo à Deo, Noe, primus iustus vocatus est: nam Noe iustum & pacificum proprie significat. Nec aliud pertinet, quod tum quidem prima iustitiæ præcepta in paradiso, tum autem legis Mosaicæ, tum verò legis gratiæ denario numero continentur, vt post videbimus.

LIBER SECVNDVS.

S.  VONIAM de ea parte theoreticæ Nomotheticæ accepimus, quam simplicem vocasti; quid, de ea quæ coniuncta dicitur, visne porro te interrogem? G. Volo equidem, & sanè si superior rerum diuinarum ex intima penitus philosophia deductarum tractatio non in iucunda nec instructuosa visa est: hæc ob rerum humanarum descriptionem, quas à primis naturæ humanæ incunabulis repetit, & ad vltimum vsque deducit, non minorem voluptatem & fructum adferet. S. De ea quidnam autem tractandum proponis? G. Primùm quidnam coniuncta theoreticæ sit exponam: deinde quas partes habeat: vnde reliquus porrò sermo necetur.


De coniuncta parte theoreticæ.

TITVLVS I.

S.  RGO coniuncta hæc pars theoreticæ quænam autem est? G. Quæ de iis de quibus hæctenus separatè distinctèque tractatum est, republica dico, iustitia, & lege, coniunctè tractat, & quo pacto se habeant inter se demonstrat. S. Intellego. G. Idque haud aliter atque si membris humani corporis primùm separatè cognitis, post in vnum ea componas, & quænam conuenientia, & mutuus vsus inter ea sit, ostendas. S. Teneo. G. Adèd vt summa huius coniunctæ partis in hoc tota consistat, vt quonam modo respublica, iustitia, & lex se habeant inter se, vt dictum est, declaretur.


De diuisione coniunctæ partis theoreticæ.

TITVLVS II.

S.  VID, hanc partem coniunctam quonam modo partiris? G. In partem vniuersalem, generalem, & specialem. S. Quæ est pars vniuersalis? G. Quæ vniuersaliter demonstrat, quænam inter rempublicam, & iustitiam, legemque sit congruentia. S. Quæ generalis? G. Quæ ad diuersa vitæ humanæ genera descendens, ostendit quot modis homo siue respublica ad iustitiam ac legem se habeat: quæ ratio latissimè patet, & in multa diffunditur. S. Quæ specialis? G. Quæ causas aperit ex quibus ea homini contingunt, vt hoc vel illo modo circa iustitiam per legem sit affectus. Nos de singulis particularè secundùm propositum ordinem trademus.

De parte vniuersali.

TITVLVS III.

S.  GITVR quantum ad vniuersalem partem attinet, quænam inter rempublicam, & iustitiam, legemque ratio est ac congruentia? G. Enim vero quoniam quod in mundo spectabili est Sol, & eius splendor, hoc in mundo intelligibili, ac republica, iustitia est, & lex. id exemplar si sequamur, planè nobis ostendet, quænam inter hæc tria sit conuenientia. S. At quonam tandem modo? G. Etenim de Sole quid? ane ita se res habet, cum ille suprâ sit in cælo; vnde nunquam descendit; infrâ autem sint terræ, & maria, in quibus degimus, quæ nunquam ascendunt; in medio splendorem esse ab ipso erumpentem, & ad terram vsque pertingentem, per quem fit vt inferiora solis fiant participia? S. Omnino. G. Igitur de iustitia eodem modo statue, nempe cum illa suprâ sit, in vno Deo, quem solum plenè perfecteque iustum, vel potius ipsam iustitiam esse constat, vnde nunquam descendit; infrâ autem homo & respublica, quæ per se iusta non est, nec vnquam ad Deum ascendit: in medio esse legem, quæ à Dei iustitia erumpens, ad rempublicam vsque pertingit, cui si quis adhæreat, iustitiæ particeps efficitur. S. Intellego. G. Nam cum lex à iustitia nunquam separetur, vt dictum est, eiusque sit vera proles, & quasi mensura ac regula: consequens est, vt qui

vt qui ad legem se applicat, iustitiæ quoque eadem opera adhaerescat. Nam secundum regulas Geometricas, quæcunque vni & eidem sunt æqualia, inter se sunt æqualia. Et cum de Zacharia & vxore eius dicitur in Euangelio, iustos ambos fuisse ante Deum, vt quo pacto id fieret ostendatur, additur: Incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini, sine querela. nam lex iustificatio in sacris literis ob id vocatur, quoniam iustos efficit eos qui secundum eius præcepta viuunt, vt supra tactum est. S. Verum. G. Atque est quidem hic homo (quemadmodum modò dictum est) ad hoc propriè nat us ac conditus, vt legi ac verbo Dei adhaerens, iustitiæ eius particeps efficiatur: à quo qui dem cum se auertit, & ad legem iniustitiæ & peccati se conuertit, contra iniustitiã repletur. quam tanta est turpitude iniustitiæ, vt nemo eam clarè ac manifestè præ se ferre velit, sed vmbri quibusdam & imaginibus iustitiæ eam semper tegat, aded vt iustitia tribus omnino modis alicui adesse comperiatur. S. Cedo autem quibus? G. Primum verè & per se, quod vni Deo conuenit, qui solus plenè perfectèque bonus est, & iustus; quo modo accipiendum est, quod in Euangelio dicitur, Pater iuste. Nihil tibi & iusto illi. Peccaui, tradens sanguinem iustum. Innocens ego sum à sanguine iusti huius. Verè hic homo iustus erat, cum similibus, vbi Deo iustitia tribuitur. S. Rectè. G. Deinde per participationem, quod hominis est proprium; quo quidem modo scribitur in Euangelio, Et erant ambo iusti ante Deum. Ioseph quia erat vir iustus. Ioannes vir sanctus & iustus. S. Probè. G. Tum per simulationem, quod est diaboli, & imitatorum ipsius; de quibus dicit Euangelium: Qui se simulabant iustos. Qui in se confidebant tanquam iusti. cum similibus. Quo quidem modo è contrario & Deo similitudo quædam mali attribuitur (quanquam re ipsa, summa eius sit bonitas) apud Dauidem, cum ait: Et cum viro innocente innocens eris, & cum peruerso peruerteris.

De parte generali.

TITVLVS IIII.

S. **N**AM de generali parte quid ais? G. Hæc in eo consistit, vt sciamus quòs modis homo siue respublica familiæ (omnia enim eodem redeunt, cum sint alia ex aliis expressa) circa iustitiam & iniustitiam, per legem vtriusque se habeat. in qua re tria sunt spectanda. S. Cedo quæ? G. Status hominis, rerum qualitates, & gradus iustitiæ in hominibus & rebus. S. Quos vocas status hominis? G. Integrum totius hominis ad iustitiam & iniustitiam habitum. S. Hi autem quotnam sunt? G. Tres omnino, & non amplius. G. Quid ita verò? G. Nam cum eius sint extrema, iustitia & iniustitia, quæ suam quæque legem sibi habent coniunctam: sit necessariò, vt homo, vel legi iustitiæ adhaerens, iustitiæ ex toto particeps euadat; vel contra legi iniustitiæ adhaerens, ex toto fiat iniustus, vel denique partim cum lege iustitiæ, partim cum lege iniustitiæ coniunctus, vtriusque particeps existat. vltra quæ tria, nulla amplius in hoc genere est enumeratio. S. Ita videtur. G. Ac secundum hanc quidem distinctionem triplex omnino hominis ac reipublicæ status inuenitur: primus bonus & iustus, ante peccatum; secundus malus & iniustus, in peccato; & tertius mixtus ex bono & malo, iusto & iniusto, post peccatum. de quibus singulis dicendum nobis est; vt plenè perfectèque, quo pacto homo, iustitia, & lex, se habeant inter se, intelligatur.

De primo hominis ac reipublicæ statu.

TITVLVS V.

S. **D**E primo autem statu quid habes dicere? G. Hunc felicem illum ac beatum statum fuisse aio, in quo homo principio rerum omnium in paradiso degebat, vt in sacris literis est proditum. Ac adumbrant eum Poëtæ per autem sæculi descriptionem; de quo dicendum est, in quonam autem consistebat, qualem hominem efficiebat, & quidnam illi præbebat. S. In quonam verò consistebat? G. In conuersione hominis ad iustitiam Dei, per legem ipsius. ex quo existebat trium sub quaternario, siue nouem sub denario partium hominis, cum tribus siue nouem partibus iustitiæ coniunctio, per tres siue nouem partes legis, vnde efficitur numerus ter nouem, siue ter trium ter, quæ sunt viginti septem: quem perfectionis animi numerum Timæus vocat. S. Quas autem dicis tres siue ter tres hominis partes? G. Easdem quas supra enumerauimus: nempe mentem, in qua sunt memoria, intelligentia, voluntas; animum, in quo ratio, animositas, & cupiditas; & spiritum, in quo facta, dicta,

dicta, & cogitata. Quæ quidem omnes quo pacto ad legem Dei se applicent, demonstrat David his versibus: Memor fui nocte nominis tui Domine, & custodiui legem tuam. Manus tuæ Domine fecerunt me, & palmauerunt me: da mihi intellectum, ut discam mandata tua. Et leuavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi. Et exercebor in iustificationibus tuis. Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in æternum mihi est. Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur: quia in verbo tuo super speraui. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo: In labiis meis pronunciaui omnia iudicia oris tui. Quibus quidem locis clarè videre licet, quo pacto nulla hominis pars sit, quæ non ad legem Dei se applicet. Et verò si totum Psalmum centesimum decimum octauum diligenter inspicias, inuenies omnia quæ circa legis diuinæ complexum luculenter ibi tractantur, vel ad vnum de supradictis referri posse, vel ad eorum contraria, vel ad ea quæ ex iis sunt mixta. S. Quas dicis tres siue ter tres partes iustitiæ? G. Virtutes theologicas, fidem, spem, & charitatem; morales, prudentiam, fortitudinem, temperantiam; & ciuiles, legem, iudicium, & iustitiam minorem; de quibus & ipsis supra est expositum. Ac collocantur quidem virtutes theologice propriè in mente; sic ut in intelligentia fides sit, in memoria spes, & in voluntate charitas: morales in animo; ita ut in ratione sit prudentia, in animositate fortitudo, & in cupiditate temperantia: & ciuiles in spiritu; sic ut iustitia minor cogitationis sit, iudicium facti, & legillatio dicti. S. Quas tres, siue ter tres partes legis? G. Earum fontem supra quidem monstrauius, sed nunc quænam illæ sint; dicendum est, & quam vim habeant, exponendum. S. Quænam autem sunt? G. Quas initio naturæ Deus ipse constituit, & in animis nostris impressit, ex quibus vnum ad Deum supra pertinet, alterum ad mundum infra, tertium ad hominem ipsum, qui in medio inter vtrumque est positus. S. Ad Deum quodnam pertinet? G. Vt illum supra omnia ex toto corde nostro, tota anima nostra, & totis viribus nostris amemus. quod quidem præceptum initio non nominatim expressum erat (nobilius enim est, quàm vt natura hominis integra exprimi deberet) sed sciens homo ad Dei imaginem ac similitudinem se factum esse, prout sacris literis proditum esse supra diximus, sua sponte id intelligere ac facere debebat. estque hoc præceptum caput & princeps omnium, vnde reliqua tanquam ex fonte vberissimo profluunt. S. Ad mundum autem? G. Vt homo tertiam sibi subiciat, dominetur ac præsit piscibus maris, ac volatilibus cæli, & vniuersis animantibus quæ mouentur super terram: nam ita sacræ scripturæ verba statuunt per expressum mandatum. Constatque hinc, hominem partim ad parendum, Deo scilicet; partim ad imperandum, nempe animantibus (quibus & nomina imponebat) creatum fuisse. S. Quid ad hominem? G. Enimvero id partim singulorum est hominum, partim familiæ, partim reipublicæ. nam post Deum & mundum, eodem ordine de homine supra disseruimus. S. Quænam autem singulorum sunt hominum? G. Quoniam dictum est superius, hominem partim pulchri ipsius operibus constare, partim necessitatis; singulis bina præcepta sunt accommodata. S. Quænam autem operibus pulchri? G. Quatenus quidem Dei ipsius imaginem ac similitudinem in mente ac animo gerit, vnum præceptum tacitè illi insitum est, vt se tanquam Dei imaginem propter Deum amet ac diligat: & alterum, vt in proximum, æquè atque in seipsum sit animatus; quoniam & illum eandem Dei imaginem in se habere nouit. S. Quæ operibus necessitatis? G. Quatenus ex terra corpus hominis sumptum est, & exuscitatum in animam viuentem, primùm ad se vitamque tuendam dictum ei est: Ecce dedi vobis omnem herbam ferentem semen super terram, & vniuersa ligna quæ habent in semet ipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam. deinde ad genus suum conseruandum ac propagandum expressim ei dicitur: Crescite, & multiplicamini. Nam cum res istæ inferiores in perpetuo sint motu, & ad interitum rapiantur: necesse est, vt noua appositione & progeneratione conseruentur. S. Quid? de familiâ quid ais? G. De hac duo sunt præcepta: vnum primum, & secundarium altorum. S. Primum quod est? G. Quod Deus ipse constituit, creans hominem marem & feminam; aiebat enim: Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi. vnde post ex costa Adami dormientis, fecit mulierem, & adduxit eam ad illum. S. Secundarium autem? C. Quod ad præcepti Dei imitationem primus homo Adam fecit, dicens: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. S. De reipublica restat vt dicas. G. Ad hanc vnum præceptum expressum pertinet, quod est: Et replete terram. qua de causa accidit quòd homo animal sociale est,

ac con-

ac congregabile : eratque per id tempus totus mundus pro vna magna ciuitate ac republica vniuersorum hominum, qui vnius Dei veri Regis ac Principis imperio parebant, animantibus autem, ac fructibus terræ imperabant, communiterque utebantur, ipsiq. inter se communiter debebant, nec alia re quàm viri & vxoris, parentum ac liberorum, fratrum ac sororum nomine differebant. S. Probè. G. Atque his quidem nouem præceptis accedebat decimum, cuius verba sunt: Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: in quocunq. enim die comederis ex eo, morte morieris. Quod quidem præceptum datum fuit tribus omnino de causis. S. Quæ erat prima? G. Mali mortis vitandi causa, in quam insciens incidere potuisset, si, ne de arbore scientiæ boni & mali comederet, præmonitus non fuisset. Nam quemadmodum scientia boni vitam tribuit per ens internum, vnde Dominus in Euangelio verba vitæ æternæ habere dicitur, quam quidem scientiam homo iam antè habebat, quoniam ad imaginem & similitudinem Dei formatus erat: ita scientia mali cum bono coniuncta (nam alioqui per se non subsisteret) mortem inducit per non ens externum, vnde lex mortis appellata est, quæ vt euitaretur, prohibebat Dominus ne de arbore scientiæ boni & mali homo comederet, addens expressim, non tam sub forma pœnæ per ipsum infligendæ, quàm sub forma rationis legis, ex natura ipsius rei propositæ deductæ, alioquin forte vt morte moreretur. S. Quæ secunda? G. Boni vitæ beatæ, cum simplicitate & tranquillitate conseruandi gratia. Quæ quidem res in eo consistit, vt solum bonum contemplando, scientiæ mali quàm maximè quis sit expers, quippe de qua dicitur: Qui addit scientiam, addit dolorem. pertinetque huc quod de Adamo & Eua antè peccatum scribitur: Erat autem vterque nudus, Adam scilicet & vxor eius, & non erubescabant. nempe quoniam mali & peccati conscientiam, vnde erubescencia oritur, nullam habebant. nam nuditas per se mala non est, nisi cum malo sit coniuncta. S. Quæ tertia? G. Ad periculum faciendum, ecquid homo verè Deum amaret, quod in eo potissimùm consistit, vt non solum præceptis, sed & simplicibus verbis, atque adèd opratis illius obtemperet, ponens voluntatem suam in voluntate illius, quoniam amans amati anima, non sua, viuit. vnde Dominus: Vos, inquit, amici mei eritis, si feceritis ea quæ dixero vobis. A quo quidem qui aberrat, meritò peccare, & à lege Dei fornicari dicitur: cuius præmium est, eiecchio à facie illius, ipsaque adèd mors, tam ex natura ipsius rei commissæ, quàm doloris, quem ipse sibi peperit, vt dictum est, nec non inobedienciæ erga eum à quo vitam accepit, quæ ob ingrati tudinem utique ei debet auferri. Atque id quidem eo magis, quòd cum præceptum in omittendo consisteret, quod minus est, peccatum perpetrari debebat per commissionem, quod maius, idque prædicta pœna, quæ secutura erat, quod maximum. S. Perpulchrè sanè. G. Atque hoc quidem modo videmus, cum primi huius status præcepta numero sint nouem, illis accedere decimum, quod conclusio & complementum est reliquorum. S. Verum. G. Circa quæ quidem omnia, primùm notandum est, alia ex iis diuiniora, nempe tacita esse, vt diximus, quoniam nobiliora erant, quàm vt exprimi deberent, sed oportebat vt homo, cognoscens fabricam suam, per se ipse ea perspiceret, & quid circa Dei, sui ipsius, & proximi amorem facere debeat, intelligeret; alia autem expressa, cuiusmodi sunt quæ ad dominatum mundi, propagationem sobolis, & constitutionem, reipublice pertinent: alia media, non omnino expressa nec tacita, quæ sunt quæ escam, adiutorium viri & vxoris, & eorum indiuiduam societatem spectant. S. Rectè. G. Item alia ex iis iussiones esse affirmatiuas, alia prohibitiones negatiuas, addita pœna, siue potius ratione pœnali, si contra factum erit: alia permissiones, per simplicem narrationem. S. Scitè. G. Ad hæc alia diuina esse, quæ ad Deum referuntur, & soli homini conueniunt, alia naturalia, quæ cum animantibus nobis sunt communia: alia ciuilia, nempe, ab homine ad imitationem Dei ac naturæ constituta; sic vt primæ Jurisprudentiæ, atque legibus origo hinc ducatur. S. Sic est. G. Quæ quidem omnia diligenter notanda, & in memoria habenda sunt, vt obseruetur quo pacto, quicquid est omnino legum ac constitutionum inter mortales, ex his fontibus manarit, idque siue leges ipsas species, siue formam tantum. Sed nunc redeat, vnde deflexa est oratio. S. Id autem quidnam est? Anne vt, postquam iam dixisti in quonam primus hominis status consistat, qualem hominem efficit, exponas? G. Id ipsum, & quidem generaliter, vis & effectus huius rei est, quòd qui sic est affectus, plenè perfectèque iustus dicitur, habens constantem & perpetuam in mente voluntatem, cum animi & spiritus viribus coniunctam, ius suum vnicuique Deo nempe, mundo, & homini, ad quos omnes virtutes referuntur, secundum legis præcepta tribuendi, vnde quæ speciatim sequuntur, sunt, vt Deo quàm simillimus sit, secum ipse consentiens, aliisque qualem oportet se præbens, nec non verè denique se hominem ostendens. S. Cur

Deo simillimus? G. Quia nihil Deo, inquit Plato, similius, quàm homo iustus. Quod quidem ea re contingit, quoniam cum homo per hoc iustus fiat, quia in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditatur die ac nocte, sic ut vnus & idem cum eo efficiatur, & constet legem Dei, ipsius veram esse imaginem, vnâque cum eo substantiam: vtrique sequitur, cum qui cum lege vnus est, eandem quoque imaginem ac similitudinem induere. Cui & hoc accedit quod cum tres intimæ partes hominis, memoria, intelligentia, voluntas, ad imaginem Dei Patris, Filij, & Spiritus sancti sint expressæ; tum demum reuera imaginem istam referunt, cum ad exemplar suum, per fidem, spem, & charitatem conuersæ, non solum diuinitatis ipsius radios in se recipiunt, sed & idem quodammodo cum iis efficiunt: vnde qui ita affecti sunt, etiam dii in sacris literis appellantur. S. Quamobrem secum ipse intus consentiens? G. Quia per obseruationem legis Dei fit ut tres illæ partes hominis, in quibus similitudo Dei inest, ut supra dictum est, ratio nempe, animositas, ac cupiditas, suum quæque officium, per prudentiam, fortitudinem, & temperantiam peragât, sic ut ratio imperet, pareat cupiditas, & tam pareat quàm imperet animositas, vnâque suauissimam illam harmoniam excitent, quæ tribus fidibus constans, Hypate, Mese, ac Nete, Diadiapason siue Diapason cum Diatessaron medio interiecto, ut supra diximus, vocatur: vnde summa concordia in animo existit, & rerum omnium consonantia, quam ad mentem quoque ac spiritum transferre non est difficile, cum eadem vbique sit ratio. S. Cur aliis ita uti oportet se præbens? G. Nam qui mente & animo ita uti diximus affectus est, idem ei & circa spiritum accidere necesse est, quem imaginem pariter ac similitudinem Dei gerere, & factis, dictis, cogitatis constare, supra diximus. Quibus quidem cum suum cuique, secundum legem, iudicium, & iustitiam præstat, sic ut neque cogitato, neque dicto, neque facto cuiquam malefaciat; sed contrà omnia in omnes beneficia, cogitando, eloquendo, & faciendo congerat; fit ut non modò secum, sed & cum aliis consentiat. S. Cur denique reuera hominem his rebus ipsum se ostendere ais? G. Etenim cum homo ad id propriè conditus, & in lucem editus sit, ut virtutem colat, caput autem & parens omnium virtutum sit iustitia: fit, ut iustitiam colendo, omnes virtutes in se habeat, & quod verè ei proprium est, agat. Nam cum in mente sint fides, spes, charitas; in animo prudentia, fortitudo, & temperantia; & in spiritu lex, iudicium, & iustitia minor, ut dictum est: iustitia vniuersalis quarto loco, si singulos ordines spectes; & decimo, si vniuersos, his accedens, pulcherrimum illum chorum omnium virtutum efficit, quem nouem Musis & Apolline constare supra demonstrauimus. S. Perpulchrè sanè. G. Et quidem quod in corpore facit sanitas, per quam fit ut omnia membra suam propriam actionem exerceant, hoc in anima (sub qua omnes suprascriptas partes iam comprehendimus) facit iustitia, quæ ut quæque pars sua propria actione fungatur efficit. S. Optimè. G. Imò cum in homine hæc tria insint, animi bona, corporis, & externa, ut supra dictum est: facit hæc eadem iustitia, ut omnia inter se conueniant ac consentiant, sic ut externa bona ad bona corporis; bona corporis ad bona animi, & bona animi ad Deum, eiusque iustitiam referantur. S. Perbellè. G. Atque hæc quidem cum in vno homine ita se habeant, in familia quoque idem accidere necesse est, quæ ex pluribus constat hominibus. S. Præclare. G. Nec non in republica, quæ ex pluribus familiis conflata est. nam cum singuli bene se habent, & plures & vniuersos bene se habere necesse est, estque vnus & eiusdem hominis, & se, & familiam, & rem publicam bene moderari. S. Superest ut quidnam ista in primo hæc statu homini præbebant, exponas. G. Quæ nimirum Moyses commemorat his verbis: Plantauerat autem Dominus Deus paradysum voluptatis à principio; in quo posuit hominem quem formauerat: produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchritum visu, & ad vescendum suaue; lignum etiam vitæ in medio paradysi, lignumque scientiæ boni & mali. Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradysum, qui inde diuiditur in quatuor capita: nomen vni Phison, ipse est qui circuit omnem terram Heuilath, vbi nascitur aurum, & aurum terræ illius optimum est, ibique inuenitur Bœthium, & lapis Onychinus: & nomen fluuii secundi Gehon, ipse est qui circuit omnem terram Ethiopiæ: nomen vero fluminis tertij Tigris, ipse vadit contra Assyrios: fluuius autem quartus, ipse est Euphrates. Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradysum voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum. S. Probè. G. Sed & Hesiodus & Aratus sub aurei sæculi nomine hoc tempus describentes, summam eius felicitatem eam memorant; quos imitatus Ouidius, in hunc ferè modum canit:

*Aurea prima facta est ætas, qua vindite nullo,
Sponte sua, sine lege, fidem rectumque colebat.
Pana metusque aberant, nec verba minantia fixo*

*Aere ligabantur, nec supplex turba timebat
 Indicus ora sui, sed erant sine iudice tui.
 Nondum caesa sui, peregrinum ut viseret orbem,
 Incontibus, in liquidas pinus descenderat undas,
 Nullaque mortales præter sua littora morant.
 Nandum præcipites cingebant oppida fossæ.
 Non tuba directi, non aris cornua flexi,
 Non galea, non ensis erat: sine militis usu
 Mollia secura peragebant atia gentes.
 Ipsa quoque immunus, rastroque intacta, nec ullis
 Saucia vomeribus per se dabat omnia tellus.
 Contentique cibus nullo cogente creatis
 Arbutos fatuus, montanæque fraga legebant,
 Cornaque & in duris hærentia mora rubetis,
 Et qua deciderant patula Iouis arbore glandes.
 Ver erat æternum, placidæque tepentibus auræ
 Mulcebant Zephyri natos sine semine flores.
 Mox etiam fruges tellus inarata ferebat,
 Nec renouatus ager gravidis cænebat aristas,
 Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant,
 Flauaque de viridi manabant ilice mella.*

De secundo hominis ac reipublicæ statu.

TITVLVS VI.

S. VANDO QUIDEM de primo hominis ac reipublicæ statu dictum est; age, nunc de secundo, si placet, exponito. **G.** Enimvero hic superiori totus erat contrarius: cæterum, vt clarè distincteque procedamus, primum generaliter dicam in quo consistat, & quam vim habeat; deinde particulatè. **S.** In quo autem consistit? **G.** Primum in auersione hominis à Deo, & iustitia, legeque eius; tum in conuersione ad aduersarium eius diabolum; illiusque iniustitiam, parendo legi ipsius, quam peccati & mortis ex Paulo supra vocauimus. **S.** Intellico. **G.** Atque hoc modo tenebras ille magis amans quàm lucem, pro rerum veris speciebus ac ideis, umbras earum & imagines amplectitur; quæ licet ipsæ per se malæ non sint (sunt enim à Deo condite) ipsum tamen amplecti eas, relicto Deo, est malum. **S.** Probè. **G.** Nam vt pro adiectitiis ea habere minimè vituperatur, quoniam naturaliter euenit, vt qui ad solem conuersus est, umbram post se iaciat: ita pro principalibus ducere, cum summo malo est coniunctum. nam principaliter quærendum est regnum Dei, & iustitiâ eius. quod cum fiet, reliqua vltro adiciuntur nobis. **S.** Jam hæc res quidnam in homine efficit? **G.** Hoc primum, quod Dei imaginem in eo obscuret, ipsumque densissimis inscitiz in intellectu, obliuionis in memoria, & libidinum in voluntate tenebris inuoluat. **S.** Audio quid dicas. **G.** Deinde, quod pro suauissima illa rationis, animositatis, & concupiscentiz harmonia, summam dissonantiam, totiusque animi perturbationem inducat, sic vt secum ipse semper dissideat. **S.** Intellico. **G.** Tum, vt cum neque facta dictis, neque dicta cogitatis respondeant, nemini ius suum tribuat, sed cuncta cunctis auferat, & ad se traducat. **S.** Probè. **G.** Idque siue secum agat, siue cum aliis contrahat, siue legi Dei, & nature parendum sit, siue aliis imperandum, & nouæ leges condendæ, quas quidem non ex lege Dei depromit, sed ex lege mortis ac peccati, vnde existit iniustitia, quæ pannò menstruatæ similis dicitur: de qua Paulus loquens, Qui legem Dei deserit, inquit, vt suam constituat, legi Dei non est obnoxius. Ac sunt eiusmodi plantationes non ex plantatione Dei Patris, sed ex inuentionibus diaboli, quas eradicandas fore Dominus tradit. **S.** Hæc cum generaliter ita se habeant, quid iam particulatè, in quo consistebat secundus hic hominis & reipublicæ status, & quænam erat illa lex peccati, per quam à Dei iustitia legeque se abstrahebat? **G.** Enimvero vt legis iustitiæ summum caput est amor Dei, vnde reliqua omnia dependent ac profluunt: ita summum caput legis mortis ac peccati est amor sui, cum ab amore Dei per fornicationem quis recedens, seipsum & sua tanquam Deum amat, ac colit: prout ex eo apparet, quod serpens Euz dicebat: Nequaquam moriemini; sed eritis sicut dii, scientes bonum & malum. proficisciturque hinc quod in sacris scripturis dicitur, Quorum Deus venter est. & quod avari idolorum cultores dicuntur. Quo-

niam vti secundum legis Dei præscriptionem bona externa ad bona corporis, bona corporis ad bona animi, & bona animi ad Deum, & eius iustitiam referuntur, vt diximus: ita contra, lex Diaboli à Deo nos auertens, facit vt nos ipsos pro diis colamus, idque tum quidem circa animi bona, cum sicut dii esse cupimus, scientes bonum & malum; tum autem circa bona corporis, cum ventrem deum facimus; tum verò circa bona externa, cum per auaritiam idola colimus. S. Rectè. G. Atque hoc quidem amore exorto, qui diaboli est; mox alterum, qui Dei est, occidere necesse est: vnde reliqua quæ inde dependent, consequuntur. Nam qui sic se instituit, vt omnia sui causa faciat; neque Dei rationem amplius habet, neque rebus inferioribus rectè vtitur, neque hominibus ius suum vt oportet tribuit. Ac cum verus sui amor, ex amore Dei sit dimetiendus; nec seipsum quoque rectè amat, siue victum spectes, siue propagationem sobolis, siue res externas, ad vtrumque necessarias: sed dum in omnibus excedens, omnia ad se traducere studet, omni generi malorum se inuoluit, & disrupta sacrosancta societate humana, ad interitum tandem seipsum deducit, quod plenius apparebit, si particulatim videamus, primum quo pacto homo eò rerum deuenerit, vt malum illud perpetraret: deinde perpetrato malo, quidnam inde fuerit consequutum: tum quas pœnas eo nomine luerit. S. Ergo quonam pacto ad hoc adducebatur homo, vt tanto crimini se adstringeret? G. Enimvero cum præceptum à Deo haberet, ne de arbore scientiæ boni & mali vesceretur, vt diximus, quod eò ex parte pertinebat, vt experimentum fieret ecquid homo vetè Deum amaret, præceptoque ipsius ex toto obediens esset, nec ne: ad hoc præceptum violandum, tres proditum est sacris literis concurrisse: serpentem, auctorem omnis mali, foris; mulierem, eius instrumentum, quæ pars erat corporis mariti, & maritum ipsum, in quo perfectum demum & absolutum fuit peccatum, intrus: de quibus tribus ter tria rursùm se offerunt spectanda. S. Quænam autem illa cedo? G. Primum enim aio, tentationem serpentis per tres gradus processisse, vt quod vno impetu non poterat, paulatim & quasi serptim fieret, immiscendo falsa veris, & vera falsis; nam sola falsa, ob suam turpitudinem, ad circumueniendum non sunt idonea. Ac erat quidem primus gradus, captiosa & curiosa interrogatio serpentis, quod est initium omnis mali, dum in Dei mandata, quæ in simplicitate cordis sequenda sunt, curiosè quis inquirat. dicebat enim: Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis ex omni ligno paradisi? Secundus, responsio mulieris ad interrogationem serpentis, cum dubitatione de veritate verbi Dei, quam curiositas pepererat. aiebat quippe: De fructu lignorum quæ sunt in paradiso, vescimur; de fructu verò ligni quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur. Et tertius, replicatio serpentis contra veritatem legem Dei interpretantis, quam dubitatio cum cupiditate gloriæ coniuncta admittebat. erat nempe: Nequaquam moriemini: scit enim Deus, quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dii, scientes bonum & malum. S. Bene habet. G. Deinde circa mulierem primum erat, quòd sui oblita, serpentis colloquium & suggestionem admittebat; quod erat abire in consiliolum impiorum: alterum, quòd ea re delectabatur; nam dicit scriptura, vidisse eam lignum bonum ad vescendum, & pulchrum oculis ad spectuque delectabile; quod erat stare in via peccatorum, quæ exterioribus eiusmodi speciebus boni & pulchri decipiunt. Et tertium, quòd tulit de fructu, & comedit; quod erat sedere in cathedra pestilentiæ siue derisorum. S. Rectè. G. Tum quantum ad maritum, initium peccati illius erat, quòd mulierem cum fructu ad se venientem admittebat; medium, quod decerptum fructum ab illa acciperet; & finis siue consummatio, quòd ex eo comederet. Nam hoc ipsum erat quod Deus prohibuerat, quod ille violans, à Dei amore, & lege ipsius se auerteat, & ad legem diaboli, amoremque sui se conuertebat. S. Probè. G. Adeò vt hinc appareat, per quos & per quæ, & quibus gradibus homo sciens prudens, suaque sponte, malus fuerit effectus. Ac quemadmodum quidem imperante mente & animo, anima & corpus naturam eorum sequuntur, diuinam & immortalem: ita è contra imperante corpore & anima, cum sua cæcitate ac cupiditate, mens & animus naturam eorum terrenam & mortalem quodammodo induunt, & eiusmodi aliqua ex parte efficiuntur. S. Iam perpetrato hoc tam graui crimine, quid deinde sequebatur? G. Agnitio peccati, metus pœnæ, & accusatio: in quibus ter tria quoque, vt in superioribus, licet obseruare. S. Quid ita verò? G. Ait enim scriptura, simul atque Adam comedisset, apertos fuisse amborum oculos, quod vnum est; & cognouisse se esse nudos, quod alterum; & ob pudorem, ac conscientiam peccati consuisse folia ficus, & fecisse sibi perizomata, quod tertium. S. Audio. G. Quo facto, postquam audiuisent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, absconderunt se ambo à facie Domini; in medio ligni paradisi, quod primum erat, vocauitque

uitque ea occasione Adamum Dominus, dicens: Adam ubi es? quod alterum. Cui respondens Adam ait: Vocem tuam audiui in paradiso, & timui, quod nudus essem, & abscondi me: quod reliquum. S. Intelligo. G. Quod postquam audisset Dominus, accusans eum ait primum: Quis enim indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod de ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti? Ad quod deinde respondens Adam, culpam reiecit in mulierem, dicens: Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. quod audiens mulier, in serpentem culpam tertio confert, dicens: Serpens decepit me, & comedi. S. Scitè. G. Estque hic obseruandum, cum peccatum à serpente ad mulierem, & à muliere ad maritum venisset; contra accusationem incepisse à marito, indeque venisse ad mulierem, & ab illa ad serpentem. S. Quid, de pœnis tandem quid ais? G. Singulos de tribus qui peccauerant, ternis pœnis fuisse affectos; quæ iterum sunt ter tria, vt in superioribus vidimus. S. At quõnam autem pacto? G. Serpenti enim hoc imponebatur, vt maledictus inter omnia animantia & bestias terræ, super pectus suum graderetur; terram comederet cunctis diebus vitæ suæ, & inimicitia inter illum & mulierem essent, semenque illius & mulieris, quæ conteret caput ipsius, & ille insidiabitur calcaneo eius. S. Optimè. G. Mulieri, quod Dominus multiplicaret ærumnas, & conceptus eius, in dolore pareret filios, & in viri potestate esset, qui dominabitur illius. S. Pulchrè. G. Adamo, vt qui audisset vocem vxoris suæ, & comedisset de ligno, ex quo præceptum ei erat ne comederet; maledicta terra esset in opere ipsius, vt in sudore vultus sui vesceretur pane suo, & vt in terram de qua sumptus erat, rediret; nempe vt quia puluis cum sit, in puluerem reuertatur. S. Rectè. G. Atque hoc modo quæcunque ad peccatum à summo ad vltimum pertinent, ter tribus ter sumptis continentur, quæ sunt viginti septem; quem numerum, conuersioni animi proprium esse, iam antè admonuimus. S. Probè. G. Et quidem cum primi status hominis quem supra commemorauimus, finis esset, vt in paradiso voluptatis degeret, eumque coleret; huius contra hic erat exitus, vt è paradiso eiiceretur, & ad hanc terram cum dolore colendam mitteretur, dicente Domino: Ecce Adam secundum opinionis suæ errorem, quasi vnus ex nobis, qui trinus summus & vnus, factus est, factus est sciens bonum & malum: nunc ergo prouideatur, ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum, quo nihil illi miserabilius posset accidere. Nam cum omnis qui in peccato est, miser sit; omnium vtique miserimus est, qui perpetuè est talis. Emisit ergo eum Dominus Deus partim pœnæ nomine, partim pro bono ipsius, de paradiso voluptatis, vt operaretur terram de qua sumptus est. Eiecitque Adam, & collocavit ante paradysum voluptatis pugnatores Cherubin, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ. Qui vltimus in hoc rerum statu primi hominis fuit exitus. S. Miserandus ac tristis. G. Quem eundem Hesiodus sub ferrei sæculi descriptione comprehendens, haud paulo tristiora canit: quem imitatus Ouidius, scribit ea de re his verbis:

— De duro est vltima ferro.

*Protinus erupit vena peioris in auum
 Omne nefas. fugere pudor, verumque fidesque:
 In quorum subiere locum, fraudesque, dolique,
 Insidiasque, & vis, & amor sceleratus habendi.
 Vela dabat ventus, nec adhuc bene nouerat illos
 Nauita; quaque diu steterant in montibus altis,
 Fluctibus ignotis insultauere carina.
 Communemque prius, ceu lumina solis & aura,
 Cautus humum longo signauit limite mensor.
 Nec tantum segetes, alimentaque debita dines
 Poscebatur humus, sed itum est in viscera terra.
 Quasque recondiderat, Stygiisque admouerat umbris;
 Effodiuntur opes, irritamenta malorum.
 Iamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum
 Prodiert; prodit bellum quod pugnat utroque,
 Sanguineaque manu crepitantia concutit arma.
 Viuitur ex rapto. non hospes ab hospite tutus;
 Non socer à genero: fratrum quoque gratia rata est.
 Imminet exitio vir coniugis, illa mariti.
 Lurida terribiles miscent aconita nouerca.*

*Filius ante diem patrios inquirat in annos.
Vista iacet pietas, & virgo cade madentes
Vltima caelestium terras Astraa reliquit.*

De tertio hominis ac reipublica statu.

TITVLVS VII.

S.



VONIAM de primo hominis & reipublicæ statu dictum est, & item de secundo; nunc ad tertium transito. G. Hunc ex iusto & iniusto mixtum esse diximus, dum homo partim ad Dei, partim ad diaboli legem est conuersus. vnde illa existit ætas quam æneam poëtæ vocant, & argenteam, de qua Ouidius scribit his versibus ex Hesiodo:

*Postquam, Saturno tenebrosa in tartara misso,
Sub Ioue mundus erat, subiitque argentea proles,
Auro deterior, fuluo pretiosior ære;
Iuppiter antiqui contraxit tempora veris,
Perque hiemes, æstusque, & inæquales autumnos,
Et breue ver spatium exegit quattuor annum.
Tum primum siccis æer feruoribus vstus
Canduit, & ventus glacies adstricta pependit.
Tum primum subière domos: domus antra fuerunt,
Et densi frutices, & iuncta cortice virga.
Semina tum primum longis Cerealia sulcis
Obruta sunt, pressisque iugo gemuere iuuenti.*

S. Quid hæc mixtio, quotnam modis se habet? G. Tribus omnino. S. Cedo quibus? G. Velenim est eiusmodi, vt plus mali habeat, minus boni; vel vt æquæ vtriusque sint partes; vel vt plus boni, minus mali: nam in omni mixtione duorum, vnum de istis tribus existere necesse est. S. Reuera dicis. G. Et quidem post peccatum ab homine contractum, licet mortis reus esset, debuissetque pro iustitiæ ratione totum eius genus interire, Deustamen, pro immensa sua misericordia, conseruare eum voluit, & non solum in pristinum locum, sed ampliorem etiam & augustiorem reponere, tribus his partibus mixtionis, tanquam gradibus, ad eam rem inductis. S. Quamobrem autem? G. Quia cum opus esset vt id voluntate ipsius hominis fieret; nam iustitiam & iniustitiam in voluntate esse diximus, & qui te creauit sine te, inquit ille, non te vult seruare sine te; & post peccatum contractum, mens hominis tam omni ex parte inquinata esset, vt veram perfectamque iustitiam nullo modo statim recipere posset: necessarium fuit, vt paulatim procederetur, haud aliter atque infanti primum lac datur; deinde vbi grandior confirmatioque fuerit, pulmentum, aut simile quippiam; mox vbi totus adoleuerit, solidus cibus. S. Intelligo. G. Et ideo per hos tres gradus Dominus procedens, tria omnino genera vitæ mixtæ ex ordine induxit, vt à minoribus ad maiora pedetentim homo perduceretur, vtens ad eam rem tribus quoque generibus legum & legislatorum, qui alij aliis pleniores sunt & perfectiores. S. Quod primum dicis esse genus? G. In quo minus boni, plus mali inest: quod Deus ad tempus ob hominis infirmitatem pro infinita bonitate sua tolerabat, vt aspergendo illi paulatim aliquid boni, pedetentim in viam eum reduceret. Ac consistebat quidem totum hoc genus vitæ, in generali quadam notitia, tum quidem de Deo supra, nempe Deum esse, & rerum humanarum curam gerere; tum autem de mundo infra, quippe mundum, & quæ in eo sunt plantæ & animantes, hominis causa esse conditas; tum verò de homine in medio, videlicet tam ad Dei cultum, quam rerum vsum eum conditum ac creatum esse, ipsosque quadam societate inter se teneri. Vnde profectæ sunt omnes ille leges naturæ corruptæ, quæ apud cunctas vbique nationes, aliz aliis perfectiores & imperfectiores existere. Quas quia minores erant, non per se quidem Deus, sed per præstantes quosdam viros, quos heroes, principes, magos, legislatores, philosophos, & aliis id genus nominibus veteres vocabant, constituabat. Inter quos & oratores erant, & poëtæ, qui orationis & cantus suavitate, homines è locis siluestribus educebant, & ad vitam elementem ac ciuilem traducebant. S. Quod secundum? G. In quo secundum litteram (nam de spiritu alia res est) æquæ quodammodo perfecti & imperfecti partes erant. Nam quantum ad Deum attinet, docet lex Mosæica expressè, non solum Deum esse, sed & vnum Deum, creatorem cæli & terræ, qui populum suum Israeliticum eduxit ex Ægypto. Et quod ad animantes, & terræ fructus attinet, & ipsis multo benigniores leges præscribit,

scribit, quàm per superiorem legem fiebat, vt infra videbimus. Nec aliter se habet circa hominum societates, quæ multis partibus secundum hanc legem arctiores & iunctiores inter se sunt, quàm secundum superiorem. Ac cum illam per solos homines Deus dedisset, hanc partim ipse suo ore pronunciabat, quantum ad præcipua capita attinet, partim per prophetam suum Moysen, quantum ad minora. S. Quod autem tertium? G. In quo plus boni quàm mali inest, imò nihil reuera mali, nisi quòd homines, quamdiu in hac vita sunt, aliquid semper mali in membris suis circumferant. cæterum lex ipsa per se tota bona est, omnibusque numeris perfecta & expleta, magis quàm quæ in primo hominis statu erat, sic vt hoc sæculum non minùs quàm primum, aureum dici debeat, cum secundum sit ferreum; ex reliquis autem duobus iam expositis, prius æneum, posterius argenteum. Ac docet quidem hæc lex non solum Deum esse vnum, sed & trinum & vnum; Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Et animalibus non solum ad corporis necessitates moderatè vt, sed & exempla vitæ ab iis sumere docet. Constituens porrò eiusmodi societatem inter homines, vt non minùs in proximum atque in seipsum quis sit animatus. Porrò cum supradicta lex primæ naturæ corruptæ, per solos homines à Deo fuerit constituta, vniuersaliter tantum res proponens; Mosaica per Deum & homines, proponens res generaliter, & per ænigmata, & per partes: hæc per ipsum Dei Filium, hominem factum, Iesum Christum Dominum nostrum, in specie sine ænigmate, & ex toto constituta, & in hunc mundum cælitus inducta est: adèd vt cum lex naturæ corruptæ à diuinis hominibus profecta sit, Mosaica à Deo & homine, hæc à Deo siue Filio Dei homine facto, inducta sit. Et quidem cum Filius Dei, Verbum sit ipsius Patris, per quod omnia facta sunt, ille non solum legislator noster est, sed & ipsa lex à Dei iustitia procedens, cum quo substantia idem est, & carnem humanam assumens, cuius naturam induit, sic vt qui illi adhæret, tanquam medio inter Deum & hominem interposito, cuius vtriusque substantiam & naturam habet, Deo ipsi, & iustitiæ eius adhærere censeatur: nisi quòd, quàm diu in hac vita degimus, fomites quosdam peccati in carne, vt dictum est, secundum Paulum, circumferimus, qui non nisi in futura vita tolli poterunt. Et idcirco poëta noster, postquam de temporis huius felicitate, plurima non sine numinis afflatu cecinisset, mox subdit, aliqua tamen antiqui mali vestigia permansura. quod vtrumque prodit his verbis:

*Ipsa lacte domum referent distenta capellæ
Vbera, nec magnos metuent armenta leones.
Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores,
Occidet & serpens, & fallax herba veneni
Occidet, Assyrium vulgo nascetur amomum.
At simul heroum laudes, & facta parentis
Iam legere, & qua sit, poteris cognoscere, virtus.
Molli paulatim flauescet campus arista,
Incultisque rubens pendebit sentibus vua.
Et dura quercus sudabunt roscida mella.
Pauca tamen suberunt prisca vestigia fraudis;
Qua tentare Tethyn ratibus, quæ cingere muris
Oppida, qua inbeant telluri infundere sulcos.
Alter erit tum Tiphys, & altera qua vehas Argo
Delectos herous, erunt etiam altera bella.
Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.
Hinc vbi iam firmata virum te fecerit atas,
Cedet & ipse mari vector, nec nautica pinus
Mutabit merces: omnis feret omnia tellus.
Non rastros patietur humus; non vinea falcem;
Robustis quoque iam tauris inga soluet arator,
Nec varios discet menti lana colores:
Ipse sed in pratis aries iam suauè rubenti
Murice, iam croceo mutabit vellera luso;
Sponte sua sandix pascentes vestiat agnos.
Talia sacra suos dixerunt currite fuis
Concordes stabili fatorum numine Parca.*

S. Perpulchrè. G. Atque hos quidem tres vitæ gradus, sub natura, sub lege, sub gratia, significant tres partes tabernaculi Domini, ex quibus extima est atrium, vbi populus & Leuitæ versantur, simile primæ vitæ legis naturalis: interior sanctuarium, vbi soli sacer-

dotes, simile legi Mosaicæ: intima Sanctum sanctorum, vbi solus Pontifex, simile legi Christi, qui ipse Sanctuariū sanctuarij apud Thalmudistas appellatur. S. Scitè. G. Ac si ad gradus lucis hos ipsos tres gradus comparare velis, vita naturalis lumini astrorum haud est ab- similis, Mosaica Lunæ; & gratiæ, ipsius Solis, vbi omnia clara, plenaque luce sunt circum- fusa. S. Probè. G. Atque hæc tria genera vitæ scitissimè comprehendit dictum domus, hoc est, discipulorum Eliæ, quod sic habet: Sex milia annorum erit mundus, & iterum destruetur; duo milia inanitatis, hoc est, sine lege & gratiâ; duo milia legis; & duo milia d. erum Messia. S. Rectè. G. Sed cum hæc generatim de tribus legibus mixtis dicta sunt; è re erit vt de singulis speciatim dicamus: ac primùm quidem de vita sub lege naturæ corruptæ, quæ vsque ad euocationem Abrahami è Chaldæa in Galilæam sola durauit; deinde de vita sub lege Mosaica, quæ ad diem mortis Christi, cum altera se extendit; tum de vita sub lege gratiæ, quæ iam annis mille quingentis quadraginta, cum nonnullis am- pliùs, post mortem Christi durat, & ad finem vsque durabit, ad extremum.

De vita hominis sub lege natura corrupta.

TITVLVS VIII.

S. **N** G I T V R de vita hominis sub lege naturæ corruptæ, quidnam proponis tractandum? G. Primùm originem ciuili vitæ aperiam; tum ipsam descri- bam. S. Originem vnde ducis? G. A singulis hominibus, familiis, vicis & vrbibus. S. Quomodo à singulis hominibus? G. Etenim redactis ad vltimam necessitatem per peccatum hominibus, vt dictum est, prima origo rerum publicarum inde exstitit, quòd ad vitam tuendam ac fouendam, varias artes inue- nire ac constituere cœperunt. Nam dixerat Adamo Dominus, fore, vt in sudore vultus sui vesceretur pane suo; feceratque ipse tunicas pelliceas, quibus Adamum & vxorem in- duebat, sic vt primùm artificium à Deo ipso, & in paradiso, cœperit. Nec multo post Abel pastor ouium, Cain agricola fuit, Iabal pater pastorum, Iubal canentium cithara & orga- no, & Tubal malleator & faber in cuncta opera æris & ferri, vt in sacris literis est proditum. Ac quantum ad literas profanas attinet, quod de artium inuentoribus traditur, pas- sim se offert: nam frumentum Ceres, vinum Liber pater, artem fabrilem Vulcanus, textori- am Minerua, medicinam Æsculapius, & sic deinceps alij reperisse dicuntur. Et sunt non pauca, quæ ab animantibus homines arripuerunt, & ad vsus suos transtulerunt: nam nauigandi viam ac rationem nantibus piscis, arma ichimenon, sectionem venæ ceruus, clysterem ibis, & alia eiusmodi animantia, nobis monstrarunt, & quotidie monstrant. S. A familiis quo pacto? G. Videntes enim homines, parum esse, singulorum vitam per artes tueri, nisi etiam per sobolis procreationem genus propagetur; matrimonia iungere, & familias constituere cœperunt: qui secundus fuit gradus ad vitam ciuilem instituend- am; & ipse ab animantibus quoquo modo arreptus, inter quas multæ sunt quæ matrimo- nia ineunt, nidosque & domos construunt, & alia de genere eodem. Pertinetque eò quod dicit sacra scriptura, mox post eiectum Adamum è paradiso: Adam verò cognouit vxo- rem suam Heuam, quæ concepit & peperit Cain, dicens: Possedi hominem per Deum: rursumque peperit fratrem eius Abel. Ac quanquam quidem aliqua iam tum scintilla religionis inter homines versabatur; nam offerebat Cain Domino munera de fructibus terræ, & Abel de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum: quia tamen ciuili discipli- na erant destituti, iniuria se inuicem afficiebant, Cainque fratrem Abel occidebat. Ho- merus vitam hanc domesticam sub Cyclopium figura describit, quos communibus iudi- ciis ac conuentibus caruisse, solisque vxoribus ac liberis imperasse ait. S. Quanam au- tem ratione à vicis? G. Quoniam enim videbant non solum singulos homines, verùm ne familias quidem ipsas sibi sufficere, sed alios aliorum opera, re, & auxilio indigere, ad vitæ commoditates conquirendas; factum est vt fornicarum in morem, plures domus se in vnum iungere vicosque constituere, & mutuas agriculturæ, & alias operas inter se confet- re cœperint: vnde de Iabal in sacris literis scribitur, fuisse eum patrem habitantium in tentoriis, atque pastorum. Ac quoniam ad satus suos sine discordia faciendos, certis qui- busdam regulis homines indigebant; factum est hinc quòd Ceres legisera dici cœperit, quoniam vici speciem quandã reipublicæ præ se ferunt. S. Ab vrbibus denique? G. Quo- niam post supradicta eueniebat, vt tum quidã à feris animantibus homines dilaniarentur; tum autem alij homines ab aliis ob pastum, variisque aliis de causis, multitudine coacta impeterentur, quibus vici non poterant resistere: accidit hac de causâ, nec non aquarum, lignorum, herbarum, & aliarum eiusmodi rerum occasione, quòd pluribus vicis in vnum iunctis,

iunctis, paruas quasdam ciuitates ac respublicas (nam magnam illam primam imbecillitas humanæ naturæ non ferebat ob peccatum) homines tanquam apes moliri, seque fossis & vallo circumcludere cœperint. S. Intellego. G. Atque ita quidem per hos gradus peruentum est ad oppidorum ac vrbiū constitutiones, ex quibus prima reperitur Enoch, quam Cain ædificabat, & à filio nomen hoc imponebat, sic vt cum quarto homine, per quatuor gradus, primæ ciuitatis constitutio, primaque disciplina politica (quod & cum nomine congruit, nam Enoch disciplinatum significat) incœperit. Dico autem, prima, quoniam hæc constitutio rudis adhuc erat, & imperfecta, propter vitam ciuilem, quæ per hoc tempus ab istis hominum societatibus adhuc aberat, & ideo facillè eueniebat vt ob iniurias quibus se mutuo afficiebant, dilaberentur. Itaque ad illam constituendam necessariò fuit veniendum. S. Eam autem quam vocas? G. Communitatem pluriū hominum, iustitia inter se vtentium, quam Mercurium iussu Iouis primum in societates hominum intulisse iam supra diximus. Quem quidem postea sequuti multi heroes, ac semidei, plurimas vbiq̃ paruas ciuitates constituerunt, & prout temporum illorum imbecillitas ferebat, Dei cultu, & iustitia lege lata imbuerunt. quò quidem pertinet, quò post primam ciuitatem constitutam sacra scriptura sic ait: Cognouit quoque adhuc Adam uxorem suam, & peperit filium, vocauitque nomen eius Seth, dicens: Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain. Sed & Seth natus est filius, quem vocauit Enos; iste cœpit inuocare nomen Domini. Atque ita quidem vsu venit, vt quemadmodum primum corpus ciuitatis ab eo homine quarto nomen habuit, qui à Cain homicida iniusto descenderat, ad initium quoddam disciplinæ politicæ constituendum; ita prima anima ciuitatis, quæ Dei iustitia est, ab eo homine quarto processerit, qui ab eo qui in locum Abelis occisi iusti successerat, progenitus erat, ad primam perfectamque rempublicam constituendam, hominemque ipsum, secundum nomen conditoris (nam Enos hominem significare supra diximus) sibi reddendum: nam nihil homini magis est proprium, quàm communes ciuitates, ac respublicas incolere. Vnde qui ab iis se remouentes soliuagam vitam persequuntur, vel beluæ, vel dij, ab Aristotele dicuntur. Et quidem ad hanc veræ reipublicæ constitutionem pertinet, quò poëta noster inter cætera sic canit:

*Hæc nemora indigena Fauni, Nymphæq̃ tenebant,
Gensque virum truncis, & duro robore nata,
Quæ neque mos, neque cultus erat, nec iungere tauros,
Aut componere opes norant, aut parcere parto,
Sed rami atque asper vitæ venatus alebat.
Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo,
Arma Iouis fugiens, & regnis exsul adeptis.
Is genus indocile ac dispersum montibus altis,
Composuit, legesque dedit, Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.*

S. Optimè. G. Actametis quidem ciuilis vita etiam in familia, atque aded in vno homine locum habeat, dum secundum iustitiam ac virtutem viuit, quia tamen magis emicat in republica, quæ rectè constituta, simul & familias, & singulos homines complectitur, nihil erit opus vt de singulis hominibus ac familiis dicamus; sed ciuitatem describentes, simul etiam illos comprehendemus, idque eo magis, quòd respublica bene constituta, quatenus quidem imbecillitas illorum temporum ferebat, speciem ac figuram vnus hominis ac familiæ refert, vt ordine videbimus. S. Quid ergo? Ciuitas secundum iustitiam instituta quibus rebus constat? G. Tribus, quemadmodum de homine supra diximus. Nam ad vrbes suas moliendas, heroes illi, quos diximus, primum hoc operam dabant, vt communem religionem ac Deum (licet non nisi obscure, & quasi per vmbra cognitum) tota ciuitas tanquam caput haberet, & supra se coleret, ad animum exercendum: deinde, vt communis esset locus, agerque, & aqua; quæ eum suis animantibus & fructibus, sub se haberent, ad corpus nutriendum ac sustentandum, tum vt ipsa ciuitas in se certa hominum multitudine, & aliarum rerum descriptione constaret: quò quoniam pacto ad primæ vitæ formam ac imaginem se habeat, per se, ni fallor, lucet, si quis ea modò quæ supra dicta sunt, memoria repetat. S. Quid? hæc multitudo ac descriptio ciuitatis quoniam modo ordinabatur? G. Iterum ad vnus hominis imitationem: nam quemadmodum ille rebus externis constat, corpore & animo: ita ciuitatis quoque externam partem & corpus & animam esse placebat. Ac sunt quidem pro externa parte, agri, siluæ, paludes, & alia eiusmodi, quæ victum præbent: pro corpore, muri, portæ, domus, & alia ædificia, quibus contra feras, & hostes, ad vitamque tuendam in ciuitate est opus: & pro

anima

anima homines, qui in ea degunt, & vitam ac motum illi tribuunt. S. Homines autem ipsos, anne rursum diuidis? G. Maxime quidem: nam tam ipsos quam omnia quæ ad eos pertinent, in publica heroes illi diuidebant, priuata & mixta, imitati iterum hominem, in quo quædam sunt generalia, quæ per totum corpus diffunduntur, vt caro, cutis, ossa: quædam specialia, vt manus, pedes, digiti: quædam mixta, vt nerui, venæ, arteriæ. de quibus singulis nobis est explicandum. Cui accedit, quod cum homines, vel vniuersi spectentur in republica, vel singuli seorsim, vel plures in familia, vt ante traditum est; hinc quoque fit, quod alia publica sint, alia priuata, alia mixta.


De publicis.

TITVLVS IX.

S. **P**UBLICA igitur quæ vocas? G. Quæ ad statum totius ciuitatis pertinent. S. Ea autem quomodo viri illi partiebantur? G. Admirabili ratione, secundum animi hominis (vt iam supra tactum est) diuisionem, & præsentis vitæ, statusque necessitatem. Nam cum in animo hæc insint, ratio ad prudentiam, animositas ad fortitudinem, & cupiditas ad temperantiam, & moderatum rerum vsum, vt antè demonstratum est, heroes isti, homines omnes quantum ad vsum publicum attinet, sic diuidebant, vt alios principes, tanquam Dei vicarios & pastores constituerent, ad communem rem ac concordiam in ciuitate prudentia sua conferuandam: alios milites, tanquam canes ad hostem repellendum: alios agricolas & opifices, tanquam oues ad victum ciuitati præbendum. S. Pulchrè sanè. G. Atque ad hanc diuisionem redeunt omnes quotquot toto orbe sunt respública, licet aliis atque aliis formis sint descriptæ; adipisciturque per eam quæque ciuitas tres suos fines, qui sunt: rerum ad vitam necessariorum sufficientia, quæ ab agricolis procedit, libertas, quæ à militibus, & vt ipsa sibi amica sit, quæ à principibus, Dei vt dico vicariis, quibus ob id opus erat, quoniam homines, ob caliginem oculis obductam, Deum ipsum non videbant, & ideo quasi corporati quidam dij necessariò erant constituendi. S. Quid? hos principes anne rursum diuidebant? G. Prorsus: nam vñ in mente, principeque parte hominis hæc insunt, memoria, voluntas, intelligentia, vt supra diximus: ita principes quoque ciuitatis in tria genera diuidebant; ex quibus alij auctoritate præstarent, ciuitatemque circa res humanas gubernarent, qui reges principesque appellarentur; alij vitæ sanctimonia, vt res diuinas, sacrificiaque, & cerimonias procurarent, qui sacerdotes; alij sapientia ac prudentia, vt vtrisque rebus agendis interessent, qui prophetae & philosophi: quorum vsus est, vt tum quidem principibus & sacerdotibus adsint; tum autem populum iudicent, ac doceant; tum verò iuuentutem, in qua seminarium est respública, & eius quasi fundamentum, instituant. S. Bene narras. G. Atque vti de superiori diuisione diximus, ita & hanc in omni ciuitate & republica esse constat: quoniam nulla est gens neque tam fera, neque tam barbara, quæ quidem ciuitatem & respúblicam habeat, in qua non & principes auctoritate potentes insint, & sacerdotes, & sapientes; licet aliis atque aliis formis exterioribus describantur. S. Quibus autem illis? G. Nam primum, vti in nonnullis rebus publicis, alij sunt principes, alij milites, alij agricolæ; in aliis autem iidem & milites sunt, & agricolæ, & principes, suo quoque tempore: ita fit quoque de principibus, sacerdotibus, & sapientibus, vt in nonnullis rebus publicis omnia tria apud vnum sint, aut duo ex iis; nam inde reges apud Ægyptios Trismegisti, hoc est, ter maximi appellabantur: in aliis autem diuersorum sint hominum, sic vt alij principes, alij sacerdotes, alij prophetae sint, ita tamen vt operas mutuas tradant. Atque hac quidem ratione primum Imperium apud Iudæos propheticum erat, cui accedebant sacerdotes, & præfecti militum; alterum regium, cum quo sacerdotes & prophetae coniuncti erant; & tertium sacerdotale, quod prophetas suos, & præfectos militum habebat, donec veniret, qui venturus erat, Dominus noster Iesus Christus, qui solus verus Rex est, Sacerdos, & Propheta. S. Rectè. G. Deinde apud nonnullos summa respública penes vniuersum populum est, quod Democratia dicitur; apud alios penes paucos primores, quod Aristocratia; apud quosdam penes vnum, quod Monarchia: vnde varietate existunt mixtionem. Nec verò opus est multum disputare, quæ forma cui præest; quoniam vnaquæque & bona sua habet, & mala; & aliis atque aliis populis, alia atque alia forma magis congruit.

De priuatis.


TITVLVS X.

S.  A B E O de publicis: nunc de priuatis reddito. G. Sunt autem priuata in quaque ciuitate, quæ ad singulorum vtilitatẽ pertinent. nam quemadmodum in homine alij sunt morbi vniuersales, qui per totum corpus diffunduntur, vt febris; alij qui singularum sunt partium, vt hepatis, lienis ventriculi dolor: ita & in republica hæc priuata à publicis differunt.

S. Quomodo autem ea diuidis? G. In personas, res, & negotia personarum circa res, quæ diuisio inde manat, quod, prout supra traditum est, ea quæ Deus condidit, tum quidem res sunt, vt mundus; tum autem personæ, vt homo; tum verò mixta, vt actiones hominis circa res. S. Circa personas quidnam viri illi statuebant? G. Eas tribus modis distinguebant, vno secundum naturam in maritum & vxorem, parentes & liberos, fratres & sorores, reliquosque cognatos & affines: altero contra naturam, in dominum & seruum, patronum & libertum, clientem & patronum, cum aliis similibus: & tertio mixto, in tutorem & pupillum, curatorem & adolefcentem, furiosum & curatorem. & sic deinceps. Nam vt naturalis omnino æqualitas inter homines seruetur, imbecillitas naturæ corruptæ non patiebatur. S. Quidnam autem circa res? G. Et hinc quoque tria inducebant: nempe rerum distinctiones ad discordiam, quam communio parere solet, vitandam; dominia & acquisitiones, diligentioris culturæ gratia, cui accedebat, quod cum ob vitium naturæ deprauatæ obtineri non posset rerum communio; quædam quasi offa cupiditati, tanquam beluæ obicienda fuit, inducta rerum acquisitione ac dominio; & denique diuisiones in diuinas & humanas, publicas & priuatas, corporales & incorporales.

De mixtis, nec non de Socratis, Platonis, & Aristotelis rebus publicis.

TITVLVS XI.

S.  E N E O de publicis, & item de priuatis: de mixtis expecto vt dicas. G. Hæc in eo consistunt, vt tam publica quam priuata, quam optime se habeant, de quo videndum est, in quonam positum sit, & per quæ viri illi hoc efficere studebant. S. In quonam autem est positum, vt tam publica quam priuata bene se habeant? G. Vt omnibus ac singulis sua cuique iura & officia sint præscripta, tam distinguendo, quam eadem inter se contexendo, communis opis gratia (nam alioqui res publica non esset) & secundum hoc cuncta progrediantur & agant, suum officium faciendo, & ab alienis abstinendo, & denique suum cuique tribuendo. Quæ omnia sunt munera iustitiæ, quæ cum ciuitati adest, omnia sana sunt & integra: nam quod in corpore est bona valetudo, hoc in anima & ciuitate est iustitia, vt diximus. Quæ quidem principes ciuitatis, homines publicos, & agricolas priuatos, & milites medios inter se concilians, pulcherrimum illum concentum, de quo supra expositum est, inducit. S. Per quænam autem heroes illi hoc efficere studebant? G. Primum leges constituiebant varij generis, prout supra distinximus, per quas suum cuique ius & munus præscribebant. S. Rectè. G. Deinde iudicia ordinabant, & exercitia, per quæ re ipsa ad suum quisque munus impelleretur. S. Probè. G. Tum magistratus, ac magistris, iudicesque creabant, qui rebus publicè gerendis, puerisque instituendis, nec non iudiciis præessent, ad leges per iudicia executioni mandandas, ipsasque, si quando opus esset, corrigendas, emendandas, supplendas, & ad maiorem perfectionem, si per hominum mores qua ratione fieri posset, deducendas. S. Pulchrè. G. Atque hoc modo absoluta est descriptio illius vitæ hominis circa legem & iustitiam, quam naturæ corruptæ vocamus, & primum gradum esse diximus, quo ab iniustitia homo recedens, ad iustitiam paulatim reuertitur. Ac quantum quidem ciuitatum ac rerum publicarum tot in omni memoria, & apud omnes vbi que nationes, diuersæ videantur esse formæ, omnes tamen ad hanc summam redeunt, & non nisi exterioribus quibusdam rebus partis differunt. S. Intellego. G. De quibus quidem si quis exactius tractare ac philosophari velit, tres respublicas à tribus doctissimis hominibus descriptas cognoscât necesse est: ex quibus vna planè diuina est; quatenus iuris ætatis ac vitæ sub lege naturæ corruptæ ratio patitur: alia philosophica; & tertia vulgaris. S. Quam vocas diuinam? G. Socratis rempublicam, quam decem libris descriptam discipulus eius Plato nobis reliquit: quæ optari quidem potest & debet, & ob oculos semper haberi, existare autem inter mortales, prout plerique sunt homines, non potest. Et quidem

dem cum vna pars inscriptionis librorum sit de republica tanquam de corpore, altera pars est de iusto tanquam de anima: nam iustitiam reipublicæ animam esse iam supra probauimus. De quibus quidem tractantes hi libri, & proœmio constant, & corpore, & epilogo. In proœmio, post ingressum dialogi, de iustitia agitur, secundum Simonidis definitionem quæ refellitur, & Thrasymachi, quæ & ipsa refutatur: nec non de iniustitia, quam primum Glaucus laudat, iustitiæque multis partibus anteponit, deinde Adimantus. Corpus in hoc consistit, quod Socrates hac occasione, quid reuera iustitia sit, & quam vim in republica & homine habeat, explicaturus, primum optimam rempublicam describit, & eius iustitiam ac felicitatem; deinde, quo modo talis euadat; tum, quo modo aberret propter iniustitiam; & quæ eius sit infelicitas. Optimæ reipublicæ descriptionem tum quidem agricolis & opificibus constare ait, ad victum ciuitati præbendum, tum autem militibus, siue defensoribus, in Musicis & Gymnasticis, de quibus latè differit, bene institutis, ad libertatem ciuitatis tuendam, tum verò principibus siue custodibus, ab omni opum possessione liberis, ad ciuitatem suis legibus regendam ac gubernandam. In qua quidem iustitia quæ inest, sic sese habet, quod principibus prudentia peculiariter conuenit, defensoribus fortitudo, agricolis temperantia, omnibus autem æqualiter iustitia, quod & in animo secundum rationalem eius partem, irascibilem & concupiscibilem, omnesque simul iunctas accidit. Quod quidem cum sit, tam ciuitas quàm animus, quàm felicissimè & optimè se habent, haud aliter atque cum corpori sanitas adest: nam quod corpori est sanitas, hoc animo & reipublicæ est iustitia. Vt autem ciuitas talis euadat, id tum quidem recta liberorum susceptione constare ait, quod ea re continetur, vt masculorum & feminarum communia sint exercitia, vxorum & liberorum communis cura, & rerum communis possessio: tum autem recta principum ciuitatis institutione, sic vt vel philosophi regnent, vel reges philosophentur, licet vulgo secus varias ob causas videatur. Ac est quidem philosophus, qui circa id quod secundum eadem eodem modo semper se habet, versatur, quod in boni ipsius, eiusque ideæ cognitione consistit, ad quam primum per quatuor artes Mathematicas, quæ à materia animum abstrahunt, deinde autem per veram Dialecticam, quæ ad formas eum applicat, peruenitur ad bonum ipsum & iustum in ciuitatem inducendum. Ratio autem qua aberrat respublica, est, cum qui philosophi non sunt, ad rempublicam accedunt. In qua quidem re, prima aberratio est, cum optima respublica in ambitiosam mutatur; quod ob proprium tempus generationis à parentibus licet bonis non bene obseruarum contingit; quoniam ea res prolem degenerem, & ad rectam institutionem minus aptam facit; sic vt non verè sapiens euadat, quod philosophiz est; sed cum non sit, pro tali tamen se habeat, quod ambitionis & appetitionis honorum. Secunda, cum respublica ambitiosa in lucri cupidam paucorum potentiam, quæ solis diuitibus magistratus defert, mutatur; quod tum accidit, cum homines ambitiosi, vi & potentia diuites facti, leges de non aliis quàm ad certum modum diuitibus ad rempublicam admittendis ferunt. Tertia cum lucri cupida paucorum potentia in popularem gubernationem effrenis intemperantisque libertatis commutatur; quod fit cum homines ambitiosi prodigalitate pauperes facti, & ob id à magistratibus exclusi, pauperem multitudinem contra paucos diuites concitant. Quarta, cum popularis gubernatio in tyrannidem mutatur; quod accidit, cum nimix libertatis causa dissensionibus inter magistratus & populum ortis, vnus aliquis populi tutelam suscipit, qui ab eo vicissim contra magistratus adiuuus, illis superatis totius reipublicæ Dominum se tandem constituit, & ex populari homine tyrannus efficitur, qui iniustitia plenus, omnium mortalium per se est miserissimus, etiam si latere possit deos & homines, quod contra contingit homini iusto, tam in hac vita, quàm futura. Quod quidem vt post corpus sermonis hoc modo absolutum, in epilogo suo, qui restat, concludat Socrates, & per hoc ad ea quæ in proœmio de iustitia & iniustitia proposita erant, absolutè respondeat, tradit, non solum in hac vita, quæ breuis est, sed & in altera post mortem, quæ perpetua, iniustos miseros, iustos autem beatos esse ac felices. Quod vt à nobis rectè intelligi possit, primum communes poetas qui ad res inanes animum ferè detorquent, abiiciendos esse ait; deinde certò statuendum, animam esse immortalem, quæ quidem si iniuste vixerit, perpetuis poenis afficitur; sin autem iuste, præmiis sempiternis, quæ de re Eri Armeij, qui mortuus reuixerat, narrationem inducit. S. Præclare abs te ob oculos posita est diuina Socratis respublica: nunc autem philosophicam rempublicam quam vocas? G. Platonis, quam duodecim libris ita depingit, vt non quorumuis hominum, sed eorum dumtaxat qui philosophantur, eam esse, facile intelligas. Ac quoniam quidem his in libris non solum de legibus agitur, per quas iustitia in rempublicam inducitur, sed & de ipsa iuris, & legum condendarum scientia; ideo duplex his libris titulus est prepositus, vnus

vnus de legibus, & alter de legum latioe. Et quia autem omnes leges tribus partibus constant, exordio, constitutione ipsa, & sanctione; factum est vt & hi libri tum quidem de exordio legum agant, tum autem de legibus ipsis, tum verò de earum sanctionibus siue iudiciis. In exordio primùm legum omnium fons demonstratur, qui est Deus; deinde finis siue scopus, qui est idem Deus; sic vt bona externa ad bona animi, & bona animi ad Deum, in legibus condendis referri debeant: post obseruatio per homines, ad quam rem tum quidem iuuenum recta institutione opus est, tum autem ciuili disciplina. Iuuenum recta institutio in hoc consistit, vt circa voluptates ac dolores superandos rectè se habeant; ad quam rem ante omnia opus est, vt naturam vnus cuiusque cognoscas, quod potu vini maximè efficitur. Ac consistit quidem recta iuuenum institutio, partim in Musica, quo ad animum; partim in Gymnastica, quoad corpus; quibus ad virtutem secundùm leges conformantur. Musica tum quidem Apollinis est & Musarum, quæ & verbis constat poetarum, picturisque & cantu ad numeros facta, cum suis instrumentis, & decenti motu corporis, per choream: tum autem Dionysij siue Bacchi, qua senes ad cantum & sermonem honestum, ad iuuenes erudiendos, excitantur. Gymnastica tum quidem choream partem habet, de qua dictum est; tum autem alia ad corporis honestam exercitationem pertinentia. Ad ciuilem disciplinam pertinet, primùm vt reipublicæ descriptio cognoscatur, deinde vt legum ad eam pertinentium constitutio. Descriptio reipublicæ, partim in ortu eius consistit, quo pacto scilicet à domo in pagum, à pago in urbem, & ab urbe in regnum excreuerit: partimque in interitu, cum nimirum seditione ob leges, siue ab eo qui præest, siue qui paret, non seruatas, orta, ciuitas dissoluitur: partim in rectâ administratione, quæ hoc sibi debet habere propositum, vt libera sit ciuitas, sibi amica & prudens: ad quod efficiendum, duæ sunt quasi matres omnium ciuiliu gubernationum, vnus scilicet, & omnium, vnde reliquæ miscentur. Circa legum constitutionem primò spectatur, vbi & quo pacto sita debeat esse ciuitas, vt bonarum legum maximè sit capax, quatum primus auctor Deus est, secundus fortuna, tertius homo arte præditus: deinde, quæ gubernatio eius esse debeat, Monarchicane an Democratica, & sic deinceps, vt quàm optimè legibus fundetur, quæ quidem res per se longè difficillima est, & à Dei inuocatione ordianda, referendo omnia, non ad eius qui imperat, sed ad totius reipublicæ bonum: tum quo pacto primùm inducendæ sint leges in reipublicam, nudæne, imperando tantum quod volumus; an præmissa præmio, ad persuadendum quo pacto circa Deum, parentes, & seipsum quis habere se debeat, quo ad animi, corporis & fortunæ bona; nec non circa materiam, ciues, & peregrinos, cum aliis inde dependentibus: quod magis probatur. Iam post exordium, quantum ad leges ipsas attinet, hæ quatenus publicæ sunt, tum quidem ad ciuitatem ipsam pertinent; tum autem ad magistratus eius; tum verò ad seminarium, hoc est, liberorum educationem; tum denique ad sacra: de quibus ordine tractatur, adiectis ad finem iis quæ ius priuatum spectant. Legum ad ciuitatem pertinentium, vna fundamentum & animam eius spectat, quæ est vt purgata malis hominibus ciuitate, & bonis repleta, non aliud quàm iustitia pro fundamento eius ponatur, idque sæpe in legibus describendis repetatur, & inculcetur, vt verus earum finis ab omnibus intelligatur: altera, quæ corpus eius concernit, hoc est, homines, qui in ea degunt; quos tot esse oportet, vt ad se alendum, defendendum, & iuandum sufficiant, quinquies mille nempe & quadraginta numero, qui est numerus qui optimè se patitur diuidi: tertia, quæ bona eius externa respicit; quæ si communia esse non possint, quod primæ ciuitatis est, saltem ita diuidantur, vt reipublicæ omnia esse putentur, quod secundæ; dando porro operam per census descriptionem, vt neque nimis diues, neque nimis pauper sit ciuitas, vtque ager & vrbs duodenario numero describatur, supellex ad certum modum reuocetur. Circa magistratus, primùm quinam illi sint, & quo pacto per suffragia secundùm censum constituantur, traditur: deinde quæ lex illis imponenda. Sunt autem magistratus primùm vniuersales, qui legum custodes dicuntur: deinde generales, qui armis patriam tuentur: tum speciales, qui diuersa obeunt; tum quidem diuina, vt sacerdotes, tum autem humana, siue extra urbem, vt agri custodes, siue in vrbe, vt qui ædificiis, rebus venalibus, & quieti publicæ die nocteque præsent; siue tam extra quàm intra urbem, vt censores, ludimagistri, & iudices. Lex quæ magistratibus imponitur, est, vt legum custodes & alij, non ipsi modò rem bene gerant, sed & alios qui idem faciant post se relinquunt, non aliud ob oculos habentes pro conseruatione reipublicæ, quàm iustitiam, & parati potius mortem obire, quàm vt hæc patriæ adimat. Ratio autem qua id continetur, est, vt liberi rectè procreentur, & educantur. ad quam rem etia pertinent: primùm vt vxor idonea quæretur, ac ducatur: deinde vt familia rectè instituat, tam quantum ad seruos attinet, quorum difficilis est possessio; quàm quantum


ad domum, quæ cum totius ciuitatis dispositione conuenire debet. Deinde ut maritus & vxor, tam circa communem vsum, quàm circa liberorum procreationem, nec non circa pacis & belli vsum, quàm coniunctissimè inter se degant. Quantum ad liberorum educationem attinet, eius rei diligentissima ratio habenda est, cum sit fundamentum reipublicæ, idque non tam legibus scriptis, quàm moribus satis. Ac spectatur quidem omnis educatio in vtero, in puerili ætate vsque ad septennium cœptum, & in ætate superiori. In vtero pulcherrima educatio est, ut à nimia voluptate & dolore mater abstineat, corpusque moderatè exerceat. Puerilis educationis ratio est, ut, quantum ad corpus attinet, variis modis pueri exerceantur; quantum ad animum, à nimis voluptatibus ac doloribus, omnibus modis prohibeantur. reliqua deinceps educatio tum quidem in Gymnastice, ad quam lucta, & alia eiusmodi pertinent, consistit; tum autem in Musica. Circa quam rem primum considerandum est, nihil perniciosius esse, nec quod magis leges mutare facit, quàm cum noui adolescentum ludi inducuntur, & ideo omnino dandam esse operam ne id fiat, sed vetera tantum tractentur. deinde ut omnia exercitia tam masculis quam feminis proponantur. tum ut pro Musicæ & Gymnasticæ exercitatione literæ discantur, citharæ, & tripudia, addita Arithmetica, Geometria, & Astronomia. Quod deinceps pertinet ad sacra, in his primum locum obtinent sacrificia, quæ duodecim numero diis superis, mediocim, atque etiam inferis, fieri debent. Nam animæ corporisque coniunctio, haud melior quàm separatio censenda est. Sequentem locum habent certamina sacra, quibus pueri imberbes & adulescentes, tam puellæ quàm masculi, exerceri debent singulis mensibus, non solum belli, sed & pacis temporibus: nam ut habet vetus vrbis nostræ Sencæ dictum: Felix est illa ciuitas, quæ tempore pacis de bello cogitat. Tertium ludi sacri, & chori Musici, cum suis rhapsodis & cantoribus: quibus & accedunt conuiuia sacra, quæ non est difficile rectè describere. Sed quoniam in omnibus his adolescentes & puellæ inter se miscentur, omnium difficillimum est, rationem inuenire, ut in illicitam venetem non illabantur: quod ea re fieri potest, si ita instituantur, ut sint amatores honoris, & qui non corporis, sed animi morum pulchritudinem diligant. Atque hæc quidem cum circa rerum publicarum leges, quæ ad ciuitatem regendam ac gubernandam pertinent, ita se habeant, leges rerum priuatarum quæ ad victum illi præbendum spectant, sunt partim agrorum, ne termini moueantur, fructus auferantur, aqua deriuetur, partim opificum, quos non ciues, sed peregrinos esse oportet, partim euectionum & inuectionum terra & mari, quæ, ne merces corrumpantur, quàm parcissimæ esse debent, & liberæ à vectigali. Faciendo porro distributionem annonæ in duodecim partes, pro numero regionum reipublicæ, cuius tertia pars liberis cedit, tertia seruis, & tertia opificibus: quibus omnibus certi magistratus, atque aded etiam dii præsidet, nec non leges constitutæ sunt, quas à primis legum custodibus generaliter constitutas sequentes supplebunt, parua ex magnis facilè colligentes. Absolutis post exordium legibus, sequitur de sanctione earum ut dicatur, hoc est, de iudiciis quibus poenæ proponuntur his qui secus quàm oportet fecerint, præcedente tantum exhortatione, antequam ad poenas veniatur. suntque his de rebus quatuor omnino tractatus. Primus est de sacrilegiis contra Deum puniendis, nec non de prodicionibus contra rempublicam, & homicidiis quantum ad singulos. In quibus omnibus plurimum interest, voluntariè, an inuoluntariè, an medio modo, per errorem, iram, aut cupiditatem, quid fiat, siue palàm, per vim, subito quodam motu, siue clàm, per dolum, præmeditato. Estque res nefandissima, parentè, aut seipsum, vel quemcunque etiam alium occidere, nisi talis sit ut licitè occidi possit, post quod graue est vulnus inferre, & tertio verberare. de quibus omnibus leges scribendæ sunt, & poenæ partim sancindæ, partim arbitrio iudicis committendæ. Secundus est de vi & rapina, & maximè quidem de incontinentia erga Deum, parentes, & magistratus, quæ ex eo ferè procedit, quod alij Deos esse negant, alij esse quidem fatentur, sed rerum humanarum nullam eos curam gerere aiunt, alij gerere quidem putant, sed donis facilè placari. Aduersus quos omnes primò proœmio agitur, quo contrarium in singulis latè demonstratur: deinde sanctione poenarum, addita lege generali, ne quis sacra priuata habeat, sed ut publica sint. Tertius est de pactis seruandis, adulterationeque pecuniæ vitanda, & cauponationibus. item de testamentis quibus de hærede, tutoribus, & sponis liberorum prospicitur. ad hæc de tutelæ rectè gubernandæ ratione. tum de abdicatione liberorum, & diuortio inter virum & vxorem, & honore parentibus exhibendo. & denique de veneficis puniendis, furiosis & maledicis coercendis, mendicis non tolerandis, seruorum delictis resarciendis, & falsis testimoniis, calumniisque grauiter castigandis. Quartus est de legatis, qui officium suum non bene obeunt, puniendis, nec non furibus & raptoribus. item de his qui arma in militia abiiciunt. tum de iu-

de iudicibus eligendis, apud quos reliqui magistratus omnes rationem reddere debent, factis probationibus, non per iusiurandum, sed aliter: ad hæc de peregrinationibus faciendis vel admittendis aut non: post de fideiussoribus, quærentibus aliquid in domo aliena, testibus & aliis cogendis vel non, receptatoribus furum & exsulum, muneribus non recipiendis: & denique de Deorum donariis, iudiciis priuatis & publicis, & sepulchris: cum quibus omnes ciuitatis leges concluduntur. Ad quas quidem conseruandas (nam alioqui frustra latæ essent) opus est capite quodam concilij nocturni, & præstantissimis legum custodibus, qui ætate, doctrina, & virtute diuina præ cæteris insignes, in id semper incumbant, non aliud semper respicientes quàm ad vnam virtutem, vt eâ ciuitas imbuetur. S. Post diuinam & philosophicam rempublicam descriptam, iam vulgarem quam esse ais? G. Aristotelis, quàm in communi popularique ratione positam, octo libris Politicorum descriptam nobis reliquit, tractans primò de principiis reipublicæ, & studiorum ad eam pertinentium: deinde de ipsius reipublicæ descriptione: post de eius constitutione, Principia reipublicæ à domo cœpisse tradit, sic vt ex pluribus domibus pagus, ex pluribus pagis ciuitas primùm fuerit constituta. Quæ in domo sunt imperia, vel domini est in seruum, vel mariti in vxorem, vel patris in filium: Seruum tum naturâ, tum autem hominum constitutione, qua bello capta nostra fiunt, domini est possessio, & instrumentum ad acquirendum, quatenus ad rem familiarem est necessarium, Estque omnis acquisitio vel naturalis, vt ex agricultura & animalibus; vel contra naturam, vt ex fœnore, vel communis, vt ex rerum permutatione & commercio. Vxor omnis vitæ sociæ est, paritque marito, quoniam masculinus sexus naturâ præstantior est quàm femininus. Filius, est qui ex nobis genitus est, obtemperatque patri, quoniam naturâ senior in iuniorem debet habere imperium. Estque inter tria ista imperia hæc differentia, quòd domini in seruum, qui nullum habet liberum arbitrium, herile est; mariti in vxorem, quæ arbitrium quidem habet, sed imbecillû, ciuile; patris in filium, qui & ipse arbitrij est particeps, sed imperfectè, regium. Principia studiorum ad rempublicam pertinentium in eo ponit, vt alias respublicas, siue ab eruditis descriptas, siue re ipsa constitutas, ante omnia cognoscat, & quid virij in se habeant intelligat. Itaque primùm Socratis supradictam rempublicam, tanquam à communi vitæ consuetudine remotam, reprehendit. Deinde Platonis supradictam rempublicam propius quidem ad communem vitam accedere ait, sed quædam tamen quoque habere quæ vsum vulgarem excédunt, minimeque ei conueniunt: tum de Carthaginensium, Milesiorum, Lacedæmoniorum, & Cretensium rebus publicis differens, communi vitæ rationi omnino quidem accommodatas esse tradit, sed multa tamen habere non optima: componens deinde inter se Cretensem, Laconicam, & Carthaginensem respublicas, quas quodam modo proximas inter se, & tamen multum distantes scribit: & enumerans ad extremum politicos aliquot homines, qui alij reipublicæ constituendæ, alij legibus duntaxat condendis, alij vtrique muneri, siue in sua ciuitate, siue in aliena, siue ex toto, siue ex parte præfuerunt. Circa descriptionem reipublicæ tria omnino proponuntur. Primùm vt post eam definitam, tum quidem id quòd in ea paret cognoscatur, tum autem quòd imperat, tum verò quòd medium inter vtrumque est interiectum. Secundò, vt quæ mutationes & conseruationes rerum publicarum sint, intelligatur. Et tertio, vt quæ alia in iis accidentia sint, non ignoretur. Quantum ad primum, cum respublica sit eorum qui in eadem ciuitate degunt recta institutio, vt quam optimè circa virtutem, & alia se habeant (nam eum finem sibi habet propositum) qui in ea parent, eiusque tanquam totius sunt partes; ciues vocantur, circa quos, quando ciuitas eadem vel alia dicatur, & vtrum viri boni, & boni ciuis eadem sit virtus, nec ne, quæritur. Qui autem imperant, sunt, apud quos summa rerum est, ad ciuitatem regendam ac gubernandam. Et est quidè summa reipublicæ vel penes vnum regem, ad comunè vtilitatem in gubernando respicientem; vel penes optimates, qui idem faciunt, vel apud totam multitudinem, quæ & ipsa eodem modo procedit: à quo cum aberratur, & non ad commune, sed eius qui præest, bonum omnia referuntur, fit vt regia potestas in tyrannidem transeat, optimatum in paucorum potentiam, & multitudinis in statum popularem. Circa quæ quidem sex & item septimum ex iis mixtum, multæ se offerunt quæstiones. Nam quemadmodum in optimatum potentia variæ figuræ se offerunt, ita & regum diuersæ sunt species; nec non in multitudinis gubernatione, formæ & partes ciuitatis, variis modis spectantur. Quod & ipsum circa transgressiones accidit, vt tam paucorum potentia, quàm tyrannis, & item status popularis, variis modis se habere reperiantur, prout de singulis tum quidem distinctè, tum autem confusè, propter mixtionem eorum, & varias quæstiones, traditur. Qui mediij inter eos qui parent, & qui imperant, sunt interiecti, sunt con-

52
 fultores ciuitatis, magistratus, & iudices. Consultores sunt, qui de magistratibus creandis, legibus rogandis vel abrogandis, belloque & pace deliberant, rationesque exigunt, qui variis modis habere se possunt. Magistratus, qui varia in ciuitate munera obeunt, quorum descriptio late patet, nec non vtrum perpetui, an temporales esse debeant; & quomodo constituendi, hoc est, per quos, ex quibus, & quo pacto. Iudices, qui rebus iudicandis præfunt, de quibus variè quoque tractatur, ex quibus eligi debeant; de quibus, qui que ius dicere debeant, & quonam modo. Quantum ad secundum attinet, quod mutationes & conseruationes rerum publicarum spectat; enim vero generaliter verum est, mutationes omnes ex seditionibus oriri, quarum causæ sunt, cum qui subest, absolutè par esse cœpit, & qui præest, absolutè dominus; ad quod ex variis causis, lucris & damni, honoris & contumeliæ, animi mouentur: cui rei vt obuiam eatur, vna cautio est, vt leges diligenter ab vtrisque seruentur, in quo vno vera conseruatio rerum publicarum est constituta. Atque hæc quidem cum generaliter ita se habeant, sunt porro quædam specialia, quæ ad mutationem & conseruationem pertinent; tum quidem potentia multitudinis & status popularis; tum autem optimatum & potentia paucorum; tum vero regni & tyrannidis. de quibus ordine differitur. Quantum pertinet ad tertium, quod circa ea, quæ præter supradicta reipublicæ accidunt, versantur, in his vnum est, vt quæ populari statui, cuius finis libertas est, maximè conueniant, intelligatur: alterum, vt quæ paucorum potentia, & quales ad eam assumi debeant. vltra quæ circa magistratus consideratur, quosdam esse magistratus necessarios, vt omnino sit ciuitas; alios autem vtiles, & delectabiles, vt bene sit. de quibus particulatim nonnulla traduntur. Absoluta hoc modo descriptione ciuitatis, circa optimæ reipublicæ constitutionem duo traduntur. Vnum est, vt quæ optima respublica sit intelligatur: ad quam rem primò generaliter traditur, quæ sit optima hominis vita, nempe quæ cum virtute sit coniuncta, non deficientibus corporis & externis bonis. deinde specialiter, partim quot & quales homines in optima republica esse oportet, nimirum vt se cognoscant inter se, & quamoptimè ad virtutem & bellum sint affecti; partim quænam in republica sint necessaria, videlicet alimenta, artes, arma, pecuniæ, sacra, iudicia; & partim quo pacto regiones vrbis, & agri, nec non ædificia, secundum ea, & comestationes publicas, fieri ac distingui debeant. tum particulatè, quis finis optimæ reipublicæ debeat esse propositus, nempe felicitas per virtutem, & quomodo ad eam perueniatur, per rectam institutionem scilicet, vsum, & naturam. Alterum est, vt eius rei causa, liberorum diligens ratio habeatur: circa quam rem videndum est, tum quidem qua ætate matrimonia contrahenda sint, nempe decimo octauo anno quantum ad feminas, & tricesimo sexto quantum ad mares; tum autem quomodo liberi educandi, nimirum vt, quantum ad corpus, frigori & calori assuefiant; & quantum ad animum, moribus quàm optimis, reiectis omnibus turpibus sermonibus, gestibus, & picturis. tum verò, quomodo & in quibus instituendi, in literis nempe, reliquaque pictura, gymnasticis, & musicis. de quibus singulis ordine differitur. Nunc ad reliqua pro sermonis nostri instituto pergamus. Nam hæc & ad id quod agimus, & ad lucem aliquam iis dandam qui penitus ea cognoscere volent, sufficiunt.


De vita hominis sub lege Mosaica.

TITVLVS XII.

S.  **V**ID ergo? ane sequitur de republica & lege Mosaica, cui secundus gradus tributus est, vt differas? G. Sequitur verò, & quidem de ea primum dicemus, quidnam sit lex Mosaica: deinde, quomodo diuidatur: post, quomodo fuerit constituta.

Quid sit lex Mosaica.

TITVLVS XIII.

S.  **V**AM vocas legem Mosaicam? G. Quam per Mosen Deus nobis reliquit: constatque quinque omnino libris. Ex quibus primus, qui Genesis dicitur, exordia eius continet, iam inde à mundi constitutione, & creatione hominis, vsque ad Abrahamum, Isaac, & Iacob; vnde duodecim patriarchæ, & rota gens Israelitica processere. Secundus autem, tertius, & quartus, qui Exodus, Leuiticus, & Numerus inscribitur, plenam & perfectam eius descriptionem in deserto factam, postquam Moses iussu Domini populum Israeliticum ex Ægypto

pro eduxisset: & quintus denique, cui Deuteronomio nomen est, anacephalæosin eius, & sanctionem, ac quasi summam quandam, quam Moses sub exitum vitæ suæ faciebat, cum populus Israeliticus quadragesimo anno exitus sui ex Ægypto Iordanem transiturus, & in terram promissionis intraturus esset.

De diuisione legis Mosaica.

TITVLVS XIII.

S. **Q**UOMODO autem partiris legem Mosaicam? G. In eam quæ rerum est, quæ personarum, & quæ rerum simul & personarum. S. Quam vocas rerum? G. Quæ circa res versatur, vt quid iustum vel iniustum in iis sit, constituat. S. Quam personarum? G. Quæ ad personas directa est, vt obseruandis legibus circa res constitutis, repudiata iniustitia, ipsa iustitia in eas inducatur. S. Quam rerum simul & personarum? G. Quæ ita est composita, vt tam in personas quàm in res iustitiam inducat. Dicendum autem est ordine de singulis.

De lege rerum perpetua.

TITVLVS XV.

S. **Q**UITVR de ea quæ rerum est, primùm quid ais? G. Hanc tum quidem perpetuam esse dico, tum autem temporalem, tum verò mixtam. S. Perpetua quænam autem est? G. Quæ semper & in perpetuum hac lege seruari iussa est. S. Temporalis verò? G. Quæ ad ea solùm pertinet, quæ tempore peregrinationis, primo ingressu in terram promissionis, Deus ab Israelitis fieri volebat. S. Mixta denique? G. Quæ vtriusque est generis, & tam primis constituendi imperij Israelitici initiis, quàm reliquis consequentibus temporibus conuenit. S. Intelligo. G. Tractabimus autem separatè distinctèque de omnibus, ac primùm quidem de perpetua, quæ tres rursus habet partes. S. Cedo quas? G. Moralem vnã, quæ ad vitam & mores circa Deum & homines pertinet, cerimonialem alteram, quæ ritus & cerimonias externas circa Dei cultum spectat, & iudicialem tertiam, quæ in reipublicæ, iurisquæ ac iudiciorum ad eam pertinentium descriptione consistit. Quas quidem tres partes demonstrat Moses, cum ex ore Dei ait: Hæc sunt præcepta, & cerimoniarum, atque iudicia, quæ mandauit Dominus Deus vester vt docerem vos, vt faciatis ea in terra ad quam transgredimini possidendam. Ibimus autem per singula.

De lege morali.


TITVLVS XVI.

S. **D**E morali ergo primùm quid habes dicere? G. Hæc est, quæ ad Deum & homines, vt dico, pertinentem, Dominus ipse in monte Sinai ore suo pronunciauit, decemque præceptis, quæ proprio digito suo in duabustabulis post exarabat, comprehendit. S. Ad Deum autem quænam pertinent? G. Hæc quinque: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis. Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in calo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra: non adorabis ea neque coles.* Ego enim sum Dominus Deus tuus, Deus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens misericordiam in millia his qui diligunt, & custodiunt præcepta mea. *Non assumes nomen Domini tui in vanum: nec enim infontem habebit Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra. Memento vt diem Sabbathi sanctifices.* Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua; septimo autem die Sabbathum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, tu & filius tuus, & filia tua, seruus tuus, & ancilla tua, & bos, & asinus, & omne iumentum tuum, & aduena qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram, & mare, & omnia quæ in iis sunt, & requieuit in die septimo. idcirco benedixit Dominus diei sabbathi, & sanctificauit eum, vt requiescat in eo seruus tuus, & ancilla tua, sicut & tu. Memento quod & ipse seruietis in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus, in manu forti, & bra-

chio extento, idcirco præcepit tibi. vt obseruares diem sabbathi. *Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram, & bene sit tibi in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.* Ex quibus, quatuor ad ipsum Deum pertinent, & vnum ad vicarios eius parentes, qui quasi pro corporatis quibusdam diis haberi debent. Et quidem cum duo priora ad Deum pertinentia (ex quibus vnum ob nobilitatem suam narratiuum tantum est, sine aliqua adiectione) doceant quis verus Deus sit, vel non sit, ad eum animo colendum; tertium, quo pacto loqui de eo oporteat, demonstrat; & quartum, quonam modo facto circa eius cultum versari. S. Quænam autem ad homines? G. Altera quinque: *Non occides. Non mæchaberis. Non furtum facies. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem eius, non seruum, non ancillam, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.* Ex quibus tria sunt quæ ad facta cohibenda pertinent, circa proximum, uxorem eius, & res; ad iram, libidinem, & auaritiã cohibendam; sequens ad dicta pertinet, ad veritatem colendam; & vltimum ad cogitata, ad iustitiã. S. Optimè. G. Ac sunt quidem hæc duo genera præceptorum deducta ex duabus illis magnis legibus primæ naturæ, de amore Dei & proximi, quarum in Deuteronomio & Leuitico fit mentio, his verbis: Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua: & amicum tuum sicut teipsum. S. Intellego. G. Pertinentque huc quæ de veri Dei cultu, nec non de falsis diis, & eorum prophetis ac superstitionibus vitandis, variis locis Deuteronomij, & in aliis libris Legis exstant.

De cerimoniaali.

TITVLVS XVII.

S.  E HINC legem cerimonialem quam vocas? G. Quæ circa ritus ac ceremonias erga Deum versatur, idque siue personas sacras spectes, siue loca, siue tempora, siue res. S. Quæ sunt personæ sacræ? G. Quæ Deo (quem solum pro hæreditate habent, sine vlla parte bonorum in Israel) ritè consecratæ sunt, vt rei diuinæ faciendæ, certis vestibus ornamentisque induatæ, præsent: & sunt partim ordinariæ, partim extraordinariæ. S. Ordinariæ quæ sunt? G. Trium generum, nempe primum Pontifex Maximus, siue summus Sacerdos, qui præ aliis sacerdotibus hoc habet eximium, vt quotannis semel in sancta sanctorum introeat, & pro populo oret, & summis iudiciis, iurisque obscuritatibus enodandis, præsideat; viuuntque ex centesima omnium fructuum Israel, & ex decimis decimarum, quæ debentur Leuitis. S. Audio. G. Tum ordo sacerdotum, qui in sanctuario ministrant, ad accendendum thymiana, & lucernas, ponendosque panes propositionis, & sacrificandum; viuuntque ex primitiis & oblationibus. Ac quantum ad ornamenta sacerdotalia attinet, sunt numero nouem, ex quibus, quatuor communia sunt omnium sacerdotum, nempe femoralia linea, tunica linea, baltheus, thiara siue mitra; quinque autem propria summi sacerdotis, vt tunica hyacinthina, superhumeralis, siue ephod, quo indutus responsa petit à Domino, rationale, cingulum, & thiara hyacinthina, cum aurea lamina in fronte, in qua scriptum est nomen Dei tetragrammaton. S. Intellego. G. Tum Leuitæ, qui sacerdotibus variis in rebus seruiunt; viuuntque ex decimis; distincti in tres familias, Caathitarum, Gersonitarum, & Meraritarum. S. Quæ sunt personæ sacræ extraordinariæ? G. Nazaræ, qui seipsos Deo deuouent & offerunt: nam ordinarij iure familiaræ ad hoc sunt obligati. S. De locis sacris porro quid ais? G. Hæc in tabernaculi fœderis ac testimonij siue sanctuarij (generali nomine) tribus partibus consistunt. S. Quænam prima est pars? G. Atrium, quod est extimum, vbi Leuitæ ferè versantur. S. Quæ secunda? G. Sanctuarium speciali nomine, vbi sunt sacerdotes; & duo altaria, vnum thymiamatis, & alterum holocaustorum, nec non candelabrum cum lucerna, & mensa duodecim panum propositionis, & labrum æneum ad lauandum. S. Quæ tertia? G. Sanctum sanctorum, intimum totius tabernaculi, & à sanctuario velo diuisum, quadratum, & obscurum, vbi arca est fœderis Domini, quæ tegitur propitiatorio, in quo stant duo Cherubim, ex quorum medio Dominus consultus respondet. Seruantur autem in sancto sanctorum: duæ supradictæ tabulæ legis, in ipsa arca fœderis, virga Aaron, Gomer manna, & liber Deuteronomium. S. Nunc tempora sacra quænam sunt? G. Quibus à seruilibus operibus abstinetur, & Deo sacrificando, orando, legendo, ieiunando vacatur, clangendo tubis & cornibus, prout res exigit. S. Quomodo autem diuiduntur? G. In ordinaria & extraordinaria. S. Ordinaria quot & quænam sunt? G. Enimvero cum

cum septem sint numero; summa capita habent tria; nam sunt partim septimanaria, partim menstrua, partim annua. S. Septimanaria quæ vocas? G. Quæ septimo die recurrunt, vt sabbathum, cuius præceptum respectu cultus diuini morale, respectu statim diuini ceremoniale est. S. Quæ menstrua? G. Quæ singulis mensibus; vnde & à nouilunio, & calendis nomen iis tribuitur. S. Quæ annua? G. Quæ singulis annis; & sunt numero quinque, vt Paschæ siue azymorum, aut phase, quod festum in memoriam transitus, ex Ægypto primo mense anni celebratur: Pentecoste, quod quinquagesima inde die ob nouas fruges: Clangoris tubarum, quod prima die mensis septimi: Expiationis siue propitiationis peccatorum, quod decimo eiusdem, ingrediente Pontifice in sanctum sanctorum: & Tabernaculorum, siue Scenopegia, decimaquinta eiusdem. Estque mandatum, vt omne masculinum ter in anno, hoc est, festis Paschæ, Pentecostes & Tabernaculorum appareat coram Domino, nemoque vacuus veniat. S. Quæ sunt tempora sacra extraordinaria? G. Quæ ob causam extra ordinem indicuntur. S. Iam res sacras quas vocas? G. Quæ ad rem diuinam pertinent, & sunt maiores, & minores. S. Quas dicis maiores? G. Circumcisionem & sacrificium. S. Quid est circumcisio? G. Amputatio præputij, quæ in omnibus masculis fit septima die à natiuitate, & fit per eam ingressus in plebem Dei. S. Quid sacrificium? G. Quod Deo offertur. de quo videndum est quotuplex sit, quarum rerum, & quomodo fiat. S. Quotuplex est? G. Certè pro ratione temporis diuiditur in iuge siue quotidianum, tam vespertinum quàm matutinum, & id quod certorum est temporum; pro causa, in spontaneum, necessarium, & mixtum, quod ex voto fit, pro quantitate in maius, & minus; pro qualitate ac fine, in holocaustum, quod ad vnam Dei laudem totum crematur; hostiam pacificam, quæ pro gratiarum actione vel re aliqua impetranda offertur, & peccati, quo peccata inuoluntaria expiantur. S. Quarum rerum est? G. Res principales maiores quæ sacrificantur, sunt, boues, oues, capræ: minores, columbæ, turtures, passeris: minimæ, simila, far, panis coctus in clibano, craticula, vel fartagine. Accessoria sunt libamina, quibus condiuntur sacrificia; & sunt, oleum, vinum, simila, thus, & sal. S. Quomodo fit? G. Per sacerdotem in altari, adhibitis precibus, sic vt sanguis fundatur, & adeps cremetur. S. Minores res sacræ quæ sunt? G. Thymiama quod adoletur, & ex quinque fit speciebus: votum, cum quis se, vel quod suum est, deuouet: expurgatio adulterij, per potum aquæ amaræ, & homicidij, per sacrificium vituli: purificatio à partu, lepra, fluxu seminis, contacti morticinij, per aquam lustralem cum hyssopo: & oblatio, quæ vel sponte fit, cum voto, vel absque eo, Deo, tabernaculo, aut sacerdotibus; vel necessario, veluti quod omnia primogenita, omnesque primitiæ, nec non decimæ offerri præcipiuntur, celebrando de iis sacra conuiuia coram Domino, nisi quod sanguinem comedere non licet, nec ea quæ immunda sunt & maculata, debentque aduocari Leuitæ, pupilli, viduæ, & aduenæ. S. Rectè. G. Verba autem solennia, quibus qui offerunt, vtuntur, sunt hæc: Profiteor hodie coram Domino Deo tuo; quod ingressus sum terram pro qua orauit fratribus nostris vt dent eam nobis. Et idcirco nunc adfero primitias frugum terræ quam Dominus dedit mihi. Item in oblatione decimarum: Attuli quod sacrificatum est de domo mea, & dedi illud Leuitæ, & aduenæ, & pupillo, & viduæ, sicut iussisti mihi: non præterui mandata tua, nec sum oblitus imperij tui.

De lege iudiciali.

TITVLVS XVIII.

S. **H**ABEO ista: dehinc de lege iudiciali volo vt dica^s: quandoquidem de morali & ceremoniali hætenus est expositum. G. Hæc ad rempublicam constituendam pertinet; habetque duo capita, publicum & priuatum. S. Publica quomodo diuidis? G. In ciuilia, militararia, & quæstoria. S. Ciuilia quæ vocas? G. Populi descriptionem, leges, & iudicia. S. Populus quomodo diuiditur? G. In principes, ciues, & medios, siue magistratus. S. Quos vocas principes? G. Primum ipsum Deum, qui arcæ fœderis semper insidebat, in medio filiorum Israel: deinde eius vicarios, Moysen prophetam, Aaron sacerdotem, & Iosue ducem exercitus; cuius loco post Reges successerunt. De quibus quidem Dominus præcipiebat, ne alij essent quàm de filiis Israel, & vt initio regni Deuteromij sua manu describerent, semperque secum haberent. Qua de re verba Legis sunt: Cum ingressus fueris terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam, habitauerisque in illa, & dixeris, constituam super me Regem, sicut habent omnes per circuitum nationes; eum constitues quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum, non poteris alterius gen-

tis hominem regem facere, qui non sit frater tuus. Cumque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero subleuatus; præsertim cum Dominus præceperit vobis ut nequaquam amplius per eandem viam reuertamini. Non habebit vxores plurimas, quæ alliciant animam eius, neque argenti & auri immensa pondera. Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ: ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba, & ceremonias eius quæ in lege præcepta sunt. Nec eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dextram aut sinistram: ut longo tempore regnet ipse & filius eius super Israel. S. Quos autem vocas ciues? G. Communem populum, qui tum quidem in duodecim tribus domosque ac familias diuiditur, tum verò in plebem siue multitudinem, & principes multitudinis, siue seniores, nec non in ciues & peregrinos, siue alienigenas profelytósue, ut passim in libris Mosaicis videre licet. S. Quos magistratus? G. Hi partim vniuersales sunt totius reipublicæ Israeliticæ; qui tum quidem rempublicam vnà cum principibus, tanquam eorum adiutores, administrant, septuaginta numero; tum verò iudicia maiora vnà cum summo Pontifice exercent: partim speciales singularum vrbium, ac locorum, in quibus & principes sunt, siue seniores, qui rem politicam tractant; & iudices, siue magistratus, qui lites contractas disceptant, legemque populum docent; à quibus ad maius iudicium est prouocatio. S. Iam leges quas dicitis? G. Quibus de quaque re statuitur quid fieri debeat, vel non debeat: vocanturque præcepta, mandata, testimonia, & sic deinceps, ut supra demonstratum est. Et sunt leges aliæ simplici nomine sic dictæ, aliæ leges de legibus illis seruandis, & aliæ leges de legibus illis docendis, scribendis, recitandis, cum similibus, uti posterius latius explicabitur. S. Iudicia autem? G. Quibus vtuntur magistratus ac iudices ad leges executioni mandandas. Circa quam rem tum quidem ordo iudiciorum generaliter spectatur; tum autem specialiter, quænam circa iudices, partes, & testes sint iura. S. Quisnam autem ordo est iudiciorum? G. Enimverò quamdiu populus Israeliticus erat in deserto, constituebat Moses principes, tribunos, & centuriones, quinquagenarios, ac decanos, qui populum iudicarent, & si quid difficile se offerret, ad ipsum id referrent. Cæterum post autem rebus constitutis, singularum vrbium singula sunt iudicia, quæ, si quid ambiguum se offerat, ad Sacerdotem magnum id referunt, cuius imperio sub poena mortis ex decreto iudicis est obediendum. S. Quæ sunt iura ad iudices pertinentia? G. Ut audiant litigantes, & quod iustum est iudicent, siue ciuis sit, siue peregrinus, siue paruus, siue magnus, nulla facta distinctione personarum, nec cuiusquam personam excipientes, quia Dei est iudicium: ut iusto iudicio populum iudicent, nec in alteram partem declinent, non accipientes personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum: ut iusti, quod iustum est, persequantur, & viuant, & possideant terram, quam Dominus Deus dederit illis. Ut, si fuerit causa inter aliquos, & interpellauerint iudices, quem iustum esse perspexerint, illi iustitiæ palmam dent; quem impium, condemnent impietatis. ut maledictus sit qui peruertit iudicium aduentæ, pupillo, & viduæ. S. Quæ ad partes? G. Primum ut infontes miserabilesque personæ defendantur: deinde ut fontes, cuiusmodi sunt falsi prophete, idololatæ, filij contumaces contra Deum & parentes, item homicidæ voluntarij, adulteri, fures, falsi testes contra homines, prout decem præceptis moralibus comprehensum est, plectantur, siue morte, siue talione, siue plagis, dummodo non excedantur quadraginta: tum ut eorum qui partim fontes, partim infontes sunt, ut homicidæ inuoluntarij, ratio habeatur per ciuitates refugij. Et si occultum est homicidium, fit expiatio: daturque poculum zelotypiæ, si de adulterio dubia est questio: & si quis ob delictum appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno. S. Quæ ad testes? G. Ut in ore duorum vel trium pereat qui interficietur, nemoque occidatur vno contra eum dicente testimonium, stante in ore duorum aut trium testium omni verbo. S. Post ciuilia explicata, nunc de militaribus quid ais? G. In his primum se offerunt personæ militares, qui sunt omnes masculi supra vicesimum annum: inter quos principes sunt exercitus, tribuni, & centuriones. Planè cum acceperit autem homo nuper vxorem, non procedet ad bellum, nec ei quidquam necessitatis iniungetur publicæ, sed vacabit absque culpa domi suæ, ut vno anno lætetur cum vxore sua. S. Audio. G. Deinde castrametatio, quæ fieri debet circum tabernaculum, per tribus, turmas, signa, & vexilla. S. Intellego. G. Tum autem prælium, in quo primum sacerdotes populum conceptis verbis adhortari debent, tum etiam duces belli. Verba sacerdotum sunt: Audi Israel, vos hodie contra inimicos nostros pugnam committetis: non pertimescat cor

scat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos, quia Dominus Deus vester in medio vestrum est, & pro vobis contra aduersarios dimicabit, vt eruat vos de periculo. Verba ducum: Quis est homo formidolosus, & corde pauido? vadat & euectur in domum suam, ne pauere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est. Diciturque porro generaliter: Quando egressus fueris aduersus hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re mala. S. Rectè. G. Et si qua vrbs obsidenda est (quod cum sit, ligna pomifera, quæ in circuitu sunt, cædi vetantur) primum pax ei offerenda est, quam si recipiat, saluandus est populus vt seruiat sub tributo; sin autem recuset, expugnanda est. S. Probè. G. Expugnata ea, deuicti hostes quomodo delendi sint, vel non, his verbis declaratur: Cum tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percutes omne quod in ea generis masculini est in ore gladij, absque mulieribus, & infantibus, iumentis, & cæteris quæ in ciuitate sunt. Sic facies cunctis ciuitatibus quæ à te procul valde sunt, & non sunt de his vrbus quas in possessionem accepturus es. De his autem ciuitatibus quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes viuere, sed interficies in ore gladij, ne fortè doceant vos facere abominationes, quas ipsi operati sunt diis suis, & peccetis in Dominum Deum vestrum. S. Bene habet. G. Præda autem sic diuidenda, vt duæ quinquagesimæ Domino ac Leuitis cedant, reliqua æquis partibus inter eos diuidatur, qui ad bellum profecti sunt, & qui domi manserunt. Quanquam de spoliis vrbs expugnata dicitur: Omnem prædam exercitui diuides, & comedes de spoliis hostium tuorum, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi. S. Pulchrè. G. Quibus omnibus peractis, trophæum siue altare Deo statuendum est, in memoriam victoriæ quam populo suo tribuit. S. Quid nunc? de quæstoris rebus quid ais? G. Hæ in pecunia publica consistunt, quæ partim ordinaria est, partim extraordinaria. S. Quæ ordinaria? G. Quæ in tabernaculo variis ex causis Deo offertur, & item à masculis viginti annorum datur, cum primum nomina eorum censui adscribuntur. S. Quæ extraordinaria? G. Quæ à populo extra ordinem confertur, & ex quinquagesima prædæ redigitur. S. Absolutis publicis, iam de priuatis quid ais? G. Hæc partim personarum sunt, partim rerum, partim actionum & officiorum, quæ inter personas de rebus fiunt. S. Ad personas quænam autem pertinent? G. Hæc tum quidem vt vir & vxor spectantur, tum autem vt pater & filius, tum verò vt Dominus & seruus: in quibus omnibus, præter cætera, & vestium ratio seruatur. S. De viro & vxore quid ais? G. Circa hanc rem primum spectatur, quas vxores ducere liceat, siue vnam, siue duas, nempe etiam mulierem bello captam; quas non liceat, nempe vxorem patris, sororem, socrum; & quas oporteat, nempe viduam fratris sine liberis defuncti. Deinde quænam constante matrimonio interueniant, veluti si puella ducta non inuenitur virgo; quæ occidi iubetur. Si alicuius vxor alterius masculi virilia apprehenderit, quod punitur. Si quis coniugem dimittere velit, quod fit per libellum repudij. Tum quinam concubitus sint illiciti, nempe meretricij, & alij extra matrimonium, adulterini in matrimonio, & nefarij cum personis prohibitis, siue extra siue in matrimonio. S. De patre autem & filio? G. Primum filius parentes honorare debet, & maledictus est qui id non facit. Tum pater non potest filium priuate iure primogenituræ, ob odium quod fortè habet contra matrem. Deinde filius contumax admonitus à parentibus, & accusatus apud iudices, lapidibus obruitur. S. De domino denique & seruo? G. Enimvero vti Israeliticum sine iusta causa in seruitutem vendere capitale est; ita legitimè venditum oportet anno septimo manu mittere: & si fratris tui seruus ad te confugerit, non trades eum domino suo puniendum, sed habebis eum apud te. S. Rectè. G. Ac quod dixi de vestibus, leges de his sunt: Non induetur mulier veste virili, nec vir vtetur veste feminea; abominabilis enim apud Deum qui facit hæc. Non indueris vestimento quod ex lana linoque contextum est: funiculos in simbriis facies per quatuor angulos pallij tui, quo operieris. S. Nunc rerum quænam sunt? G. Dominia, commercia, & vsus. S. De dominiis quid dicis? G. Hæc lex iubet esse distincta, terminisque separata, & vsque adeò propria, vt non possint in totum alienari: sed ita demum, vt anno iubileo redeant ad pristinum dominum suum. Estque annus iubileus, qui quinquagesimo quoque anno recurrens, remissionem omnium debitorum indicit, & bona alienata cuique restituit, nomine eius inde ducto, quod cantu buccinæ annus hic indicebatur, prout sacris literis latius est proditum, vt ibi videre licet, nam hic obiter attigisse sat est. S. Quid de commercio? G. Circa hanc rem primum constituitur, ne fenus quis à fratre suo accipiat, neque molam aut vestem viduæ pignori: deinde vt merces pauperis eadem die soluatur: tum vt pondera & mensuræ iustæ sint & æquales. S. Quid denique de vsu? G. Quantum ad ea quæ soli sunt attinet, iubetur, vt septimo anno ager quietuscat, nec diuerso semine vinea seratur, & in tectum domus mu-

ro-cogatur. Quantum ad mobilia, ne ex lana & lino vestimentum fiat. Quantum ad se mouentia, ne aratur in boue & asino, ne boui trituranti os obligetur. Ne hœdus in lacte matris coquatur. Ne ex nidis auium parentes, sed pulli tantum fumantur: utque boui & asino, omnique iumento in die sabbathi quies detur. S. Restat de actionibus siue officiis ut dicas. G. Hæc tum quidem homines spectant, tum autem animalia, tum verò homines & animalia. Homines spectant, quod mutuum pauperi denegare non debemus, nec cæcum errare facere, aut summo iure cum proximo agere, quodque cuique spicas decerpere permitimus, & reliquias messis, & vindemiæ, oliuarumque, pauperibus relinquimus: animalia, quod non aramus in boue & asino, nec os boui trituranti obligamus, cum aliis quæ dicta sunt: homines pariter & animalia, veluti quod dicitur: Non videbis bouem fratris tui, aut ouem errantem, & præteribis, sed reduces fratri tuo. Si videris asinum fratris tui cecidisse in via, non despicias, sed subleuabis cum eo.

De lege rerum temporali.

TITVLVS XIX.

S. **A**VDIUI de lege rerum perpetua, nunc de temporali reddito. G. Hæc iis de rebus est quas primo ingressu in terram promissionis, Dominus semel fieri iubebat, quorum tria referam exempla. S. Quod est primum? G. Quo septem nationes terræ Cananæ Dominus funditus ab Israelitis deleri iubet. S. Quod alterum? G. Quo templa eorum, & idola, sacraque omnia euerti. S. Quod tertium? G. Quo idem Amalechitis imperat, atque aded ne id obliuiscantur inculcat. S. Rectè. G. Ac sunt quoque de genere legum temporalium omnes illæ quæ ad castra & alia pertinent, quæ tempore peregrinationis obseruari, post autem cessare debebant.

De lege rerum perpetua & temporali.

TITVLVS XX.

S. **S**UPEREST de lege rerum perpetua & temporali ut exponas. G. Hanc voco, quæ sub certa præfinitione temporis quid permittit, veluti quod dicitur: Non ingredietur manzir, hoc est, de scorto natus, in ecclesiam Domini, usque ad decimam generationem. Item, Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est; nec Ægyptium, quia aduena fuisti in terra eius. Qui nati fuerint ex eis, tertia generatione intrabunt in ecclesiam Domini.

De lege personarum.


TITVLVS XXI.

S. **Q**UONIAM de lege rerum dictum est, ad legem personarum nunc transito. G. Hanc esse diximus, quæ ad iustitiam in personas induendam est accommodata, idque tribus omnino modis. S. Quis est primus? G. Qui per adhortationem procedit ad bonum, dehortationem à malo, & simplicem narrationem vtriusque. Adhortatio est, veluti cum dicitur in Deuteronomio: Et nunc Israel audi præcepta & iudicia, quæ ego doceo te, ut facias ea, viuas, & ingrediens possideas terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum daturus est vobis. Dehortatio, cum idem dicit: Obserua, & caue ne quando obliuiscaris Domini Dei tui, & negligas mandata eius, & iudicia, & cerimonias quas ego præcipio tibi hodie. Narratio, cum idem diuersis locis ordine commemorat, quo pacto filij Israel ex Ægypto excesserint, quid in deserto per annos quadraginta egerint, & quo pacto ad Iordanem tandem peruenerint. quæ omnia quoniam exemplis virtutum & vitiorum sunt plena, meritò pro legibus habentur. S. Quis secundus? G. Qui per exhortationem præmiorum, & sanctionem poenarum, & alia ex iis mixta procedit. cuius exemplum est quod dicit Moyses: Si audieris vocem Domini Dei tui, ut facias atque custodias omnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus quæ versantur in terra. Quòd si autem audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias & facias omnia mandata eius, & cerimonias quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones, & apprehendent te. Ac ponuntur quidem hæc præmia, ac poenæ, tum

næ, tum quidem seorsim per se in extremo Deuteronomij, tum autem sparsim inter singulas leges: pertinentque tum quidem ad fortunæ, tum autem ad corporis, tum verò ad animi bona. S. Quis tertius? G. Qui maledictiones & benedictiones continet, ac sunt quidem maledictiones duodecim numero, quæ sequuntur: Maledictus homo qui facit sculptile. Maledictus qui non honorat patrem. Maledictus qui transfert terminos. Maledictus qui errare facit cæcum. Maledictus qui peruertit iudicium. Maledictus qui dormit cum vxore patris sui. Maledictus qui dormit cum omni iumento. Maledictus qui dormit cum sorore sua. Maledictus qui dormit cum focru sua. Maledictus qui clam percussit proximum suum. Maledictus qui accipit pecuniam, vt percutiat animam sanguinis innocentis. Maledictus qui non permanet in sermonibus huius legis. Benedictiones & ipsæ duodecim numero sunt. Benedictus tu in ciuitate & in agro. Benedictus fructus ventris tui. Benedicta horrea tua. Benedictus ingrediens & egrediens. Dabit Dominus inimicos tuos corruentes coram te. Emitteret Dominus benedictionem super cellaria tua. Suscitabit te sibi Dominus in populum sanctum. Videbunt id omnes terrarum populi, & timebunt te. Abundare te faciet Dominus omnibus bonis. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum cælum. Fenerabis gentibus multis. Constituet te Dominus in caput, & non in caudam: si tamen audieris mandata Domini Dei tui. Atque hæc quidem cum sint benedictiones & maledictiones in genere & specie; multæ sunt leges particulares, quibus horum nihil additur.


De lege mixta personarum & rerum.

TITVLVS XXII.

S.  EQVITVR de lege mixta vti nunc differas. G. Hæc autem est, quæ tum quidem ad res pertinet, vt quid iustum, quid iniustum in iis sit, per eam statuatur; tum autem ad personas, vt tanto facilius lex ab iis recipiatur. Quod partim proæmio legis, partim lege ipsa, partim sanctione eius continetur. S. Quomodo proæmio legis? G. Cum nimirum, antequam ad legis ipsius constitutionem perueniatur, aliquid ei præponitur, quod ad illam facilius recipiendam pertinet. S. Quomodo lege ipsa? G. Cum nimirum vna eademque lex sæpius inculcatur, ne de memoria excidat: vel vehemens aliqua clausula illi additur, veluti, *Cæue ne obliuiscaris*: vel ratio illi apponitur, siue interna, quæ ad Deum & eius præcepta refertur; siue externa, quæ ad rerum gestarum memoriam; siue modalis, vt hoc vel illud contingat. S. Quomodo sanctione? G. Cum post legis constitutionem præmium vel pœna subiicitur, vt passim in tota lege videre licet.

Quomodo lex Mosaica fuerit constituta.


TITVLVS XXIII.

S.  ICTVM est quidnam lex Mosaica sit, dictum est quomodo diuidatur: nunc quonam pacto constituta fuerit exponito. G. Enimvero hac in re tum quidem auctor legis spectatur, tum autem populus ei subiectus, tum autem ipsa lex. S. Auctorem autem huius legis quem vocas? G. Deum, qui tum quidem proprio ore suo eam publice pronunciauit; tum autem digito suo proprio in tabulis lapideis descripsit; tum verò Moyse, tanquam administro, dictauit. S. Quem populum? G. Israeliticum, qui pacto siue fœdere cum Deo inito, legem hanc sua sponte suscepit. qua de re sacra scriptura, *Hæc sunt, inquit, verba fœderis, quod præcepit Dominus Moyse, vt ferret cum filiis Israel: Vos statis hodie cuncti coram Domino Deo vestro, vt transeas in fœdere Domini Dei tui, & in iureiurando, quia hodie Dominus Deus tuus percutit terram, vt suscitet te sibi in populum, & ipse sit Deus tuus sicut loquutus est tibi, & sicut iurauit patribus tuis, Abraham, Isaac, & Iacob.* S. Quam legem? G. Quæ tum quidem quinque libris Mosaicis, tum autem Deuteronomio, tum verò duabus tabulis lapideis continetur: cui nec addere licet nec demere, nec declinare ab illa in partem dextram vel sinistram, nec in iudicando secundum eam excipere cuiusquam personam. Tubeturque eius memoria tribus modis custodiri. S. Primus quisnam autem est? G. Quod duæ tabulæ legis moralis, nec non Deuteronomium in arca fœderis seruari mandatur, his verbis: Postquam ergo scripsit Moyses verba legis huius in volumine, atque compleuit; præcepit Leuitis, qui portabant arcam fœderis Domini, dicens: *Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini, vt sit ibi pro te in testi-*

testimonium. S. Alter autem? G. Quòd in lapidibus lex inscribi præcipitur per hæc verba: Cùm transieris Iordanem, in terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, eriges ingentes lapides, & calce læuigabis eos, vt possis in eis scribere planè & lucidè omnia verba legis huius. S. Vltimus verò? G. Quòd per homines scriptura & memoria legis conseruari iubetur, idque siue singulos spectes, siue familias, siue vniuersos. S. Quomodo per singulos? G. Quòd dicitur: Ponite hæc verba mea in cordibus & in animis vestris, & suspendite ea pro signo in manibus, & inter oculos vestros collocare. S. Quomodo per familias? G. Quòd scriptum est: Docete hæc verba filios vestros, vt illa meditentur: quando federis in domo tua; & ambulaueris in via, & accubueris, atque surrexeris, scribes ea super postes, & ianuas domus tuæ. S. Quomodo per vniuersos? G. Quòd his verbis continetur: Post septem annos, anno remissionis in solemnitate tabernaculorum, conuenientibus cunctis ex Israel, vt appareant in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit Dominus, leges verba legis huius coram omni Israel, audientibus eis, & in vnum omni populo congregato, tam viris quàm mulieribus, paruulis, & aduenis qui sunt intra portas tuas, vt audientes discant, & timeant Dominum Deum vestrum, & custodiant, impleantque omnes sermones legis huius.


De vita hominis sub lege gratia.

TITVLVS XXIII.

S.  RACTATVM est de vita hominis sub lege naturæ corruptæ, tractatum item est de vita sub lege Mosaica: ageris de vita sub lege gratiæ nunc reddito. G. Planè vt ordine progrediar, primùm quid lex gratiæ sit dicam, deinde quonam pertineat, tum quo pacto fuerit inducta. S. Rectè. G. Estque hæc ea vita, quæ duabus præcedentibus veram vitam, & motum tribuit; sic vt, si eius fermento tinctæ & fermentatæ sint, & secundùm hoc dirigantur, bene se habeant; sin verò minùs, nequaquam. Sed ad rem, Dei gratia implorata, accedamus.


Quid sit lex gratia.

TITVLVS XXV.

S.  EGEM igitur gratiæ quam vocas? G. Quam Dominus noster Iesus Christus, Filius Dei viui, per quem solum veræ iustitiæ participes sumus, verèque iusti efficimur, in hunc mundum intulit. S. Intellico. G. Cuius quidem lex ideo lex gratiæ dicitur, quoniam ab eo proficiscitur qui plenus gratiæ est & veritatis. Cui & hoc accedit, quòd cùm lex naturæ corruptæ in iustitia restricta magna ex parte fundata sit, lex autem Mosaica in iustitia directa; hæc ab ea iustitia manauit, quam laxatam supra nominauimus, & in gratia ac misericordia, qua Deus pro summa bonitate sua per eam nos amplectitur: & vt id nos imitantes, eodem modo alij alios amplectamur, edocet. S. Rectè. G. Adèd vt non solum superiores leges omnes, nempe lex contra naturam, lex naturæ corruptæ, & lex Mosaica, per eam emendentur; sed & ipsa primitiua lex naturalis ad suam perfectionem perducatur.

Quonam pertineat lex gratia.

TITVLVS XXVI.

S.  VONAM autem pertinet lex gratiæ? G. Ad tria omnino. S. Quod est primum? G. Regnum Dei, quod pro corpore est. S. Quod alterum? G. Iustitia eius, quæ pro anima. S. Quod tertium? G. Reliquum, quod iis accedens, ea inter se coniungit. S. Probè. G. Atque hæc quidem tria demonstrat nobis Dominus, cùm ait: Primùm querite regnum Dei, & iustitiam eius: reliqua adiicientur vobis. Ibi mus autem per singula.

De regno Dei.

TITVLVS XXVII.

S. **N** GITVR de regno Dei quid dicis? G. Primò de regno dicam, deinde de Dei regno, tum de vtroque coniunctim. S. De regno quid ais? G. Enimvero cum supra traditum sit, propriè regna dici inter homines societates, vbi aliquid sit quod imperet; aliquid quod pareat, & aliquid quod partim pareat, partim imperet; id quoniam & in vita sub lege gratiæ contingit, meritò regnum dicitur, & quidem multo magis quàm cætera: nam cum illa inchoata duntaxat sint, & imperfecta, hoc solum plenum est, omnibusque partibus absolutum. S. Quæ in eo præsent, parent, & medium locum obtinent, quænam autem sunt? G. Qui præest, Christus ipse est; qui parent, omnes qui ad eum ipsum, & nomen eius se conuerterunt; qui partim parent, partim imperant, Apostoli eius & discipuli, medij inter vtrofque interiecti. S. De Christo autem quid ais? G. Hunc quisnam autem sit nosse oportet, qualis, & quæ nomina habeat. S. Quænam autem eum esse ais? G. Æternum Dei Patris Filium siue Verbum, cum ipso Patre vnum. de quo Ioannes: In principio, inquit, erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. S. Qualem autem? G. Deum & hominem, verè & substantialiter. de quo idem Ioannes: Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis (& vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre) plenum gratiæ & veritatis. S. Nomina denique? G. Hæc autem sunt propria, appellatiua, media. S. Quod est proprium? G. Iesus, quasi saluatorem dixeris. quod nomen tum quidem tempore conceptionis diuæ Virginis ab Angelo impositum est, his verbis: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Tum autem Iosepho, sponso diuæ Virginis, per Angelum in somnis denunciatum per hæc verba: Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum: Tum verò secundum hoc in natiuitate impositum, qua de re scribitur hoc modo: Et postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo priusquam in vtero conciperetur. S. Quæ sunt appellatiua? G. Hæc partim diuina sunt, partim humana, partim mixta. S. Quæ sunt diuina? G. Alia primaria, alia secundaria, alia tertia. S. Primaria quænam vocas? G. Primum quod Deus vocatur à Thoma, cum dicit: Dominus meus, & Deus meus. Deinde quod Filius Dei. vnde Marcus librum suum vocat, Euangelium Iesu Christi Filij Dei. nominatque Pater cælestis eum Filium in transfiguratione, dicens: Tu es Filius meus dilectus. Tum verò quod Filius Altissimi, dicente Angelo ad Mariam: Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur. S. Secundaria autem? G. Quæ à primariis profluunt, vt verbum, vita, lux: ex quibus verbum à Deo profluere docet Euangelium, dicens: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Ac cum verbo quidem vitam coniunctam esse, ostenditur ibidem, cum dicitur: In ipso vita erat. Pertinetque eodem quod ait Petrus: Domine, quò ibimus? quia verba vitæ æternæ habes. Ac vocat Dominus seipsum vitam, cum dicit: Ego sum via, veritas, & vita. Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, non morietur in æternum. A vita autem lucem procedere, hinc constat, quod à Ioanne porro dicitur: Et vita erat lux hominum. Vnde Dominus: Ego sum lux mundi, inquit: qui sequitur me, non ambulat in tenebris. S. Tertia verò? G. Quæ à secundariis manant, vt via, veritas, & resurrectio. Ac pendet quidem via à lumine, iuxta illud Davidis: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Et veritas à verbo, vnde verbum veritatis in Psalmis dicitur. Et resurrectio à vita, secundum quod Dominus ipse dicit: Ego sum resurrectio & vita. S. Dehinc de humanis nominibus sequitur vt tractes. G. Verum. & quid hæc vel superiora sunt, vel media, vel inferiora. S. Quæ sunt superiora? G. Quæ ad superiorem hominis partem, in qua Dei similitudo inest, pertinent; vt Rex, Propheta, Sacerdos. Ac vocat quidem Dominum Regem, effectu, ipse Angelus, cum dicit: Et regni eius non erit finis: expresse autem Magi cum quærunt, vbi sit qui natus est rex Iudæorum. Cui accedit quod Dominus ipse Regem se vocat, cum ait: Tu dicis quia Rex sum ego. Ac congruunt quidem cum nomine regio, duo alia nomina, ex quibus vnum est Dominus, quod potentæ est; vnde Zacharias de filio suo prophetizans dicit: Præbis enim ante faciem Domini, parare vias eius; alterum autem Pastor, quod administrationis; vnde Dominus ipse Pastorem bonum se vocat. Prophetam vocat Dominum populus, cum post filium viduæ

resuscitatum, magnum Prophetam in Israel excitatum esse ait. Pendentque hinc quoque duo alia nomina: Magister, quod doctrinæ est, uti: Magister quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? & Præceptor, quod disciplinæ, ut: Iesu præceptor, miserere nobis. Sacerdos appellatur Dominus in Psalmo quem ipsemet citat, ut demonstret, amplius quàm Davidis se esse filium, ubi inter cætera dicitur: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. unde & regnum eius Sacerdotale vocatur. Atque huc quidem pertinent duo alia nomina: Vitis, ut: Ego sum vitis, & Pater meus agricola est: & Panis, ut: Ego sum panis verus qui de cælo descendi. nam Sacerdotis proprium esse, vinum & panem offerre, docet exemplum Melchisedech. S. Quæ sunt media? G. Quæ ad communem hominis naturam spectant; partim vniuersaliter, unde filium hominis seipsum Dominus vocat, tanquam qui ab Adamo ut homo sit profectus; partim generaliter, unde filius David appellatur; partim specialiter, unde Nazarenus dicitur, à patria in qua nutritus & educatus est. S. Quæ sunt inferiora? G. Quæ altis mysteriis plena, ab infimis hominis partibus ducuntur: quæ tum quidem cum animalibus sunt communia, tum autem cum plantis, tum verò cum rebus inanimatis. Ac est animalis Domini nomē, quòd Agnus dicitur, ut: Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi: plantarum autem, quòd Vitis, & Panis ex tritico, de quibus iam diximus: & rei inanimatæ, quòd Ostium, ut, Ego sum ostium. S. Post diuina & humana nomina, iam mixta quænam autem sunt? G. Primum Emanuel, quod est, Nobiscum Deus; ex quibus prius humanum est, alterum diuinum: deinde secundum quorundam interpretationem, Principium, qui & loquit vobis, ex quibus prius diuinum est, alterum autem humanum. S. Restat de mediis nominibus inter propria & appellatiua, ut dicas. G. Hoc autem est Christus, qui Hebraicè Messias, Latine Vnctus appellatur. diciturque meritò medium inter propria & appellatiua, quoniam vno modo commune est cum sacerdotibus & regibus, ac prophetis; altero proprium est Domini, à quo ad alios manauit. Vnde Petrus, Ego dico, inquit, quia tu es Christus filius Dei viui. S. Rectè. G. Atque in his quidem nominibus, quæ sunt viginti septem (de quo numero antè tactum est) siue viginti octo, quæ sunt quater septem, quantavis rerum maximarum insit, per se nisi fallor perspicitur. dehinc ad alia transeamus. S. Post id quod præst explicatum, quid, ànne sequitur, de eo quod paret ut dicas? G. Sequitur verò: atque id quidem est Ecclesia cum suis ciuibus, & eorū qualitatibus. S. Quam vocas Ecclesiam? G. Corpus eorum qui Christo adhærent, & ad eius nomen se conuertunt, vbiicumque gentium toto orbe degant. meminitque eius Christus, cum ait: Ego dico quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. item: Si eos non audierit, dic Ecclesie: sin autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus. S. Quos ciues? G. Qui sacrosanctæ Christi Ecclesie sunt participes; qui respectu Christi pastoris, oues eius dicuntur; ut, Petre amas me? Pasce oues meas; respectu autem ipsorum inter se, fratres, ut, Si peccauerit in te frater tuus, admone illum; respectu autem omnium mortalium, proximi, prout per exemplum de Samaritano vulnerato Dominus ipse demonstrat. S. Iam qualitates horum ciuium quænam autem sunt? G. Quòd alij ex iis boni sunt, alij mali, quantum ad Deum; alij iusti, alij iniusti, quantum ad homines; alij perfecti, alij imperfecti, quantum ad Deum & homines. Quòd quidem Dominus significat per parabolam saganæ missæ in mare, quæ multos includebat pisces, bonos & malos; nec non per zizania supersata bono frumento; & per semen quod diuersis modis cadebat, cum aliis locis plurimis. S. Habeo de eo quod præst, habeo item de eo quod paret: nunc de eo quod medium inter vtrumque interiectum est, reddito. G. Huius tria omnino sunt genera. S. Quod est primum? G. Vicarius Christi, cui nominatim ac speciatim dictum est, Pasce oues meas. item: Ego dico quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non praualebunt aduersum eam. Ego dabo tibi clauēs regni cælorum: quòdcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis; & quòdcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis. S. Quod alterum? G. Ordo duodecim Apostolorum, de quibus scribitur: Et elegit duodecim ex ipsis, ut mitteret eos prædicare: & dedit illis potestatem curandi infirmitates, & eiiciendi dæmonia, quos & Apostolos nominauit, à mittendo scilicet. S. Quod tertium? G. Ordo septuaginta duorum Discipulorum, de quibus Lucas: Pòst autem, inquit, designauit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam, in omnem ciuitatem & locum quòd erat ipse venturus. S. Optimè profectò. G. Atque hoc quidem modo videmus quòd quemadmodum in eo quod præst ipsa sancta Trinitas spectatur, nam Pater & Filius vnde Spiritus sanctus procedit, vnum sunt; & in eo quoque quòd paret, tria quoque considerantur, nempe Ecclesia ipsa vniuersaliter, eius ciues generaliter, & eorum

eorum qualitates specialiter: ita horum qui medij inter eos sunt, tres idem esse ordines: vicarij generalis vnus, quod monarchiæ est; Apostolorum duodecim, quod aristocratia; & discipulorum sexies duodecim, quod democratia. S. Intelligo. G. Qui quidem omnes, pro suo quique ordine, primùm & reges sunt potentissimi, quatenus dæmones & omnia mala iis subiiciuntur, cum ligandi & soluendi potestate; & sacerdotes sanctissimi, quatenus baptismum, & alia sacramenta administrant; & prophetæ ac doctores sapientissimi, quatenus Euangelium regni Dei annunciant. S. Audio. G. Deinde iidem, secundùm suum quique ordinem, & magistratus sunt, quatenus rebus gubernandis & administrandis præsent; & iudices, quatenus fratrum quæstiones, vt tactum est, dirimunt; & milites, quatenus contra lupos ponunt animam suam pro ouibus. S. Teneo. G. Et denique iidem ipsi, eodem ordine seruato, & agricolæ sunt, quatenus vt operarij mittuntur in messem Domini; & opifices, quatenus sunt piscatores hominum; & mercatores, quatenus vendunt omnia bona sua, vt emant vnã pretiosam margaritam, agrumue in quo pretiosus thesaurus est defossus. S. Præclare. G. Adeò vt nullus sit ordo in omni re publica, qui non in hoc regno reperiatur, atque id quidem haud paulo, imò verò infinitis partibus præclariore ratione, quàm in cæteris regnis & rebus publicis. S. At quonam autè modo? G. Id autem Deo approbante intelligemus, si postquam nunc explicatum est quo pacto Ecclesia regnum vocetur, deinceps quonam modo Dei dicatur, exponamus. S. De ea re quidnam autem dicis? G. Enimvero scire oportet, regnum aliud Dei esse, bonum; aliud Satanæ, malum, qui aduersarius est Dei; & aliud medium. S. Quod vocas regnum Dei? G. Quod à Deo Optimo Maximo (vnde & nomen habet) constitutum, in cælo propriè locum habet; vnde & regnum cælorum in Euangelio passim vocatur, nec non regnum simplici nomine, & regnum Patris. Et cum latro in cruce Domino diceret, Domine memento mei cum veneris in regnum tuum: dixit illi, Amen dico tibi, hodie tecum eris in paradiso. S. Quod regnum Satanæ? G. Quod à Dei aduersario Satana conditum, propriam sedem suam habet apud inferos. De quo quidem loquens Dominus, Si Satanas, inquit, in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius? S. Quod medium? G. Quod in terris inter homines propriè existat: quod triplex est. S. Quid ita verò? G. Nam vel est regnum Christi, vel regnum huius mundi, vel mixtum ex vtroque. De quibus dicendum est quænam sint, quælia, & quomodo se habeant inter se: vt tanto magis, quidnam reuera regnum Dei sit, elucescat. S. Quod est regnum Christi? G. Quod ille Deus & homo à Patre suo cælesti plenum & perfectum in hunc mundum intulit: vnde regnum Dei appropinquare, & intra nos esse dicitur. vocaturque hinc Dominus Rex Iudæorum, Rex Israel, cum aliis similibus. S. Quod regnum huius mundi? G. Quod homines mundani, patre diabolo, vt Dominus ipse docet, orti, constituerunt: vnde reges gentium, & terræ, in Euangelio dicuntur. S. Quod mixtum? G. Quod vtriusque quoquo modo est particeps: de quo mox latius attingemus. S. Iam quale autem regnum Christi esse ais? G. Totum & ex omni parte bonum, & in iustitia fundatum: cuius quidem radix quoniam est humilitas, quæ bonam voluntatem ius suum cuique tribuendi inducit, fit vt eius regni fundamenta in ea sint collocata; sic vt qui maximus est, omnium sit minimus; & qui præcessor est, sit sicut ministrator: prout sæpe Dominus, & te, & verbo, in Euangelio ostendit, dicens porrò: Discite à me quia humilis & mitis sum corde. Pertinetque eodem quòd non in equo vel curru sublimis urbem Hierosolymorum intrabat, sed in asino, dicente Propheta: Noli timere filia Sion, ecce Rex tuus venit, sedens super pullum asinæ. Atque hoc quidem generali fundamento humilitatis posito, reliqua, quæ speciatim inde profluunt, sunt: Primùm simplicitas in intellectuali hominis parte, circa res animi; de qua tradit Dominus, cum ait: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. vnde vera demum existit sapientia. Deinde patientia in animositate. circa corporis mala sine querela vsque ad mortem toleranda: quæ summa est fortitudo, quæ fructum vberimum adfert in patientia: vnde Dominus, Trademini autem, inquit, à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis, & eritis odio omnibus propter nomen meum, & capillus de capite vestro non peribit. In patientia vestra possidebitis animas vestras. Pòst autem paupertas spiritus in concupiscentia, circa res externas: de qua te Dominus, Beati, inquit, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Proficisciturque ex hac paupertate, vt non modò domum & agros, vxoremque & liberos, sed & semetipsum quis relinquat propter regnum cælorum, vt in Deum diues sit, & in cælo thesaurizet. Vnde Dominus vulpes foucas habere dicit, & aues nidos, filium autem hominis non habere vbi reclinet caput suum. Atque his quidem rebus fit, vt regnum istud non solum Christo, Deo & homini, sed & Deo, trino

& vno, sit simillimum. Nam & potentissimum est contra diabolum & omne malum, quod à Patre manat; & sapientissimum apud Deum, quod à Filio; & optimum in homines, quod à Spiritu sancto, & maximè per pacè, quam Christus nobis reliquit, vnum, quod à sanctissimæ Trinitatis vnitatem. quanquam iis qui mundo immeriti sunt, & non ad res ipsas, sed ad vanitates & insanias falsas respiciunt, secus videatur. Ac tale quidem est regnum Christi. S. Huius autem mundi regnum quale nam est? G. Planè ei contrarium, sic vt omni ex parte malum sit, & in iniustitia fundatum. Cuius quidem origo quoniam ex elatione & superbia est, vnde mala voluntas ius suum cuique auferendi processit, quæ dominandi diram libidinem induxit: sit, vt quemadmodum regni Christi fundamentum est humilitas, cum summa obedientia; ira è contrà huius sit elatio siue superbia, cum dominandi inexplebili cupiditate coniuncta. Vnde Dominus reges & principes gentium, dominari dicit eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercere in eos: qui est principalis huius regni scopus, ad quem omnia diriguntur. Quò quidem vt perueniatur, primùm in parte intellectuali loco simplicitatis est duplicitas, sic vt in corde, & in corde (prout in Psalmis est) homines loquantur, ad alios per dolum circumueniendos (vnde rex Herodes vulpes à Domino ipso vocatur) & per calumniam opprimendos: vnde diaboli nomen deducitur. Et per Ioannem in Euangelio militibus qui ministri regij sunt prohibetur, ne quem concutiant aut calumnientur. nec non erroribus ob duritiem & cæcitatem cordis variè iactentur, prout Thomæ, qui condiscipulis suis credere volebat, accidebat. Deinde in animositate, loco patientiæ siue tolerantia, ad omnia ferenda, est contrarium eius, vis & violentia, ad omnia subigenda & perdenda, vnde bella & clades existunt. Pertinetque huc quod dicit Dominus, diabolum iam inde ab initio esse homicidam. Et discipulis, volentibus ignem de cælo vocare, respondit, venisse se animas saluare, non perdere. Tum in cupiditate mammonæ, quam iniquitatis Dominus vocat, consistens in opum ac pecuniarum abundantia: quæ res tum quidem ad dominatum fraude vel vi stabiliendum seruit; tum autem ad alios exhauriendos, vt tanto facilius opprimi, & sub iugum mitri possint: aded vt etiam ad prodicionem Domini Dei sui Iudas huius vitij causa procederet. Atque his quidem rebus sit, vt quemadmodum regnum Christi Deo simillimum est, ita contrà istud ei sit dissimillimum. Nam & potentia caret, vnde regna huius mundi quotidie everti videmus; & sapientia, dum variis opinionibus semper iactantur; & bonitate, quoniam omni genere vitiorum perpetuò abundant, nec non vnione, quoniam continentibus dissidiis ferè exagitantur, licet vulgo secus videatur. S. Post qualitatem regni Christi explicatam, nec non huius mundi, nunc mixtum regnum quale nam sit expedi. G. Enimvero mixtura hæc vel diuina est, vel satanica, vel humana. Diuina est, cum boni ipsius zelus vsque eò diuina quadam ratione procedit, vt mali quandam speciem præ se ferre propè videatur. Quo quidem modo Dominus ementes & vendentes è templo eiciebat, Scribas & Phariseos hypocritas acriter obiurgabat, circumstantem turbam incredulam toruùm adspiciebat, cum similibus, quæ omnia ex abundantia bonitatis procedebant; quemadmodum & quòd Sabbatho curabat, quòd quemnam eum esse homines dicerent quærebat, se longius ire simulabat, & si qua sunt alia de genere eodem. Satanica, cum malum vsque eò prorumpit, vt boni ipsius speciem quandam & figuram induat. Qua ratione Scribæ & Pharisei phylacteria sua dilatabant, orabant in angulis platearum, daturæ elemosynam caneant tuba antè, venientes in vestibus ouium, cum intus essent lupi rapaces. Humana, cum homines neque summè boni, neque summè mali, ea quæ regni Christi sunt, cum iis quæ sunt regni huius mundi, & è contrà, inter se miscent. In qua mixtura accidit, vt vel plus boni sit quàm mali, vel plus mali quàm boni, vel æquæ vtriusque partes. Fitque hinc, quòd in iis qui Christiani non sunt, virtutes quædam Christianæ nonnumquam apparent; & qui sunt Christiani, in iis vitia existunt eorum qui à Christo sunt alieni. Vnde & dominandi cupiditatem, variasque hypocrises, & hæreses, nec non bella, opumque accumulationes, quæ huius mundi sunt, reipsa quotidie videmus inter eos qui humilitatem cum simplicitate, patientiaque & paupertate, quæ regni Dei sunt, profitentur. S. Dixisti quænam ista regna sint, dixisti & qualia sint: restat, nisi fallor, vt quonam modo se habeant inter se, exponas. G. Verum dicis. & quidem primùm videndum est quonam modo regnum Christi, cui octo beatitudines in Euangelio tribuuntur, ad regnum huius mundi se habeat. Deinde quomodo regnum huius mundi, cui octo maledictiones siue væ, ad regnum Christi. Tum quomodo vtrumque ad mixtum, cui octo similitudines regni cælorum, & è contrà. S. Quomodo se habet regnum Christi ad regnum huius mundi? G. Primùm tanquam ad penitus contrarium: nam cum de principibus huius mundi generaliter à Domino dicatur, Reges gentium dominantur eorum: de re-

gni sui ciuibus subdit: Vos autem non sic, sed qui vestrū vult esse maximus, sit omnium minimus. Et quod ad reliqua specialia attinet, cum circa ea quæ intellectus sunt, dicat: Gratias ago tibi Pater quod abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, nempe huius mundi, qui tenebras quærunt, & reuelasti ea paruulis; nempe simplicibus, qui ad lucem se conuertunt: de iis quæ ad animositatem pertinent scribitur, cum ministri Pontificum, & alij cum gladiis & fustibus venirent ad eum ipsum comprehendendum, eum iussisse Petro vt conuerteret gladium suum in locum suum: docens, ne resistendum quidem esse malo, nec vim vi repellendam, sed patienter omnia ferenda. Et quantum ad ea quæ cupiditatis sunt attinet, Non potestis, inquit, Deo seruire & mammonæ, hoc est, pecuniis ac diuitiis. Secundò per consequentiam, tanquam ad id quod penitus sit fugiendum. Vnde negat expressè Dominus apud Pilatum, regnum suum esse de hoc mundo, neque hinc deductum: & cum illum vellet facere Regem, subduxit se in desertum. Ac consistit quidem hæc fuga non solum in euitatione ipsius mali, vt, Non occides, verum etiam in occasione mali, vt omnino ne irascaris: sic vt omnia quæ scandalum parere possunt, amputentur: nec non in euitatione eorum (nisi summa necessitas aliter cogat) quæ licet per se mala non sunt, ex malo tamen originem inter homines ceperunt, vt iusiurandū: nec non quæ cum per se bona sint, malè per hypocritas applicantur; à quorum fermento tanto peccati cauere Dominus iubet, grauissimè ipsos sepe numero obiurgans. Tertio per aliam consequentiam, tanquam ad id quod penitus delendum & extirpandum est, cuius rei causa Dominus in hunc mundum venit, & morte sua eam perfecit, dicens: Nunc iudicium est huius mundi. Nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Princeps huius mundi iam iudicatus est. S. Quomodo contrà se habet regnum huius mundi ad regnum Christi? G. Primùm quoque tanquam ad contrarium. Nam cum regnum huius mundi à patre sit Satana, non potest non regno Christi, quod à Deo est, esse aduersum. Deinde tanquam ad fugiendum. Nam præterquam quod qui malè agit, odit lucem; tum & metui Dominum à diabolis constat, ex eo quod conquerebantur ipsum ante tempus venisse ad torquendum eos. Et tertio tanquam ad penitus perdendum, & extinguendum. In qua quidem re quoniam nullæ sunt vires diaboli, & principum huius mundi, vt circa interiora noceant; nam animam non possunt occidere; vnde Dominus, Venit princeps huius mundi, inquit, & in me non habet quidquam: circa exteriora moliuntur omnia quæ possunt ad regnum Dei penitus delendum, idque siue famam spectes, quam calumniis obscurare student, prout Dominum dæmonium habere, in nomine Beelzebub dæmonia eicere, vini potorem esse, & perfractorem legis Mosaicæ dicebant; siue corpus & vitam, quam penitus tollere student, prout de Domino, antè ab ipsis alapis verberato, illuso, & virgis cæso contingebat, quem durissima, ignominiosissima, & lentissima morte crucis afficiebant; siue denique bona externa, quæ si qua inueniunt, omnia auferunt, quemadmodum pauculas vestes Domini inter se diuidebant, sortem mittentes super ea quæ erat inconsutilis. Ea erat hora ipsorum, & potestas tenebrarum, quæ & in Apostolos ipsius, & discipulos, aliosque vires suas, prout prædixerat, exercuit. S. Quomodo denique se habent regnum Christi, & regnum huius mundi ad mixtum, & è contrà? G. Enimvero hæc in re videndum est, primùm quomodo se habeant regnum Christi & mixtum inter se: deinde quomodo regnum huius mundi & mixtum: deinde quomodo ipsum mixtum in se. S. Quomodo se habent regnum Christi & mixtum inter se? G. Enimvero cum vnum penitus bonum sit, purumque & immaculatum, alterum autem cum malo mixtum; sit primùm, vt vnum plenum sit, & perfectum, sic vt omnem iustitiam impleat, minorem & maiorem, eamque non mancā & mutilam, sed ex toto abundantem, prout sermo Domini in monte luculenter docet: alterum autem minus plenum, & imperfectum, in quo multa, quantum ad perfectionem attinet, ob duplicitatis, & violentiæ, mammonæque, ex dominandi libidine, cum simplicitate & patientia, paupertateque & humilitate, varias mixtiones, vnde diuersa fera, & venenosa animalia, viperarum, luporum, canum, vulpium, porcorum, hædorum (nam sic mali à Domino in Euangelio vocantur) in republica Christiana existunt, sic vt alij boni sint, alij mali; alij perfecti, alij imperfecti, alij mixti, prout supra dictum est. Deinde autem vt vnum facile sit, securum, & expeditum. nam, Iugum meum suauē est, inquit Dominus, & onus meum leue: alterum verò graue ac difficile, & periculi plenum, ob duplicitatis, & potentiæ, nec non diuitiarum spinas, quæ crescens frumentum ferè solent suffocare. Tum verò vt vnum omni ex parte clarum sit ac lucidum; vnde Dominus & lux vocatur generali nomine, & lux vera, lux mundi, lux hominum specialiter: alterum verò variis modis vmbrosum, ob quæstionum & cupiditarum, aliarumque appetitionum, quæ animum offuscant, multitudinem. Quæ quidem

imperfectiōnes vti tollantur, & ad perfectum paulatim perducantur, hi qui prioris generis sunt, omnibus modis dant operam. Qui quidem, per gradus procedentes (nam non omnia eodem tempore portari possunt) primum satis habent non esse quem aduersum veritati, dicente Domino: Qui non est aduersum vos, pro vobis est. Deinde autem mediam viam docentes, dicunt cum ipso: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Tum ad summam perfectiōnem animum attollentes, aiunt: Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes. Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est. Castra te propter regnum cælorum, cum similibus. Qui potest capere capiat. Quibus tribus gradibus quarto loco accedens donum Spiritus sancti, perficit omnia in omnibus. S. Dehinc quomodo se habent inter se, regnum huius mundi, & mixtum? G. Planè cum vnum penitus sit malum, alterum autem cum bono mixtum, sit, vt cum illud in malitia sua plenum sit, & perfectum, omnisque difficultatis & laboris plenum, tenebrisque prorsus inuolutum; hoc contra in bonam partem non nihil ab eo deficiens, aliquid suauitatis habeat, quod cum aliquo lumine sit coniunctum: prout Dominus ipse in Euangelio aliquando demonstrat. Quod quidem vt illud ei auferat (nam tanta laborat inuidia) nihil non molitur, vt loco pauculæ illius humilitatis, quam habet cum aliquantula simplicitate, patientia, & paupertate coniunctam, suam dæmonicam superbiam cum duplicitate, violentia, & mammonæ seruitio inducat. Ad quod efficiendum, non per calumniam, & vim inferendam, bonorumque direptionem procedit (nam ea tanquam extrema non nisi extreme bonis, de quibus antè dictum est, inferuntur, quod in his mixtis aliter se habet) sed potius contra ei addendo vires & opes, nouamque sapientiam. Ex qua quidem cum mox diuersæ hæreses proficiscantur, & hypocrites, nec non superstitiones cum suis pseudoprophetis & antichristis, euenit vt natis inde dissidiis, dum suam quisque, siue bonum siue malum, vulteruere, imò omnibus præferre, sic vt ei cuncta cupiat subiicere, dicente vnoquoque, quia hîc est Christus, ad vim tandem & violentiam perueniatur. Ad quam quidem sustentandam, & magnitudinem suam ostentandam, quoniam diuitiis est opus, fit vt ad mammonam plerique omnes, siue bonæ, siue malæ sint opinionis, animum adiiciant, & loco antiquæ simplicitatis, patientiæ, & paupertatis, perpetuis disputationibus, & armis, opumque conquisitionibus, vti quotidie videmus, se inuoluant, ad eò vt verus Christi cultus vel omnino tandem pereat, vel aliò quàm oportet detorqueatur, vel non nisi nudo nomine inter homines exstet, qui labiis quidem eum honorent, sed cor habeant longè ab eo separatum. S. Sequitur deinceps, vt quo pacto mixtum ipsum se habeat in se, exponas. G. Sanè cum id medium sit inter lucem regni Christi, & tenebras regni huius mundi, & iam supra tactum sit in ea mixtione vel plus boni esse quàm mali, vel plus mali quàm boni, vel æquas vtriusque partes, ea tria hoc modo se habent inter se, quòd cum vnum minoris gloriæ apud superos sit, alterum autem maioris pœnæ apud inferos, tertium sit propriæ difficultatis in terra. Ac est quidem minoris gloriæ id in quo plus boni est quàm mali. In quo tamen si malum, siue potius imbecillitas & imperfectio, quæ illi inest, non excludat à regno Christi: nam, Si vis ad vitam ingredi, inquit Dominus, serua mandata: quasi scilicet hoc sufficiat, licet à perfectione absit: gloriam tamen minuere per hoc constat, quòd ibidem Dominus in domo Patris sui multas mansiones esse ait. Dicens porrò: Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & sic docuerit homines, minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Maioris autem pœnæ est, in quo plus mali quàm boni inest, vbi per illud ipsum bonum fit, vt qui illud non facit, sed ad mali partem potius se applicat, grauius puniatur, quàm si boni nunquam fuisset particeps. Vnde Dominus in Euangelio, seruus, inquit, qui scit voluntatem domini sui, & non facit eam, cædetur plagis multis. Addens alibi, mitius fore in die iudicij Sodomæ & Gomorrhæ, qui Christum in corpore nunquam viderant, quàm Iudæis, qui eum coram videntes, & opera eius cognoscentes, vestigia illius non sequebantur. Difficultatis denique est, in quo boni & mali æquæ sunt partes. Nam cum in eo vbi plus boni est quàm mali, non tam difficilis pugna sit contra malum, quoniam bonum iam propè superauit, & occubuit ferè malum; nec item in eo vbi plus mali est quàm boni, quoniam malum iam ferè vicit, & bonum propemodum superatum est: necessariò accidit, vt vbi æquæ vtriusque sunt partes, vehementissima sit pugna; vnde quàm difficile sit homini diuiti intrare in regnum Dei, Dominus in Euangelio diuersis locis explicat: addens, camelum facilius transire per foramen acus, quàm diuitem intrare in regnum cælorum. Ac habent quidem plus boni quàm mali, qui cum reuera de regno sint Christi, colentes humilitatem illius cum simplicitate, patientia, & paupertate coniunctam; à rebus mundanis, & earum dominatu cum superbia, violentia, & mammona coniuncto, nondum

dum tam sunt alieni, quin nonnunquam ab iis alij plus, alij minus tententur; sed ita tamen, vt continuò resurgentes, & malum superantes, mox ad bonum reuertantur, idque præcipuo opere semper colant: nam septies in die cadit iustus. Plus mali habent quam boni, qui cum non tam re quam solo nomine de regno sint Christi, ea quæ ad mundi dominatum pertinent, eiusque duplicitatem, violentiam, & mammonam præcipua opera amplectuntur, quibus & decus, & tuitionem, & propagationem nominis Christi prætexunt. Et si aliquando ob pauculum illud bonum quod adhuc habent, contingat, vt non nihil ad meliorem mentem se referant, superante mox multitudine mali, ad id reuertuntur, tanquam canis ad vomitum.

De iustitia regni Dei.

TITVLVS XXVIII.

S. **R**ost regnum igitur Dei descriptum, de iustitia eius iam sequitur vt differas. **G.** Sic est. & quidem, vt clare distincteque procedamus, primum de iustitia dicemus, deinde de iniustitia, tum de vtroque. **S.** De iustitia quid ais? **G.** De ea & generaliter differam, & specialiter, & mixto quodam modo. **S.** Generaliter autem de ea quid dicis? **G.** Aio iustitiam constantem & perpetuam esse voluntatem (cuius Angeli in natiuitate Domini meminerunt, dicentes: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis) ius suum cuique tribuendi; sic vt Deo, qui in hoc regno præest, ea quæ Dei sunt, dentur: hominibus autem, qui subsunt, ea quæ sunt hominum, ita vt omnia quæ volumus vt faciant nobis homines, illis faciamus; & Cæsari, qui partim subest, partim præest, ea quæ sunt Cæsaris. Et quidem cum regnum Dei sit quasi pro corpore, iustitia eius pro anima est, sic vt ex coniunctione vtriusque, plenum & perfectum opus constituatur. **S.** In specie verò? **G.** Hanc esse dicimus quæ verè ac propriè ad regnum Christi pertinet, & in tribus omnino consistit. **S.** Quibus autem illis? **G.** Quæ Dominus ipse tradit, cum dicit: *Pœnitentiam agite, & credite Euangelio: appropinquat enim regnum calorum.* vnde conficitur, iustitiam aliam esse quæ recedit à malo, quod inchoationis est; aliam quæ facit bonum, quod perfectionis; & aliam quæ in regnum calorum intrat, quod consummationis. **S.** De primo autem quid ais? **G.** Enimvero cum ex primi parentis peccato, hoc nobis sit *infitum*, quod peccatores omnes nascimur; vt inde liberemur, pœnitentia est opus: quæ tum quidem in cordis contritione consistit, tum autem in oris confessione, tum verò in fructibus operum pœnitentiæ, prout Ioannes præcursor Christi expressè docet, traditque ipse Christus, nisi pœnitentiam agamus, omnes nos perituros. **S.** De secundo autem? **G.** Cum istud in hoc consistat vt credamus Euangelio, hoc est, læto Christi nuntio; quæ hoc Euangelium nobis denunciat, tria sunt numero. **S.** At quænam autem illa? **G.** Fides, spes, & charitas. Ex quibus fides simplicitatem in intellectum inducit, spes patientiam in animositatem, & charitas paupertatem (nam amicorum omnia communia) in partem concupiscibilem. vnde quarto loco erumpit ipsa iustitia: nam iustus ex fide (quæ per charitatem in bona spe operatur) vituit. Dicendum est autem ordine de singulis. **S.** Ergo de fide primum quid ais? **G.** Planè cum fides sit virtus superintellectualis, cuius vi absolute assentimur iis quæ diuinitus sunt tradita; eorum summa capita, quæ duodecim sunt numero; symbolo Apostolico comprehenduntur, cuius symboli tres sunt partes. **S.** At quænam autem illæ? **G.** Vna quæ ad Deum pertinet, in quem creditur; altera quæ ad Ecclesiam, quæ esse creditur; & tertia quæ ad coniunctionem Ecclesiæ cum Deo, quæ futura creditur. **S.** De Deo quidnam autem tractat? **G.** Illum vnum esse ac trinum, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum: de qua re octo sunt articuli, ex quibus vnus Patrem spectat, sex Filium, & vnus rursus Spiritum sanctum. **S.** Primus articulus quisnam est? **G.** *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cali & terra.* vbi primum verbum professionem fidei nostræ continet, cuius proprius actus siue substantia potius est credere: secundum autem in quem credimus, nempe in vnum Deum: & reliquum in qualem, quantum ad personas, nimirum in Patrem, qui cum intus Filium ab æterno gignat, foris creator est cali ac terræ, & tam intus quam foris est omnipotens. **S.** Qui sunt sequentes sex articuli? **G.** Quibus de Filio, vt dixi, agitur, tum quidem per se; tum autem quantum ad ea quæ in hoc mundo circa eum contigerunt; tum verò quantum ad extremum eius iudicium. Ipsum per se describit vnus articulus, his verbis: *Et in Iesum Christum, Filium eius vnicum, Dominum nostrum.* De iis quæ in hoc mundo circa eum contigerunt, quatuor sunt articuli: vnus qui de natiuitate eius tractat, his verbis: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria*

virginē. alter qui de morte: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.* sequens qui de resurrectione: *Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.* & reliquus qui adscensum eius in celum: *Ascendit ad calum, sedet ad dextram Dei patris omnipotentis.* de extremo eius iudicio rursus vnus est articulus: *Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.* S. Quis est qui de Deo restat articulus? G. Qui ad Spiritum sanctum pertinet, vt diximus; cuius verba sunt: *Credo in Spiritum sanctum,* quem ex Patre Filioque procedere, diuinamque Trinitatem in vnitatem absoluere constat. S. Post articulos qui ad Deum, in quem creditur, pertinent, propositos, nunc de Ecclesia, quæ esse creditur, dicito. G. De hac vnus est articulus, qui ad bonum constitutum pertinet; cuius verba sunt: *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem.* & alter qui ad malum ablatum, & auferendum, nempe quòd, quemadmodum Ecclesiam ipsam, ita & *Remissionem peccatorum* in ea esse credimus. S. Restat de iis articulis vt dicas qui coniunctionem Ecclesiæ cum Deo, quæ futura creditur, spectant. G. Ex his prior ad corpus resuscitandum pertinet, quo *Carnis resurrectionem* nos credere profiteamur. Posterior autem ad animum, quem corpore de nouo indutum, *Vitam æternam* habiturum credimus: nam cum Dominus sit resurrectio & vita; qui credit in eum, non morietur in æternum. S. Rectè. G. Atque id quidem vt ita fiat, per verbum *Amen* optatur. S. Absoluta explicatione fidei, nunc de spe dicito. G. Sanè cum spes sit virtus superpotentialis, cuius vi fiducissimè expectantur ea quæ diuinitus sunt promissa: eorum summa capita, quæ sex sunt numero, oratione Dominica comprehenduntur, quæ tribus omnino constat partibus. S. Cedo quibus? G. Procemio, oratione ipsa, & conclusionem. S. Quod est procemium? G. Cum dicitur: *Pater noster qui es in calis.* quibus verbis ostendimus quemnam compellamus. S. Quæ est oratio ipsa? G. Omne id quod sequitur, excepta conclusionem, in quo sex illa, quæ diximus, insunt: ex quibus priora tria ad Dei gloriam & honorem pertinent, quæ per formam optandi impersonaliter, & in perpetuum petuntur, tanquam pulchra. posteriora autem ad hominum vsus, quæ per formam rogandi personaliter, ac temporaliter petuntur, tanquam necessaria; adiungunturque singulis ternis articulis singulæ clausulæ, quæ omnes tres articulos comprehendunt. Sed dicamus de singulis, ac primùm quidem de iis articulis cum sua clausula, quæ ad Dei gloriam & honorem pertinent. S. De iis autem quid tractas? G. Sanè cum primus ex iis sit, *Sanctificetur nomen tuum:* secundus autem, *Adueniat regnum tuum:* & tertius, *Fiat voluntas tua:* ratio qua se habent inter se, est, quòd vnus de Deo est, alter de regno illius, & vltimus de iustitia eius. Circa quæ tria quæ optantur sunt, vt sanctificetur nomen eius ascendendo, adueniat regnum eius descendendo, & fiat voluntas eius (quod iustitiæ est) ascendendo pariter ac descendendo, nempe agendo quæ iubet, & patièdo quæ infert. Ac quamquam quidem omnia tria sint omnium trium personarum Diuinitatis, propriè tamen primum Patris est, secundum Filij, & tertium Spiritus sancti; sic vt tria optata Deo vni simul & trino conueniant. Quibus quæ quarto loco adiicitur clausula, *Sicut in celo & in terra,* ad omnia tria præcedentia refertur, sic vt per eam optemus sanctificari nomen Dei, sicut in celo & in terra; aduenire regnum eius, & fieri voluntatem eius, sicut in celo & in terra. S. De iis quæ ad vsus hominum pertinent, nunc dicito. G. Enimvero cum & hi tres sint numero, primus ex iis de corporis necessitatibus pane sedandis tractat, his verbis: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* secundus de necessitatibus animi, ob debita per peccatum contracta, quæ remitti nobis à Deo petimus, dicentes: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* & tertius de necessitatibus externis, siue mixtis ob tentationem, circa quam ita versamur, vt neque dari eam nobis petamus, prout de pane corporis facimus; neque penitus dimitti, vt debita animi; sed medio quodam modo, per negationem, dum dicimus: *Et ne nos inducas in tentationem.* addita post deinde quarto loco clausula generali, qua, vt ab omni malo, corporis, animi, & externo, Deus nos liberet, precamur his verbis: *Sed libera nos à malo.* Nam quemadmodum priores tres articuli ad bonum adipiscendum, ita hi tres posteriores ad malum amoliendum pertinent. S. Restat de conclusionem vt dicas. G. Ea vno hoc verbo *Amen* continetur; quo, vt ita quemadmodum dictum est, fiat, optamus. S. Post fidei & spei articulos expositos, de charitate sequitur vt differas. G. Planè cum charitas sit virtus supermoralis, cuius vi diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum; nouem omnino sunt articuli (qui numerus medius est inter duodecim qui fidei est, & sex qui spei) quibus tota ea res continetur. S. At quibusnam autem illis? G. Tribus præceptis necessariis, ad salutem, tribus consiliis laudabilibus, ad perfectionem; & tribus operibus piis, quæ vtrisque seruiunt. S. Quæ sunt tria præcepta necessaria ad salutem? G. Quæ ad amorem Dei pertinent, hominis, & Christi qui.

Deus

Deus est & homo. De duobus prioribus Dominus interrogatus quod esset magnum mandatum in lege: respondet hoc modo: *Primum omnium mandatum est: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. hoc est maximum & primum mandatum. Secundum est simile illi: Diliges proximum tuum sicut teipsum. maius horum aliud mandatum non est, & ex his duobus mandatis uniuersa lex pendet, & propheta. Quantum ad tertium attinet, de hoc verba Domini sunt: Manete in dilectione mea: Si precepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei mandata seruauit, & maneo in eius dilectione.* S. Quæ sunt tria consilia laudabilia ad perfectionem? G. Voluntaria paupertas, quantum ad res externas attinet, castitas, quantum ad corpus, & obedientia, quantum ad animum: ex quibus primum contra auaritiam est, secundum contra luxuriam, & tertium contra superbiam. Ac pertinet quidem ad primum, quod Dominus ait in Euangelio: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in celo, & veni sequere me.* Ad alterum autem, cum de castitate Dominus loquens, *Non omnes, inquit, capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt: & sunt eunuchi qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi qui seipso castrauerunt propter regnum celorum. qui potest capere capiat.* Ad tertium denique, cum pro primo gradu dicit Dominus: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Pro secundo autem: *Quicumque inuenit animam suam, & voluerit ac quaesierit eam saluam facere, perdet illam: & quicumque perdiderit illam propter me & Euangelium, inuenit, & viuificabit, & saluam faciet illam.* Pro summo denique: *Abba Pater mi, si possibile est, si vis, omnia tibi possible sunt, transfer calicem hunc à me: sic autem transeat calix iste à me, veruntamen non mea voluntas, sed tua, nec quod ego volo, & sicut ego volo, sed quod & sicut tu vis, fiat.* S. Restat de tribus operibus piis, quæ supradictis præceptis & consiliis seruiunt, vt exponas. G. Hæc autem sunt oratio, mentis, ad Deum; ieiunium, corporis, erga seipsum, & eleemosyna, de rebus externis, in proximum. quorum omnium pleni sunt libri Euangeliorum. De primo autem dicit Dominus: *Petite, & dabitur vobis: querite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis.* Atque esse quidem cum oratione coniunctum ieiunium, docent verba illa Domini: *Hoc genus demoniorum non eiicitur, nisi in oratione & ieiunio.* Ac quanta vis sit in eleemosyna, demonstrat ipse cum dicit: *Quod superest, date eleemosynam, & omnia vobis erunt munda.* S. Audiui de inchoata iustitia, audiui de perfecta: nunc de consummata quid ais? G. Hæc eorum est, quorum iam est regnum celorum: quam quidem per octo beatitudines Dominus depingens, sic describit, vt primum tres virtutes ante ipsam ponat, tanquam ianitrices: deinde ipsam solam, tanquam reginam, in medio ponat: tum tres alias virtutes, tanquam famulas, post eam constituat: quibus quarto loco vltimum adiicit, quod omnia tanquam murus circumdat. De ianitrices verba Domini sunt: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* De ipsa autem iustitia ad mensam sedente: *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* De famulabus post eam stantibus: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Ac quantum ad vltimum, quod omnia cingit accircumdat, *Beati, inquit, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum celorum.* Nam cum principium iustitiæ sit, recedere à malo, medium autem facere bonum: summum eius est, cum bonus quis sit, pro malo haberi, & vt talem, persecutionem ac mortem pati, prout de Domino ipso factum est. S. Quoniam de iustitia regni celorum & generaliter disseruisti, & specialiter, quid? anne restat, vt quæ generaliter pariter & specialiter ad illam pertinent, nunc porro exponas? G. Restat verò. Et quidem consistit hæc res in eo, vt intelligamus iustitiam, tum quidem omnem colendam esse, sic vt nulla eius pars omittatur, tum autem plenam, sic vt omnes gradus suos habeat; tum verò perfectam, sic vt ad summum sit adducta. Primi generis est, quod dicit Dominus: *Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam.* dum nimirum is qui ab omni peccato est alienissimus, tamen baptismum poenitentiae suscipit. Secundi autem, cum ait: *Dico autem vobis, quia nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Phariseorum, non intrabitis in regnum celorum.* dum nimirum præcepta legum, veluti, Non occides, secundum literam, quæ occidit, strictè accipiuntur, ita vt de solo homicidio id accipiatur, non autem secundum spiritum, qui viuificat, plenè: sic vt non solum homicidia, sed & omnia malefacta, dicta, & cogitata erga proximum, sub ea lege comprehendantur. Tertij verò, cum ei qui se mandata seruasse dicit, Dominus ait: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, &*

bes, & habebis thesaurum in celo, & veni sequere me. qua quidem ratione fiet, vt non modò omnem, & plenam, sed & summo gradu perfectam iustitiam quis colat. S. Nunc de iniustitia quid nam habes dicere? G. Non aliud, quàm vt eam iustitiæ in omnibus & per omnia contrariam ponas, siue generaliter de ea loquare, siue specialiter, siue mixtè. Et vt iustitiæ gradus sunt, recedere à malo, facere bonum, & pati pro bono tanquam malum: ita gradus iniustitiæ sunt, recedere à bono, facere malum, & honorari pro malo tanquam bonum; dum is qui malus est, speciem boni per hypocrisim assumit, quod est summum & extremum in malis. Vnde quemadmodum verè bonis octo Beatitudines, ita hypocritis octo Væ à Christo attribuuntur, dum per tot vices dicit: *Væ vobis Scribae & Pharisei hypocrita.* S. Superest de eo quod ad vtrumque, iustitiam nempe & iniustitiam, pertinet, vt exponas. G. Hoc autem consistit in pœna, quæ iniustitiæ; & præmio, quod iustitiæ à Domino propositum est, his verbis: *Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* nec non in præmio & pœna simul iunctis, quod fit cum quis bonum non bene facit, veluti si qui dent eleemosynam vt honorificentur ab hominibus; de quibus dicit Dominus, quod receperunt mercedem suam, quantum ad homines attinet, quod præmij est; & quod non habebunt mercedem apud Patrem qui in cælis est, quod pœnæ. pertinetque eodem quod Dominus dicit, audiendos quidem esse Scribas & Phariseos, vt fiat quod dicunt, sed facta eorum minimè esse imitanda: nec non quod Caiphas prophetaisse dicitur, quia erat Pontifex illius anni.

De coniunctione regni Dei, & iustitia eius.

TITVLVS XXIX.

S I X I S T I de regno Dei, dixisti de iustitia eius: quid? visne de coniunctione vtriusque vt porrò te interrogem? G. Volo sanè. & quidem vt generaliter Christus omnia est in omnibus, particulariter autem homo pro libero suo arbitrio, quantumuis debilitato, ad hoc se cõponere debet: ita specialiter admirabili quadam ratione diuinitus accidit, vt per sanctissima Christi Sacramenta homini relicta, regnum Dei, & iustitia eius, inter se coniungantur, siue singulos homines spectes, siue familiam, siue rempublicam, quanquam generaliter omnia sunt omnium. S. Quomodo si singulos homines? G. Enimvero cum septem sint Sacramenta, quinque ex iis ad singulorum hominum in Christo vitam pertinent: sic vt per Baptismum in eo nascamur, Confirmationem adulescamus, Eucharistiam pascamur, Pœnitentiam ægroti reficiamur, & sacram Vnctionem moriamur. S. Si familiam autem? G. Quod per Sacramentum Matrimonij sancta prole augemur. S. Si rempublicam denique? G. Quod per sacros Ordines Ecclesia Dei regitur. S. Rectè. G. Estque hoc omnibus Sacramentis cõmune, quod pro sua quæq; virtute (de qua re non est hîc differendi locus) diuina gratia nos augent, ad iustitiam Dei, cum regno ipsius, in nobis coniungendam.

Quomodo lex gratia fuerit constituta.

TITVLVS XXX.


S E L I Q V V M est vt quonam modo lex gratiæ constituta fuerit, exponas. G. Sic est. Et verò id tum quidem inchoando factum est, tum autem perficiendo, tum verò propagando. S. Quo pacto inchoando? G. Per Ioannem præcursorem Domini, qui non modò concionando, nec non baptizando, sed & ipsummet commonstrando, viam eius præparabat. S. Perficiendo autem? G. Per ipsum Christum, qui Deus & homo, legem hanc plenè perfecteque in mundum hunc induxit. S. At quonam autem modo? G. Per doctrinam suam, præcedente vita, ad fidem illi præbendam; & sequentibus signis, ad eam confirmandam. de quibus singulis non nihil est dicendum, ac præcipuè quidem de doctrina. S. De ea igitur quid ais? G. Circa hanc forma spectatur, & materia, & personæ, cum reliquis circumstantiis. S. Quamnam autem vocas formam? G. Viam ac rationem qua Dominus docebat, partim verbo, partim disciplina, partim vsu. S. At quonam autem modo verbo? G. Loquendo, tacendo, & mixtè. S. Loquendo quo pacto? G. Secundum duodecim differentias. S. Quæ est prima? G. Quod Dominus verbo populum instruens, tum quidem simplici doctrina utebatur, ad veritatem rudi populo tradendam; tum autem duplici, ad falsas opiniones eorum qui sibi sapere videbantur, eruendas. S. Quæ secunda? G. Quod subinde continenti oratione docebat, concionando; subinde

inde concisa disputando. S. Tertia autem? G. Quòd nonnunquam interrogando procedebat, hominesque instruebat, nonnunquam autem respondendo, prout sæpe videre licet. S. Quarta verò? G. Quòd aliàs simpliciter docebat, quòd commune erat; aliàs autem mysticè, cum institutione Sacramentorum. S. Dehinc quinta? G. Quòd tum quidem clarè & apertè doctrinam suam proponebat, tum verò parabolicè, prout multis locis videre licet. S. Tum sexta? G. Quòd aut simpliciter docebat, aut sicut auctoritatem habens. S. Septima autem? G. Quòd vel refutabat falsum, vel confirmabat verum. S. Octava? G. Quòd aut reprehendebat personas, vel collaudabat. S. Nona? G. Quòd tum quidem exhortabatur promittendo, tum autem obiurgabat minando. S. Decima? G. Quòd vel simpliciter procedebat, vel cum vehementia lachrymarum, exclamationum, ac similibus. S. Undecima? G. Quòd tum quidem, & quidem communiter, soluta oratione utebatur, tum autem ligata, veluti Psalmorum: cuius generis sunt quoque cantica diuæ Virginis, Zachariæ, & Simeonis. S. Duodecima denique? G. Quòd & còmuni sermone vsus est, & hymno, quamquam eius non nisi semel fit mentio, quemadmodum & quòd scripserit. S. Nunc tacendo quònam autem modo docuit Dominus? G. Quòd apud Herodem, cùm ad eum duceretur, nullum vnquam verbum proloquebatur. cui accedebat quòd quædam non solum eos quos maximis beneficiis affecerat, sed & Apostolos suos, atque adeò tres intimos ex iis, iubebat tacere. S. Loquendo autem & tacendo simul? G. Quòd apud Pilatum partim loquebatur, partim tacebat, & mulieri Cananæ, iisque qui mulierem adulteram ad eum ducebant, non statim respondebat; & Pharisæis qui in qua potestate operaretur, quærebant, se responsurum negabat, cum similibus. S. Post doctrinam, de disciplina quid ais? G. Hanc exercebat Dominus cùm ementes & vendentes eiiceret de templo, nec cuiquam vas per templum transferre pateretur, malosque multis modis obiurgaret. S. De vsu verò? G. Hic in eo consistebat, quòd Apostolos secum circumducebat, vt exemplo vitæ & continenti exercitio virtuti eos assuefaceret. S. Quandoquidem de forma doctrinæ Christi dictum est, de materia eius sequitur vt exponas. G. Hæc tum quidem in præceptis ad salutem necessariis consistit, tum autem in mysteriis regni cælorum, tum verò in institutione Sacramentorum. Suntque præcepta ad salutem necessaria, alia cum homine ipso prodita, alia per Moysen tradita, alia autem per Christum constituta. Quæ tum quidem nudè & simpliciter, nempe historicè, per eum proponuntur, tum autem ætiologicè, addita ratione & eius effectu, tum verò analogicè, vt demonstratur, quo pacto ea quæ dissentire videntur inter se conueniunt, quibus accedit mysticum interpretandi genus, secundum typum, allegoriam, tropologiam, & anagogiam. de quibus non est hic amplius dicendi locus. S. Igitur de personis ad doctrinam pertinentibus, & aliis circumstantiis sequitur vt dicas. G. Enimvero personæ omnes, quarum circa doctrinam Domini fit mentio, vel bonæ erant, vel malæ; vel mediæ. Bonos voco, qui puro & simplici corde eum audiebant: qui tum quidem vulgares erant, vt tota multitudo populi, tum autem electi ad locum Christi obtinendum, vt duodecim Apostoli, tum verò mediæ, vt septuaginta duo Discipuli. Malos autem, qui ad hoc eum audiebant, vt illum reprehenderent, vt Pharisæi hypocritæ, Saducæi hæretici, & Herodiani tyrannici. Medios qui semiperfecti, non publicè quidem, sed de nocte ad illum veniebant. Ac prout quique erant, ita hanc vel illam doctrinæ formam, nec non materiam subiectam Dominus illis accommodabat. Et quod pertinet ad reliquas locorum ac temporum circumstantias, docebat Dominus non solum in Synagogis, sed & aliis in locis publicis ac priuatis, ipsoque adeò mari, nec modò statis Sabbathorum temporibus, verum etiam aliis, tam de nocte nonnunquam, quam de die. S. Post doctrinam quid, an de vita Domini aliquid vis dicere? G. Hoc in primis, quòd nisi summa eius præstantia doctrinam præcessisset, nullo modo hoc quod præstat, effecisset. Vnde dicitur, Iesum incepisse facere ac docere. Cui accedit, quòd omnis Christi actio, nostra est institutio. Spectaturque cuncta vita illius tum quidem in natiuitate eius, per quam Deus homo factus, in hunc mundum venit; tum autem in morte, per quam à diabolo nos liberauit; tum verò in conuersatione eius triennali in hoc mundo, per quam nos instituit. vbi peculiariter adnotandum est, quo pacto se habuerit, primùm circa Deum Patrem, Filium, hoc est, seipsum, & Spiritum sanctum; vnum Deum; deinde circa hunc mundum, quantum ad honorem, potentiam, corporis cultum, opum accumulationem, vnà cum mundi huius, & principum eius sapientiam; tum circa homines, quorum causa venit, ad legem gratiæ iis impartendam, siue bonos spectes, siue malos, siue Iudæos, siue ethnicos; siue perfectos, siue imperfectos. Suntque quatuor illius triumphus, vnus in natiuitate, per aduentum Magorum; alter in ingressu eius in regnum suum, quem fecit insidens in pullo asinæ; tertius in coronatione ipsius, cù sceptro & adoratione; & quartus summus in morte, per crucem, cui inscriptus fuit titulus: Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.

rum. ex quibus verbis quatuor, Iesus saluatorem significat, quantum generaliter ad populum attinet, cuius saluandi causa venerat: Nazarenus autem sanctum siue sanctificatum: Rex, auctoritate coronatum: Iudæorum, confessione veritatis Dei instructum. quibus tribus verbis speciatim significatur ad saluandum populum & sanctitate opus esse, in eo qui præest, vt bene velit facere; & auctoritate, vt possit, & sapientia, vt sciat. vnde mox quartum, quod est, iustitia, in qua vna salus populi posita est; emergit. S. De miraculis denique Domini quid ais? G. Per hæc magna ex parte fiebat quod doctrinæ Christi fides adhiberetur, dum euidentissimis signis eam confirmaret: quæ omnia, qualis ille esset, apertè testificabantur. Alia quæ vel solo verbo suo, vel facto, vel etiam cogitato per se operatus est: & alia quæ ab ipso processerunt: quæ non solum Apostoli ipsius & discipuli, sed & qui eum non sequebantur, in nomine illius exhibebant. S. Rectè. G. Adèd vt his tribus, doctrina dico, vita, & miraculis Domini, lex gratiæ per illum plenè perfectèq. fuerit constituta. S. Superest igitur de propagatione eius vt dicas. G. Hanc iussu & ex instituto Domini fecerunt, tum quidem Petrus, cui speciatim ac nominatim Dominus mandabat vt pasceret oues illius; tum autem reliqui Apostoli; tum verò discipuli, quibus primùm mandat, vt Euangelicam legem per totum mundum denuncient; tum vt in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizent; deinde vt ad eam rem, sine vlla doctrina humana, sine que vllis viribus armorum, citra rerum corporalium & pecuniarum possessionem procedant, prout sacris Euangeliiis est proditum, vnde bonum omne nobis processit.

De rerum qualitatibus circa iustitiam per legem.

TITVLVS XXXI.

S.  **V**DIUI de diuersis statibus hominis circa iustitiam per legem: nunc de rerum qualitatibus disere, quo pacto circa iustitiam per legem se habeant. G. Hæ autem sunt tres. S. Quænam autem? G. Omnes enim res vel in ipsa substantia iustitiam insitam habent, vel in natura positam, vel extrinsecus adiectam. S. Quæ sunt quæ in ipsa substantia iustitiam insitam habent? G. Quæ ad vitam & mores pertinent, in quibus propriè vereque iustitia inest, vt Deum amare, parentes colere, proximum diligere. de quibus dicitur: Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa. quod secus est in iis quæ iustitiam extrinsecus habent adiectam. Ac sunt quidem hæ res vel immutabiliter bonæ ac iustæ, sic vt nulla ratione possint fieri malæ, vt Deum per Christum colere; vel mutabiliter, sic vt per circumstantias possint fieri non bonæ, vt elemosynam dare, quod per se bonum, fit non bonum si auræ popularis causa fiat. S. Quæ autem in natura habent positam iustitiam? G. Res Physicæ cum suis circumstantiis, sub quibus hoc loco & Logicas & Mathematicas comprehendimus, quæ substantiam suam in se habentes, tum naturaliter iuste sese habere dicuntur, cum id secundum legem fit, quod cum natura & ratione earum est consentaneum: vnde quoddam quasi secundum iustum constituitur. In qua re sæpe accidit vt res non tam per propria sua principia Physica, vel Logica, aut Mathematica, quàm per alia externa dirigantur. Et quidem cum harum rerum aliæ Physicæ sint, quæ inferioris huius naturæ sunt, vt liberis operam dare; aliæ Metaphysicæ, quæ superioris, vt castitas; illæ non tam laudabiles sunt si fiant, quàm vituperabiles si non fiant; hæ non tam vituperabiles si non fiant, quàm laudabiles si fiant: vti & de iis quæ præcepti & consilij sunt, accidit, ex quibus illa prioris, hæc posterioris sunt generis. S. Quibus denique adiicitur iustitia extrinsecus? G. Quibus iustitia neque secundum substantiam inest, neque secundum naturam, sed foris per legem externam adiicitur ex accidenti; quod vel ratione fit, vel sine ratione, vel medio quodam modo. S. Quomodo ratione? G. Cum propter necessitatem, vtilitatem, vel honestatem publicam, de quibus supra dictum est, quid constituitur, vt sæpe accidit. S. Quomodo sine ratione? G. Cum ex nudo legislatoris arbitrio quid statuitur, vt in meris fit indifferentibus. S. Quomodo medio modo? G. Cum in obscuris & ambiguis id quod minimum est eligitur, totum reiicitur, res per medium secatur, cum similibus, vt posterius latius declarabitur. S. Intellego. G. Atque hæc quidem cum circa iustitiam ita se habeant, circa iniustitiam idem quoque contingit: nam & ea tum quidem extrinsecus rebus adiicitur, tum autem in natura earum inhæret, tum autem in substantia.

De gradibus iustitia in rebus per legem.

TITVLVS XXXII.

S. **R**ESTAT de gradibus iustitiæ vt exponas, quo pacto circa res per legem sese habeant. G. Enimvero quemadmodû in rebus vel animum earum spectamus, vel corpus, vel vmbra; ita in iustitia tum quidẽ ipsa vera iustitia reperitur, tum autem simulacrum ipsius, tum verò vmbra. S. Quam dicis ipsam veram iustitiam? G. Quæ veris legum rationibus, vt supra traditum est, constans, in animo consistit, vt si quis verè, & ex animo Deû amet ac colat, quod pleno radorum solis appulsui est simile. S. Quod simulacrum eius? G. Quod rationi inhærens verisimili, circa corpus versatur, vt si quis corpore rei diuinæ intersit, eiq. det operam: quod cum repercussione radorum Solis comparatur. S. Quæ vmbra? G. Quæ apparenti ratione nitens, in solennibus, & gestibus exterioribus, aliisque id genus apparet, in quibus non nisi similitudines honestæ insunt; quæ repercussioni repercussionis, siue refractioni radorum Solis sunt similes. S. Teneo. G. Ac quanquam quidẽ hæc gradu differentia, alia aliis sunt præstantiora, per se tamen omnia sunt bona: fecit enim Deus, non circa animos modò & corpora, sed & circa vmbra, omnia bona, dummodo ordo intelligatur, & quo quodq. gradu sit diiudicetur, ne fortè vmbra pro Iunone colatur, vel è contra res ipsæ pro vmbra ducantur. Quod & ipsum circa rerû qualitates diligenter obseruandum est: nam haud parum interest, secundum substantiamne, an naturam, an verò extrinsecus iustitia rebus adsit.

De parte speciali coniuncta Nomothetices.


TITVLVS XXXIII.

S. **D**IXISTI de vniuersali parte coniunctæ Nomothetices, dixisti de generali, nunc de speciali aueo cognoscere. G. Enimvero ea in hoc consistit, vt quæ iustitiæ hominis per legem causa sit, intelligatur. S. Hæc igitur quænam est? G. Certè, quantum ad iustitiã humanam, qua de nunc agimus, attinet, vt ad veram legẽ ipsius, nempe Verbum eius incarnatû nos conferamus, eiq. adherescamus, per quod solû iusti sumus. Eius vna est princeps causa, altera concausa, & tertia causa adminiculans. S. Quæ est causa princeps? G. Gratia Dei, per quam sumus id quod sumus, idq. siue Patrem spectes, de quo dicit Dominus: Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eû: siue ipsum Filiû, qui de se ait: Sine me non potestis quidquã: siue Spiritum sanctû: nam nemo potest dicere Domine Iesu, nisi in Spiritu sancto. Et quidẽ vti in mundo ad spectabili visus noster nullus est nisi in Sole, per Solẽ, & cum Sole: ita in mûdo intelligibili voluntas nostra cum intelligẽtia & memoria coniuncta, per se nihil est, nisi in Deo, per Deû, & cum Deo. Vnde David in Psalmis Dominû, Deum iustitiæ suæ vocat. S. Quæ autem est cõcausa? G. Ipse homo per liberû arbitrium: nam Deus, vt sui quã simillimum efficeret, dedit illi summam libertatẽ, vt sine vllò impedimento vertat se quò velit: vnde fit per consequentiã, vt faber sit sui ipsius, ad iustitiã & iniustitiã, dum voluntatẽ suam, quò vult, inclinât: in quo iustitiã ipsam consistere, & absque ea nullo modo esse, iam sæpe ostẽdimus. Atque hoc quidẽ vult Dominus, cum dicit: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. S. Quæ causa adminiculã? G. Qua homo homini, per doctrinam, disciplinã, vsum, & alia, de quibus supra diximus, ad iustitiã & iniustitiã vel Deus est, vel lupus. Quò pertinet quòd Dominus Petrum oues suas pascere, Apostolos Euangeliû omni creaturæ prædicare iubet. Nec vult aliud nostra tota hæc institutio, quàm vt viã ac rationẽ doceat, qua homo hominẽ ad ius ac iustitiã informet. S. Probè narras. G. Atque ab hac quidẽ causarum differentia manauit, quòd plerasq. omnes vias, per quas iustitia in hominẽ inducitur, alias diuinas esse diximus, quibus Dei gratia in homines deriuatur, alias humanas, quas homo homini adhibet, ad iustû eum efficiendum; & alias mixtas, quibus quis se ipse exsuscitat ac præparat ad Dei gratiam impetrandã ac suscipiendam. S. Optimè dicis. G. Atque hoc modo absoluta est, Deo adiuuãte, pars illa Nomothetices, quã Theoreticẽ supra vocauimus, & in simplicem ac coniunctã partiti sumus. In qua quidẽ vtraque quanta vis rerû maximarum, & in intima penitus philolophia retrusarum insit, & quàm omnia inter se apta & colligata, aliaq. ex aliis nexa, & ab vno capite pendẽtia sint, per se nisi fallor lucebit, si quis paulo modò diligentius attendere, & animi sui implicatam notionẽ euoluere velit. Nam quanquam quidem perleuiter & summatim dumtaxat decursa sunt, sic vt non nisi per transfennam ea conspici licuerit, hoc tamen aditu, ianuaq. patefacta, non admodum, vt puto, difficile est ad reliqua peruenire, dummodo in ea intrare quis velit.

G


LIBER

LIBER TERTIVS.

S. BSOLUTA igitur ea parte Nomotheticæ quam Theoreticæ vocasti, quid? visne ad eam nunc transeamus quæ Practicæ dicitur? G. Volo sanè, & quidem vti Theoreticæ principia ipsa continet; quorum inspectione animus mirificè delectatur, & ad Deum, ac res diuinas humanasque contemplandas attollitur: ita hæc Practicæ, ex principis descendens ad res agendas, & hominum societates tuendas est accommodata. Ac quoniam quidem ex Theoreticæ ferè decerpitur, non mirum videri debet, si ex iis quæ illic tractata sunt, quædam hîc nonnunquam attingantur: nam ita omnino erit necessarium, ad vnum ex alio, quemadmodum in vera artium constitutione decet, deducendum. S. Probè. G. Atque vt ordine procedamus, primùm quid Practicæ Nomotheticæ sit, deinde quomodo diuidatur, breuiter strictimque exponemus.

De Nomotheticæ Practicæ.

TITVLVS I.


S. RGO Nomotheticæ Practicæ quam esse ais? G. Quæ viam ac rationem docet, qua iustitia Christiana, lege ei rei conueniente constituta, in hominem ac rempublicam, quoad eius fieri potest, & quæque res fert, inducitur. S. Cur dicis, Quæ viam ac rationem docet? G. Vt ostendam certis & ex natura notatis regulis eam constare, vt vniuersè de arte supra diximus. S. Quamobrem iustitia Christiana? G. Quoniam supra docuimus, hoc proprium artis huius esse officium, vt iustitiam tanquam animam & formam, in ciuitatem tanquam corpus & materiam inducat. Atque addo verò, Christiana: quia cum primi status iustitia per peccatum penitus amissa sit, eam in republica constituere non possumus, & quæ secundi est status, cum sit mala & peruersa, non debemus; vnde res ipsa demonstrat ad eam quæ tertij status est, necessariò esse deueniendum. In quo quidem statu quoniam quæ naturæ corruptæ est iustitia, inchoata duntaxat est, & Mosaica, licet longius progressa, imperfecta tamen: per se lucet, neque vnam neque alteram eligendam esse, sed eam duntaxat quæ plena & perfecta est, nempe iustitiam Christianam, cuius reliquæ quædam particulæ duntaxat sunt, & tanquam vmbra & imagines, adeò vt ne iustitiæ quidem nomen verè mereantur, nisi ad eam referantur, sic vt vel ad eam in futurum respiciant, vti ante Christi aduentum fiebat, vel ad eam iam constitutam, vt inde vires accipiant, quod nunc seruari debet, vt post latius attingetur. S. Cur adiicis, Lege ei rei conueniente constituta? G. Quia iam supra demonstratum est, ad iustitiam in republica constituendam, legem pro instrumento esse, quod medium inter vtrumque est interiectum; vnde fit, vt ab eius constitutione ars ipsa ac scientia Nomotheticæ dicatur. Ac dico quidem, Lege constituta: quoniam proprium officium huius partis Practicæ est, legem in republica constituere, siue ex rerum diuinarum ac naturalium obscuritate erutam ac quasi detectam, quod primum est, veluti cum granum è stipulis excutitur; siue per consequentias, vel exempla, ex iis deductam, quod secundum; siue ex principis & quasi igniculis earum certa ratione & arte constitutâ, quod tertium. Nec additur sine causa, Lege ei rei conueniente: quoniam iam antè tactum est, cuique generi iustitiæ suam legem debere accommodari, ad eam in rempublicam inducendam. Et proinde ad Christianam iustitiam in ciuitate constituendam, non alia quàm Christi lege vt oportet, vel quæ inde deducta sit, aut certè cum ea conueniat, vel ab illa non abhorreat. S. Quid sibi vult quod adiicis, In hominem & rempublicam? G. Quoniam homo & respublica materia ipsa sunt, vt diximus, in quam tanquam corpus forma siue anima iustitiæ inducitur. Et verò optandum quidem esset, vt antè tactum est, & est per se primum, si Nomothetes singulos homines obire ac iustos efficere posset: qua certè in re semper est laborandum, quemadmodum Dominus ipse, & Apostoli, quoad eius fieri queat, fecere. sed quoniam id semper fieri non potest, venit ad secundarium, quod est, ciuitatem aliquam ac rempublicam constituere, eamque ita iure ac legibus fundare, vt licet qui in ea sunt homines, non æquè omnes sint perfecti, ipsa tamen descriptio reipublicæ plena sit & perfecta. Atque hoc modo Dominus ipse suam reliquit Ecclesiam Catho-

Catholicam; in qua tamen omnis generis sint homines, boni, mali; perfecti, imperfecti, ut multis parabolis Evangelicis demonstratur; ipsa tamen plena & perfecta est, omnibusque numeris absoluta. S. Illa verba, Quoad eius fieri potest, quidnam sibi volunt? G. Nempe iustitiam Christianam puram & putam in hominem & rempublicam Christianam eatenus inducendam esse, quatenus per humanæ naturæ imbecillitatem, quam in membris nostris semper versari, quàm diu in hac vita degimus, iam supra demonstratum est, fieri potest. Nam expetendum quidem esset, & verò omnibus votis, eam hominis ac reipublicæ esse perfectionem, ut non alia inter homines Christianos quàm vna Christi lex, cum qua ea quæ primi status erat, omnino congruit, versaretur: sed quoniam non cum perfectis, sed plerisque omnibus imperfectis vivitur, in quibus tamen semina ipsa veræ iustitiæ insunt, licet fructum non omnino maturum proferant, necesse est ut, dummodo substantia ipsa conseruetur, in reliquis de summa illa perfectione non nihil remittatur. Et proinde Dominus ipse non solum consilia perfectionis, sed & præcepta salutis nobis reliquit; addens non omnes omnia capere, sed in domo Patris sui mansiones esse multas. Ac quamquam quidem primis Apostolorum temporibus, credentium cor vnum esset, & anima vna, nec quisquam quidquam haberet suum, sed omnia conferrentur in commune; hoc tamen postea remissum fuisse, res ipsa ostendit; adeò ut pro certo statuendum sit, posita in republica lege Christiana, eam tam puram conseruandam esse quàm fieri queat; sed quatenus ob hominum corruptionem fieri nequit, utique non illicitum esse, ut ex indulgentia, quemadmodum Paulus ait, quædam illi non solum ad similitudinem cerimoniarum, ac aliarum rerum Mosaicarum aspergantur, verum etiam quæ ex naturæ corruptæ lege sunt desumpta; cuiusmodi sunt rerum dominia, commercia, & his similia. Cui & hoc adde magis mirum, quòd quædam etiam non optima ex secundo hominis statu, quasi conuenientibus oculis, tanquam minima de malis, sæpe tolerari debent; ut hac ratione alter alterius onera portet, omniaque fiamus omnibus, ut omnes lucremur; ne, si aliter fiat, quos paululum concedendo, Christo lucrari possenius, nimis exactè omnia exigendo perire sinamus, & contra præceptum Evangelicum, bonum triticum cum zizania eruamus, quod fieri non debet. Nam non minùs iniurium est, ab imperfecto perfecta exigere, quàm perfectos ad imperfecta cogere. Quamquam hac in re quatuor semper meminisse & ob oculos habere oportet. S. At quænam autem illa? G. Vnum, ut reliquis omnibus legibus relicta, è terra Ægypti cum filiis Israël migremus, & in solitudinem nos recipientes, pro fundamento totius reipublicæ non aliud quàm vnum Christum, & eius legem ponamus, nec quidquam ut licitum admittamus, quod ei sit aduersum, vel cum ea non consentaneum: nam non habemus aliud fundamentum, quàm quod semel positum est, Christus. Cuius quidem causâ reliqua omnia vendete debemus, ut pretiosam margaritam, & fundum in quo tantus thesaurus absconditus est, emamus; non autem è contrà, manere in veteri lege, Ethnica fortè vel Iudaica, ut Christi legem illi assuamus, quoniam non debet rudis pannus insui in vestimento veteri, ne vtrumque dirumpatur ac pereat. S. Intellego. G. Alterum est, ut suscepta religione Christiana, tanquam vnico fundamento, vero ac firmo, reliqua quæ ad similitudinem aliarum legum inferiorum illi adiiciuntur, non tanquam ab illis mutuo sumpta assumantur; nam hoc esset vinum nouum in vtres vetetes infundere, & in Christianismo Iudaizare; sed contrà tanquam nostra propria & ab hostibus repetita, & ab illorum spurcitiis repurgata possidere, haud aliter atque filij Israël, res ab Ægyptiis commodatas, uti sibi debitas, & possessoribus illis indignas auferebant, & quæ ab hostibus capta essent, per refusionem aut repurgationem ita sua faciebant, ut non ab hostibus capta, sed domi nata viderentur. Quod sanè fit, cum quæ apud Iudæos aut Ethnicos bona, aut non mala, aut tolerabilia exstant, tribus granis fermenti Evangelici, fidei scilicet, spei & charitatis, asperguntur; & non ab ipsis, sed ab vno Deo, Patre, Filio, & Spiritu sancto, in spem venturi Christi profecta esse, & ab eius lege dependere demonstrantur; sic ut ea arripiendo, non quæ illorum sunt, prædari, sed quod nostrum est, repetere videamur, amputantes illa quæ ipsi de suo falsa ac peruersa adiecerant: quemadmodum circa ius civile Romanorum contingit, quod à malis & religioni Christianæ contrariis repurgatum, pij Imperatores ita suum fecerunt, ut non ab Ethnicis mutuo sumptum, sed ut nostrum repetitum dici debeat. Atque hoc quidem cum fit, vinum nouum religionis Christianæ in novos vtres rerum exteriorum infundi dicitur: qui quidem licet veterum & alienorum speciem ac similitudinem habeant, non tamen veteres & alieni, sed nostri ac proprij sunt habendi. S. Teneo. G. Tertium est, ut si quæ toleranda subinde sunt minus perfecta, quod sanè rebus nouis sæpe fieri debet, ut in Actis Apostolorum & alibi videre licet; ea non talia semper relinquuntur, sed paulatim procedentibus temporibus, in melius producantur.

ducantur. Haud aliter atque Dominus legem repudij Mosaicam, quæ ob duritiem cæcæ iudeorum lata erat, adueniente Euangelio, in statum suum primarium reuocabat, & quæ ob necessitatem dissimulata ac tolerata, de vforis, concubinis, diuortiis, in iure ciuili Iustiniano exstant, progredientibus temporibus à pijs Pontificibus correctæ, & ad normam Euangelicam redactæ sunt. Traditque Plato, sæpe priores legumlatores, ob rerum ac personarum circumstantias, leges quasdam constituere, quas ipsimet non optimas esse minime ignorant, sed dum meliora tempora expectantur, relinquunt eas sequentibus legumlatoribus corrigendas, & ad suam perfectionem reducendas. Et Dominus ipse de Apostolis quædam esse aiebat, quæ tum ipsi portare non poterant, sed venturum post Spiritum sanctum, qui deceret eos omnia. S. Rectè. G. Quartum est, vt dum quædam tolerantur in republica, quæ infra perfectionem sunt legis Christi (sic tamen, vt eam semper sapiant, eiusque fermento fermententur) alia item constituantur in eadem republica, quæ secundum consilia perfectionis supra communia legis sint præcepta, vt hæc ratione, quasi per bilancem, vnum cum alio compensetur, & tanquam per gradus ab inferioribus ad superiora homines paulatim deducantur. Cuius quidem generis est, quod dum ab vna parte lupanaria tolerantur, maioris mali vitandi causa; ab altera monasteria sacrosancta fundantur, ad maius bonum inducendum, inter quæ duo extrema, licita ac casta matrimonia media sunt interiecta. S. Probè. G. Atque his quidem quatuor diligenter seruat, nihil est quod prohibeat, quo minus cum lege Christiana, alia quædam ex alijs legibus corrigantur, vt in præsentī republica nostra Christiana videmus. S. Iam cur ad extremum adiectis in definitione, Quatenus quæque res patitur? G. Quia iam supra demonstratum est, iustitiam non eodem modo omnibus rebus inesse, sed alijs secundum substantiam, alijs naturâ; alijs ex accidenti. Item in alijs veras rationes esse exquirendas, quod ipsius iustitiæ est, in alijs verisimiles, quod simulacri, in alijs apparentes, quod vmbre. Quod quidem qui non animaduertunt, magnos sæpe errores committunt, dum vel in nugis tragicædiæ agunt, de rebus paruis magna molientes; quemadmodum Græci & Troiani super imagine Helenæ totis decem annis certasse feruntur, ipsa Helena in Phærum insulam à patre Ioue translata: vel contra, res paruas pro magnis ducunt, quemadmodum Scribæ & Pharisei, quos culicem excolare, camelum autem deglutire, Dominus aiebat, & decimæ anethum, cuminum, & omne olus; & omittere ea quæ grauiora sunt legis, fidem, iudicium, & misericordiam. Denique, prout quæque res est, ita vel veræ, vel verisimiles, vel apparentes rationes iustitiæ sunt in ea exigendæ. In quo quidem cum peccatur, à toto aberratur, vt post latius demonstrabitur.


De diuisione Practicæ Nomotheticæ.

TITVLVS II.

S.  E H I N C de diuisione Practicæ Nomotheticæ expecto vt dicas. G. Quoniam ea in hoc propriè consistit, vt leges in republica constituat, ad iustitiam in eam inducendam, vt dictum est: aio, in duas partes illam distribuam, internam vnâ, & externam alteram. S. Quæ est interna? G. Quæ viam ac rationem docet, qua leges, per quas iustitia in rempublicam inducenda est, condantur. S. Quæ externa? G. Quæ leges conditas in publicum profert, inque ciuitate constituit, & ad effectum deducit. S. Rectè. G. Et quidem cum apud Platonem Architectonice, quæ ciuilis sapientiæ speciem ac similitudinem gerit, ita diuidatur, vt vnâ partem iudiciariam habeat, quæ diiudicat quomodo domus ædificanda sit, & alteram imperatoriam, quæ operi faciundo præest, vt, quod fieri debere diiudicatum est, executioni mandetur; haud malè quoque internam partem Nomotheticæ Iudiciariam, externam Imperatoriam nomines. Nobis autem de vtraque est dicendum.

De interna parte Practicæ Nomotheticæ.


TITVLVS III.

S.  E G O de interna parte quid tractas? G. Enimvero cum eius sit leges condere, vt dictum est: omnis iuris ac legum condendarum ratio vel arte constat, vel sine arte est, vel media inter vtramque est interiecta. S. Quæ constat arte? G. Quæ certis regulis ex parte Theoreticæ deductis continetur. S. Quæ est sine arte? G. Quæ nullis constat regulis ex certis eorum principijs ac fontibus deriuatis. S. Quæ media? G. Quæ partim arte constat, partim autem caret. Nobis autem de prima, tanquam principe parte, primum est dicendum.

De


De iuris & legum condendarum ratione, quæ arte constat.

TITVLVS IIII.

S.  E ca autem quidnam habes dicere? G. Sanè cùm ex iis quæ tam in simplici, quàm coniuncta parte theoretices tradita sunt, constet, leges tum quidem substantia constare, tum autem forma, tum tertio ex vtroque mixto: fit, vt tribus omnino partibus tota hæc iuris & legum condendarum ratio contineatur. S. Quæ est prima? G. Quæ ad substantiam legis pertinet, vt circa quamque rem, quid iustum vel iniustum, æquum vel iniquum sit, declaret. S. Quæ secunda? G. Quæ circa formas legum externas aptè concipiendas versatur, vt à populo recipiantur. nam haud satis est, inquit Aristoteles, leges bene constitutas esse, quantum ad res de quibus feruntur, nisi & feruantur ab hominibus quibus feruntur. S. Quæ tertia? G. Quæ ad naturam legis mediam inter substantiam & formam pertinet, vt dicta legis rebus pariter & hominibus sint accommodata: quod cùm fit, plena & perfecta, omniq̃ue ex parte absoluta est. Nos facilioris doctrinæ causa primam partem substantialem vocabimus, secundam formalem, & tertiam naturalem. S. Intellico: sed visne de singulis ordine te interrogem? G. Sanè volo, & quidem iis primùm separatè distincteque explicatis; pòst deinde, quid commune inter se habeant, & quo pacto mutua opera iuuentur, breuiter attingemus quam: mixtam partem appellabimus.


De substantiali parte interna practica Nomothetices, & eius diuisione.

TITVLVS V.

S.  VID? substantialem ergo hanc partem quonam pacto definis? G. Aio esse quæ viam ac rationem docet, qua circa quamque rem propositam, quæ pro subiecto est; quid iustum sit, vel non sit, inuestigatur ac declaratur, quod pro prædicato. Quibus duobus totam substantiam legis contineri iam antè dictum est. S. Id autè quibusnam rebus continetur? G. Tribus. S. Cedo quibus? G. Primùm vt principia iusti & iniusti cognoscantur, vnde prædicatum dependet; tum vt res iuri subiectæ, & earum qualitates, vnde subiectum; tum quo pacto inter se coniungantur, vnde vtrumque.


De principiis iusti & iniusti.

TITVLVS VI.

S.  E principiis iusti & iniusti quid ais? G. Sanè cùm tota hac in parte nihil nec pulchrius sit, nec iucundius, nec item fructuosius, aut quod latius pateat, quàm horum vera cognitio: dabitur opera, vt quàm distinctissimè omnia tradantur. Ac primùm quidem, quænam principia iusti & iniusti sint, declarabimus; deinde, quomodo diuidantur; pòst, quæ eorum sint qualitates.

Quæ sint principia iusti & iniusti.

TITVLVS VII.

S.  VÆ sunt principia iusti & iniusti? G. Prima illa Dei ac naturæ data siue femina, in animis nostris insita, vnde quicquid toto orbe iuris est ac legum, enascitur. S. Cur prima vocas femina? G. Quoniam à Deo orta & in natura collocata, in animis hominum primò insita, & quasi consignata sunt, sic vt nihil habeant ante se. vnde magnum numen iustitiæ, eiusque anticipatas naturâ mortalibus adesse, Euripides ait. S. Cur addis: Vnde quicquid toto orbe iuris est ac legum, enascitur? G. Quoniam vti ex seminibus herbæ, ita ex primis istis igniculis iura legesque apud omnes vbique nationes ac populos nascuntur, à quibus cùm receditur, & ad hominum falsas opiniones & errores, eorumque ambitionem, libidinem, avaritiam, aliasque turpificati animi labes, leges accommodantur; non veræ leges sunt, sed falsæ ac tyrannicæ: cuiusmodi Scribarum & Phariseorum fuisse, in Euangelio proditur.

Quomodo diuidantur principia iusti & iniusti.

TITVLVS VIII.

- S. **Q**UOMODO autem diuiduntur hæc iusti & iniusti principia? G. Summa eorum diuisio est, quod vel ordinaria sint, vel extraordinaria, vel singularia. S. Quæ sunt ordinaria? G. Quæ certa iuris ratione constant. S. Quæ extraordinaria? G. Quæ in certam iuris rationem non cadunt. S. Quæ singularia? G. Quæ ex superioribus mixta ratione constant singulari.

De principiis ordinariis.

TITVLVS IX.

- S. **Q**UID? ordinaria anne rursus diuidis? G. Sanè quidem: in interna nempe, externa, & media. S. Quæ sunt interna? G. Quæ in re ipsa insunt. S. Quæ externa? G. Quæ foris accedunt. S. Quæ media? G. Quæ inter vtraque sunt interiecta.

De principiis internis.

TITVLVS X.

- S. **I**NTERNA porro quomodo partiris? G. In naturalia, ciuilia, & mixta. S. Quæ sunt naturalia? G. Quæ in natura à Deo insita, apud omnes vbique gentes obtinent. S. Quæ ciuilia? G. Quæ cuiusque propria sunt ciuitatis. S. Quæ mixta? G. Quæ inter naturalia & ciuilia sunt media.

De principiis naturalibus.

TITVLVS XI.

- S. **N**ATURALIA autem nunquid rursus diuidis? G. Sic: nam cum supra traditum sit, Nomotheticen esse, quæ rempublicam iustitiæ per legem participem efficit, à singulis singula principiorum genera proficiscuntur. S. Quid ita verò? G. Nam quædam sunt principia quæ à natura reipublicæ profluunt, quædam quæ à natura iustitiæ, quædam quæ à natura legis, & eius differentiis. De quibus singulis trademus: nec non quarto loco de principiis quæ à coniunctione ac copulatione reipublicæ & iustitiæ per legem existunt.

De principiis à republica deductis.

TITVLVS XII.

- S. **R**EPUBLICA quænam autem ducuntur principia? G. Quoniam idoneo loco supra traditum est, rempublicam ex pluribus familiis iungi, familias autem ex singulis hominibus, hominem autem tum quidem ex mundo tractum ac desumptum esse, tum autem ad Dei imaginem ac similitudinem factum; sit ut principia quæ hinc existunt, alia ex Deo sint, alia ex mundo, alia ex homine, alia ex familia, & alia ex descriptione reipublicæ.

De principiis ex Deo.

TITVLVS XIII.

- S. **Q**UÆ sunt principia ex Deo? G. Ea ipsa quæ supra cum de Deo ageremus, tradidimus, & diuina vocauimus; vnde reliqua inferiora omnia tanquam ex primo fonte profluunt. Nam Deus supra cuncta positus, principium est principiorum, & causa causarum, & lex legum.

De principiis ex mundo.


TITVLVS XIV.

- S. **Q**UÆ ex mundo? G. Eadem quoque quæ cum de mundo sermo esset, tradita sunt, & naturalia vocari diximus; vnde secundo loco post Deum stirps omnis iuris repetitur.

De


De principiis ex homine.

TITVLVS XV.

S.  X homine autem? G. Non alia itidem quàm quæ suprâ commemorauimus, cùm de descriptione partium hominis, de quæ illius potentiis, passionibus & habitibus tractarem. vnde diuersæ iuris regulæ, quæ quasi pro secundariis quibusdam principiis sunt, manarunt, vt, Eius est nolle, qui potest & velle: Imperitia culpæ annumeratur: Non videtur consentire qui errat, cum similibus: quæ hîc enumerare nihil attinet, quandoquidem de solis fontibus tractamus. Atque vti superiora diuina & naturalia, ita hæc humana principia vocantur.


De principiis ex familia.

TITVLVS XVI.

S.  X familia porrò? G. Ipsa illa etiam quæ antè tradidimus, cùm familiam describeremus: quæ quidem in hoc potissimum consistit, vt præter viri & mulieris coniunctionem, liberorum quæ procreationem & educationem, vitæ commoditates pro familia quarantur; vnde Oeconomica principia dicuntur.


De principiis ex descriptione reipublicæ.

TITVLVS XVII.

S.  ENIQUÈ ex descriptione reipublicæ? G. Itidem haud aliæ quàm quæ suprâ cùm de reipublica ageremus, exposuimus. Quare vt hîc repetantur, nihil est opus. Tantùm sat est, vt quo pacto alia necantur ex aliis, & à summo capite omnia profluant, intelligatur. Ac quoniam ad rempublicam pertinent, politica principia meritò vocantur.


De principiis à iustitia deductis.

TITVLVS XVIII.

S.  OST principia quæ à reipublica manant, declarata, iam de his quæ à iustitia proficiscuntur, dicito. G. Enimvero hæc sunt quæ tum quidem à iustitiæ definitione, diuisione & effectu ducuntur, tum autem ab iniustitia, tum verò ab iis quæ media inter illa sunt interiecta: quæ singula, quatenus huic instituto breuitati quæ satis erit, attingemus.


De principiis à definitione iustitiæ.

TITVLVS XIX.

S.  DEFINITIONE iustitiæ quænam ducuntur principia? G. Alia à prima parte definitionis manant, alia à secunda. S. A prima parte quæ? G. Principia Ethica, Physica, & Logica. Nam quatenus iustitia est voluntas, Ethica principia producit, quæ boni sunt; quatenus constans, Physica, quæ eius quod est; quatenus perpetua, Logica, quæ scientiæ veri: vt suprâ latius est demonstratum. S. A secunda autem? G. Principia Mathematica: nam ad ius suum cuique tribuendum, & Arithmetica opusest, & Geometria, & Astronomia, & Musica, vt apud Platonem in Epinomide latius demonstratur, & posterius à nobis attingetur. Sed eundem est per singula.

De principiis Ethicis.


TITVLVS XX.

S.  ID? Ethica autem principia quænam sunt? G. Quæ ratione constant morali; sub quibus & Oeconomica & Politica comprehenduntur, quorum tres sunt diuisiones. S. Quæ prima? G. Quòd omnia principia Ethica, partim vniuersalia sunt, vt, iustitiam colere, à malo recedere, & facere bonum; partim generalia, vt, honestè viuere, quoad se, alterum non lædere, quoad proximum, ius suum cuique tribuere quoad vtrumque; partim specialia, vt

Deum, qui suprà est, super òmnia diligere; animantibus, quæ infrà sunt, moderatè præesse; & in proximum, qui æqualis est, æquè atque in se esse animatum. S. Quæ altera? G. Quòd principia Ethica vel ad singulos homines pertinent, vt se vitamque tueri; vel ad domum & familiam, vt cum vxore perpetuam vitæ consuetudinem habere, liberisque procreandis & educandis operam dare; vel ad vniuersitatem & rempublicam, vt Deum, principem, & patriam, totamque vitæ societatem & conuictum colere. S. Quæ sequens? G. Quòd cuncta principia Ethica vel ex prima hominis natura incorrupta feruntur, vel ex secunda corrupta, vel ex mixta, quæ tum quidem legis naturæ imperfectæ sunt, tum autem legis Mosaicæ, tum verò legis gratiæ, vt antè latius exposuimus, & mox iterum tangetur: nam eadem res, respectu diuersorum, sub diuersis capitibus non malè collocatur. S. Rectè. G. Atque ab his quidem principiis Ethicis manant diuersæ iuris regulæ, vt, Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri. Domum suam reficere vnicuique licet, dum non officiat inuito alteri in quo ius non habet. Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus. cum aliis de genere eodem.


De principiis Physicis.

TITVLVS XXI.

S.  HYSICA principia quænam sunt? G. Quæ ratione constant naturali; siue ea Metaphysica sint, quæ supremæ partis mundi sunt, & ad Dei vim ac naturam proximè accedunt; siue ea speciali nomine Physica, quæ cælo ac terra adspectabili continentur; siue inferiora, quæ infimæ mundi partis sunt propria. Ex quibus omnibus multæ deducuntur iuris regulæ. vt, Impossibile nullam obligatio est. Accessorium naturam sequitur sui principalis. Secundum naturam est, comoda cuiusque rei sequi eum, quem sequuntur incommoda. cum similibus.


De principiis Logicis.

TITVLVS XXII.

S.  VÆ sunt principia Logica? G. Quæ ratione constant Logica. sub quibus Grammatica, Rhetorica, & Dialectica continentur. ex quibus prima ad verborum significationes pertinet, quorum vsus latissime patet; sequentia ad animos mouendos; reliqua ad rationem & intelligentiam informandam. ducunturque hinc iuris regulæ: In toto iure generi per speciem derogatur. Duobus negatiuis verbis quasi permittit lex magis quàm prohibeat. In alternatiuis, debitoris est electio, & sufficit alterum adimpleri. Semper specialia generalibus insunt. Vbi verba coniuncta non sunt, sufficit alterum esse factum. Pluralis locutio, duorum numero est contenta. & si qua sunt alia id genus.

De principiis Mathematicis.

TITVLVS XXIII.

S.  ATHEMATICA principia quænam vocas? G. Quæ, vt modò diximus, ab Arithmetis, Geometricis, Astronomicis, & Musicis principiis profluunt. quorum triplex est vsus: vniuersalis, generalis, & specialis. S. Quis est vniuersalis? G. Quòd animus his artibus tractandis, à rebus inferioribus abducitur, & ad superiores applicatur: sic vt Sapientiæ, quæ Arithmeticæ & Geometriæ tribuitur, & Iustitiæ, quæ Astronomiæ, & Musicæ, particeps efficiatur, vt in libris de Republica, & Epinomide, apud Platonem latè disputatur. S. Quis generalis? G. Quòd non modò numerorum, mensurarum, temporum, & cantus (quibus omnibus in republica opus est) principia hinc ducuntur, sed & ius suum cuique per ea tribuitur, dum ea quæ non sunt, vt sint, efficitur, confusa distinguuntur, inordinata in ordinem rediguntur, & dissidentia consona redduntur, vt suprà tactum est. S. Quis specialis? G. Quòd ab his artibus multa quoque manant principia specialia, cuiusmodi sunt hæ regulæ iuris: In toto & pars continetur. In eo quod plus est, semper inest minus. Quæ ratio est totius ad totum, eadem est partis ad partem. cum similibus.

De principiis & diuisione iustitiæ.

TITVLVS XXIII.

S ENCEPS de principiis quæ à diuisione iustitiæ manant, cupio cognoscere. **G.** Hæc secundum ea quæ supra tractata sunt, vel à generibus eius profluunt, vel à partibus, vel à gradibus, vel à formis. Per quæ singula nobis est eundem.

De principiis à generibus iustitiæ.

TITVLVS XXV.

Q VÆ sunt principia à generibus iustitiæ? **G.** Quæ à iustitiâ vniuersali, generali, & speciali dueantur: de quibus supra est expositum; vbi & de iustitiâ distributiua, commutatiua, & mixta, agitur.

De principiis à partibus iustitiæ.

TITVLVS XXVI.

Q VÆ à partibus? **G.** Quæ à virtutibus manant theologicis, moralibus, & ciuilibus: quas heterogeneas partes iustitiæ esse, antè probauimus. Ultra quas sunt aliz partes homogeneæ, quæ & ipsæ suum habent in legibus condendis vsum.

De principiis à gradibus iustitiæ.

TITVLVS XXVII.

A Gradibus autem? **G.** Quæ tum quidem à metu pœnæ deriuantur, tum autem à spe præmij, tum verò ab amore boni: nam hos iustitiæ gradus esse, supra quoque latius est disputatum.

De principiis à formis iustitiæ.

TITVLVS XXVIII.

A Formis denique? **G.** Quæ à recta, restricta, & moderata iustitiâ originem trahunt: nam hæc tres iustitiæ formas esse, iam supra ostendimus, vbi & de singulis latius fuit disputatum.

De principiis ab effectibus iustitiæ.

TITVLVS XXIX.

P OSTR principia à definitione & diuisione iustitiæ ducta, iam quænam à vi eius & effectu ducantur dicito. **G.** Sanè cum supra demonstratum sit, quinam iustitiæ sint effectus: vsum eorum est, vt in iurè condendo, ad eos consequendos semper respiciamus, siue omnes, siue vnum, vel plures ex illis, non quidem per se, sed quatenus de iustitiâ dependent.

De principiis ab iniustitiâ.

TITVLVS XXX.

N VNC principia quæ ab iniustitiâ manant quænam sunt? **G.** Sanè cum quid iniustitiâ sit, antè sit expositum: principia quæ inde profluunt, trium omnino sunt generû. **S.** Quod est primum? **G.** Vt tum quidè malum ipsum quoad eius fieri queat, fugiamus: tum autem occasiones quæ ducunt ad malum; tum verò ea quæ sunt ex malo. **S.** Quod secundum? **G.** Vt propter naturæ corruptæ imbecillitatem malum nonnunquam toleremus, subinde simpliciter & absolutè, veluti cum ita inueteratum est, vt erui non possit, vt vim vi repellere; frangenti fidem, fidem non seruare; subinde eligendo ex pluribus malis id quod est minus, iuxta vetus dictum, Minima de malis: subinde corrigendo malum, quantum fieri queat; vt cum vsurarum quantitatem minuimus, quæ ex toto tollere non possumus.

S. Quod

S. Quod tertium? G. Vt malo cautionem opponamus ne noceat, siue ipsi de quo agitur, veluti cum ipsius domini interesse dicimus, ne sine causa legibus cognita seruum suum occidat; siue ei qui cum eo contrahit, vt cum mutuurn cui dantes, pignus ab eo accipimus; siue tertio, veluti quoddam ei qui filio familias mutuurn dedit, actionem denegamus, ne oppressio aris alieni, votum captandæ mortis paternæ inducat. Atque hæc quidem principia cautionalia meritò vocantur; estque eorum vsus frequentissimus: nam pleræque omnes leges vel mali vitandi causa conduntur, vel boni adipiscendi, vel vt naturæ rei de qua agitur, seruiatur.

De principiis à mediis inter iustitiam & iniustitiam.

TITVLVS XXXI.

S. **R**ESTAT de principiis à mediis inter iustitiam & iniustitiam, vt dicas. G. Hæc non alia sunt, quàm quæ supra diximus, fauor & odium, & quod medium est inter vtrumque interiectum. S. Rectè. G. Cuius generis sunt, necessarium, vtile, & delectabile, siue honestum vulgare, & eorum contraria. S. Verum. G. Post quæ sequuntur quæ indifferentia propriè dicuntur, de quibus quidem omnibus quoniam antè latius tractatum est, hîc attigisse, & tanquam intento in fontem digito demonstrasse, sat est.

De principiis à lege deductis.

TITVLVS XXXII.

S. **D**EMONSTRATIS principiis à republica manantibus, nec non à iustitia, iam de iis quæ à lege descendunt, quid ais? G. Hæc vel à definitione eius ducuntur, vel à diuisione, in genera, partes, gradus, & formas; vel ab effectu eius, contrario, & præceptis. Quæ singula, vt de aliis fecimus, attingemus.

De principiis à definitione legis.

TITVLVS XXXIII.

S. **A** DEFINITIONE legis quænam ducuntur principia? G. Quæ ex illius declaratione descendunt: de qua supra, quantum satis videbatur, est expositum.

De principiis à generibus legis.

TITVLVS XXXIII.

S. **A** GENERIBUS autem? G. Quæ, vt antè diximus, legem tum quidem vniuersalem, generalem, aut specialem esse demonstrant; tum autem diuinam, naturalem, aut humanam; tum verò primariam, secundariam, aut tertiam.

De principiis à partibus legis.

TITVLVS XXXV.

S. **A** PARTIBUS verò? G. Quæ legem partim præceptio, partim constitutione ipsa, partim sanctione constare docent; prout antè exposuimus.

De principiis à gradibus legum.

TITVLVS XXXVI.

S. **A** GRADIBUS porro? G. Secundum quæ leges, alix sunt remissæ, alix intensæ, alix mediæ, cum nonnullis aliis, de quibus antè suo loco est tractatum.

De principiis à formis legis.

TITVLVS XXXVII.

S. **A** FORMIS denique? G. Quæ vel internas eas esse docent, vel externas, vel medias; quemadmodum antè latius fuit disputatum.

De

De principiis ab effectibus legis.

TITVLVS XXXVIII.

S. **I**AM principia ab effectibus legis quænam esse dicis? G. Eadem ipsa quæ enumerauimus, cum de vi & effectu legis ageremus, & cum effectibus iustitiæ ea magna ex parte congruere ostendimus.

De principiis à contrario legis.

TITVLVS XXXIX.

S. **A** Contrario legis verò? G. Illa ipsa quoque quæ tradidimus, cum de contrario legis sermonem haberemus, vbi legem diaboli, legi Dei aduersari ostendimus.


De principiis à præceptis legis.

TITVLVS XL.

S. **A** Præceptis legis tandem? G. Non alia etiam quàm antè descripsimus, vbi quaternario pariter & denario numero ea comprehendimus, & iustitiæ pariter & homini conuenire docuimus.

De principiis à republica & iustitia per legem coniunctis deductis.

TITVLVS XLI.

S.  **Q**UONIAM de principiis à republica, & item à iustitia, nec non à lege separatè distinctèque dictum est, age nunc de iis quæ à tribus illis coniunctis promanant, secundum propositum ordinem, videamus. G. Hæc autem non alia sunt, quàm quæ à statibus hominis, de quibus supra traditum est, proficiscuntur. Qui quidem cum sint tres numero, ex quibus tertius rursus diuiditur in vitam sub lege naturæ corruptæ, Moyfi, & gratiæ, fit vt totidem existant genera principiorum.

De principiis à primo statu hominis.

TITVLVS XLII.

S. **Q**UÆ proficiscuntur principia à primo statu hominis? G. Quæ tota bona esse supra diximus, secundum quæ homo viuebat, quàm diu in prima sua integritate perstabat, in qua à Deo opificè erat conditus.

De principiis à secundo statu hominis.

TITVLVS XLIII.

S. **Q**UÆ à secundo? G. Quæ tota mala esse antè traditum est, & superioribus planè contraria. Nam cum illa à Deo profecta sint, hæc à diabolo originem sumpserunt.

De principiis à vita sub lege naturæ corruptæ.

TITVLVS XLIIII.

S. **A** Vita autem sub lege naturæ corruptæ? G. Quæ partim bona, partim mala, plus mali in se habent quàm boni, sic tamen vt ad bonum aliqua per ea sit reuersio, vt supra est demonstratum.

De principiis à vita sub lege Mosaica.

TITVLVS XLV.

S. **A** Vita verò sub lege Mosaica? G. Quæ secundum literam boni & mali, perfecti & imperfecti, æquas quodammodo partes in se habere ostendimus: & tum quidem morali, tum autem cerimoniali, tum verò iudiciali lege continentur.

De

De principiis à vita sub lege gratia.

TITVLVS XLVI.

S. **D**ENIQUE à vita sub lege gratiæ? G. Quæ à Christo profecta, non solum plus boni quam mali in se continent, sed tota per se bona plenaque sunt & perfecta, nisi quod homines, quam diu in hac degunt, aliquid semper imperfecti circumferunt, vt supra latius est expositum.

De principiis ciuilibus.

TITVLVS XLVII.

S. **P**ROST naturalia principia decursa, de ciuilibus & mediis volo nunc audire. G. Ciuilia sunt, quæ cuiusque, vt dixi, propria sunt ciuitatis, & ex tribus ferè ducuntur. S. Cedo quibus? G. Ex præteritis, futuris, & præsentibus. S. Quomodo ex præteritis? G. Vt si in memoriam insignis alicuius rei gestæ quid constituatur in reipublica, vt Pascha apud Iudæos in memoriam exitus de Ægypto. Et in iure ciuili Romano emancipatio inde nomen adhuc habet, quod per imaginarias quasdam venditiones olim fieri solebat. S. Ex futuris autem? G. Veluti quod apud eosdem Iudæos multa in signum venturi Christi erant constituta. S. Ex præsentibus verò? G. Cum ad reipublicæ statum, & illius circumstantias, leges accommodantur, quod tam illius conseruandi gratia fit, vt apud Aristotelem in Politicis latè disputatur, quam imitandi. nam quod quinque testes, nuncupatio testamento, iure ciuili adhibentur, inde originem habet, quod populus Romanus, coram quo testari homines solebant, in quinque tribus principio erat diuisus, quas post deinde, aucta multitudine, quinque testes repræsentare placuit.

De principiis mediis inter naturalia & ciuilia.

TITVLVS XLVIII.

S. **M**EDIA principia inter naturalia & ciuilia quænam sunt? G. Quæ ingenio humano apud omnes vbique gentes post peccatum constituta, secundarij iuris gentium vulgo vocantur, vt distinctiones dominiorum, commercia, bella, & alia eiusmodi. Quod quidem nomen ideo illis tribuitur, vt tum quidem à naturali iure distinguantur, tum verò à iure ciuili, tum denique à iure gentium primario, quorum tamen omnium nomina subinde accipiunt. S. Quomodo distinguuntur à iure naturali? G. Quia cum ius naturale generali nomine sit, quod in natura est insitum; hæc iura non naturà, sed arte constituuntur. Et cum specialiter ius naturale vocetur, quod omnibus animantibus est commune, hæc humano generi sunt propria. S. Quomodo à iure ciuili? G. Quia cum ius ciuile cuiusque proprium sit ciuitatis, hoc apud omnes vbique gentes obtinet. S. Quomodo à iure gentium primario? G. Quia cum ius gentium primariū sit, quod homini à Deo ante peccatum est insitum, hoc ingenio, & arte humana post peccatum est constitutum. S. Quo pacto tamen horum omnium nomina ista principia accipiunt? G. Quia enim per totum mundum diffunduntur, ad differentiam ciuiliū, quæ vnus duntaxat sunt ciuitatis, sæpe appellantur naturalia: quia verò non à natura indita sunt, sed ab hominibus inuenta, sic vt ad differentiam naturalium dicantur ciuilia: & quia non cum beluis sunt communia, sed humano generi propria, sic tamen vt non vnus ciuitatis mœnibus includantur, sed per omnes vbique gentes spargantur, accidit vt iuris gentium generali nomine vocentur. S. Quot autem modis ista principia se habent? G. Tribus. S. Quis est primus? G. Cum ars à natura aliquid arripit quod suo modo perficit, vt nuptiarum, quæ naturales sunt, ritus, qui artificiales. S. Quis secundus? G. Cum ars naturam imitatur, vt in adoptione. S. Quis tertius? G. Cum ex naturæ igniculis ars aliquid constituit, quo facto mox natura intrat, & rem ex arte constitutam naturali ratione dirigit, vt in emptione, venditione, locatione, conductione, testamentis, iudiciis, & aliis infinitis videre licet, quæ quasi paruum quandam naturam in maiore constituere videntur.

De

De principiis externis.

TITVLVS XLIX.

S. **E**X POSVISTI de principiis internis: ageris ad externa & media nunc transi. G. Externa esse dixi, quæ non quidem in re ipsa insunt, sed foris adueniunt. & sunt propria, impropria, mixta. S. Quæ sunt propria? G. Quæ re ipsa extrinsecus hauriuntur. & sunt partim diuina, veluti si Deus viuz vocis oraculo quid præcipiat, vt de lege Euangelica & Mosai- ca factum est, cui vtrique parendum est, etsi ratio ignoretur: partim naturalia, vt si astro- rum cursus, vel cæli & maris tempestas, vel qua alia causa, quam ex rerum inclinationi- bus, & momentis temporum dependentem, vim maiorem, vel rem fatalem Iurisconsulti Romani vocant, quid exigat, cui resisti non potest: partim humana, vt si legislatoris aut populi affectio aliquid inclinet: nam etiam error communis, vt Iurisconsultus ait, facit ius. S. Quæ impropria? G. Quæ non tam per se externa sunt, quàm respectu eius qui illis vtitur. quod tribus fit modis. S. Quis est primus? G. Cùm iurisconsultus opera vtitur aliena, vt medici, mensuris, obstetricis. S. Quis secundus? G. Cùm alienis sententiis, vt Homeri, Platonis, Aristotelis, Hypocratis, Ciceronis, & similibus. S. Quis tertius? G. Cùm opera pariter & sententiis, veluti cùm aliorum legibus, responsis, rebus, iudica- tis, moribus, & aliis antiquitatibus ac exemplis iuuatur. S. Quæ sunt principia mixta? G. Quæ mixto ferè modo ex supradictis se habent. Ac sunt quidem probationes, conie- cturæ, & præsumptiones. S. Quas vocas probationes? G. Quæ per testes fiunt, instru- menta & mixta. S. Quas coniecturas? G. Quæ ex signis fiunt præcedentibus, conse- quentibus, & coniunctis. S. Quas præsumptiones? G. Quæ ex iis sumuntur quæ ple- rumque adesse, abesse, vel accidere solent. S. Intelligo. G. Ac sunt quidem omnes tam probationes quàm coniecturæ, & præsumptiones, aliæ aliis vehementiores, & remissiores. S. Teneo. G. Et cùm probationes atechne sint, hoc est, sine arte, coniecturæ contrà en- techne, quæ arte constant, præsumptiones medium locum obtinent. Ac cùm alia prin- cipia vel ad iuris quæstiones pertineant, cùm quale quid sit queritur, vel naturæ, cùm quid sit: hæc tria postrema in facti quæstionibus propriè spectantur, cùm an cogitatum, di- ctum, vel factum quid sit, exquiritur.

De principiis mediis inter interna & externa.

TITVLVS L.

S. **A**M de principiis mediis inter externa & interna, quid dicis? G. Hæc sunt quæ certis attributionibus siue circumstantiis constant. S. Quot au- tem sunt circumstantiæ? G. Septem, ad quas reliquæ omnes reuocantur. S. Quæ autem? G. Locus, tempus, persona, quantitas, qualitas, causa, euentus. S. Quæ vis est circumstantiarum? G. Triplex. S. Quæ pri- ma? G. Quòd propensioem aut leuiorem, venia dignam vel non dignam rem faciunt qua de agitur: nam patrem verberare grauissimum est, seruum hominem, leuius. S. Quæ secunda? G. Quòd rem de vno genere transferant in aliud: nam rem profanam inuito domino contrectare, furtum est; sacram sacræ commendatam, sacrilegium. S. Quæ tertia? G. Quòd rem de bona malam, & contrà de mala bonam faciunt: nam eleemo- syna per se bona, mala fit, si auræ popularis captandæ causa fiat: homicidium per se ma- lum, bonum, si ob iustitiæ vindictam. S. Intelligo. G. Atque huc quidem pertinet, quòd Claudius Saturninus Iurisconsultus, septem modis res considerandas esse ait, causa, per- sona, loco, tempore, qualitate, quantitate, euentu. Causa, vt in verberibus, quæ impu- nita sunt à magistro illata vel à parente, puniuntur cùm quis per iram ab extraneo pulsa- tus est. Persona, nam aliter puniuntur ex iisdem facinoribus serui, quàm liberi. Locus facit vt idem vel furtum, vel sacrilegium sit. Tempus discernit emanforem à fugitiuo. Qualitas, cùm factum vel atrocius est, vel leuius; vt rixæ à grassatura, expilationes à furtis discerni solent. Quantitas, discernit furem ab abigeo. nam qui vnâ suam surripuerit, vt fur coërcebitur; qui gregem, vt abigeus. Euentus in non atrocibus facit, vt aliter cona- tus, aliter factum ipsum puniatur.

De principiis extraordinariis.

TITVLVS LI.

S. **A**BSOLVTIS principiis ordinariis, quid? an de extraordinariis & singularibus sequitur vt exponas? G. Sequitur verò. Ac sunt quidem extraordinaria, quæ circa res extraordinarias ratione ac via extraordinaria versantur. S. Quas vocas res extraordinarias? G. Quæ in ordinariam & certam iuris rationem non cadunt: quod vel ob magnitudinem earum fit, vel exiguitatem, vel qualitatem. S. Quomodo ob magnitudinem? G. Cum res maior, nobilior, vel diuiniore est, quàm vt ordinaria iuris ac iudiciorum via tractari debeat; qua ratione Vlpianus negat iuris ciuilibus professoribus ius dicendum esse: nam cum sanctissima res sit ciuilibus sapientia, non est pretio nummario æstimanda, nec dehonesta, dum in iudicio honor petitur, qui in ingressu sacramenti offerri debuit: quædam enim tametsi honestè accipiuntur, inhonestè tamen petuntur. S. Quomodo ob exiguitatem? G. Vt si res minor, vilior, indignior sit, quàm vt sacrosancta iustitia ei debeat accommodari: vnde de minimis prætorum non curare dicimus, de alea & aleæ lusu ius non reddi. S. Quomodo ob qualitatem? G. Veluti si res vel indifferens sit, sic vt nihil intersit vtram in partem propensiores simus. S. Probè narras. G. Vel obscura & implicata tortuosaque, ita vt exitum non habeat. S. Rectè. G. Vel dubia & anceps, sic vt ambiguitate distractus animus, nesciat quid potissimum sit amplectendum. S. Ratio autem qua hæc res extraordinariæ explicantur, quotnam habet vias? G. Tres. S. Cedo quas? G. Diuinam, humanam, mixtam. S. Quæ est diuina? G. Cum ad sacrum oraculum itur, vt apud Moysen in rebus obscuris præcipitur: apud Platonem in omnibus ad res diuinas pertinentibus. S. Quæ humana? G. Cum vel extra ordinem certa ratione ac via succurritur per iudicia quæ extraordinaria iure ciuili vocantur. S. Intellego. G. Vel ex sola legislatoris affectione certi quid in rebus indifferentibus secundum Paulum Iurisconsultum constituitur: vnde iura quæ positiua vulgo dicuntur, originem habent. S. Teneo. G. Vel denique medio quodam modo rei exitus inuenitur, siue totum differendo reiiciendoue, vt de oratione dubia & obscura Paulus Iurisconsultus tradit, & apud Vlpianum, τὸ ἰσχυρὸν totum corrumpere dicitur; siue per medium secando, vt in minore viginti quinque annis qui seruum manumittit, Iustinianus probat; siue id quod benignius, minus, verisimilius est eligendo, qua de re variè sunt iuris regulæ, nempe: Quod factum est, cum in obscuro fit, ex affectione cuiusque capit interpretationem. Ea quæ in partes diuidi non possunt, solida à singulis hæredibus debentur. In re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus iustius est quàm vtilius. cum similibus. S. Quæ sunt rationes mixtæ? G. Cum in re incerta, per iusiurandum, sortem, purgationem vulgarem vel canonicam, bellum, vel quo alio modo ad exitum peruenitur; vt tum quidem in lege Mosaica de poculo zelotypiæ; tum autem iure ciuili, de iureiurando, & sorte; tum verò iure Pontificio, de purgatione vulgari & canonica traditur. Nec aliud pertinet factum Salomonis, cum in re perplexa gladium adferri, puerumque, quo de agebatur, medium secari iubebat.

De principiis singularibus.


TITVLVS LII.

S. **D**ISTINCTA ordinaria principia & extraordinaria perpurcata, iam de mediis quid ais? G. Hæc sunt quæ neque communi & ordinaria iuris ratione constant, neque extraordinaria, sed singulari, vt dictum est: vnde ius singulari, vt dictum est: vnde ius singulari oritur, cum priuilegia irrogantur. de quo dicendum est, quor modis se habeat, & quibus principiis nitatur. S. Quot autem modis se habeat? G. Tribus. Nam vel in præteritum confertur, vt cum delicti commissi venia datur, alioque modo cui parcitur, ignoscitur, aut indulgetur; vel in futurum, cum per dispensationem (quam vocant) legibus quis soluitur; vel in præsens, cum quibusdam de rebus vel personis priuilegia siue iura singularia feruntur, quæ sunt, cum contra communem tenorem rationis, propter aliquam vtilitatem, auctoritate constituentium quid introducitur, vt sæpe opus est. S. Quibus autem nititur hæc res principiis? G. Et hæc trium omnino sunt generum: nam vel à pulchro ipso deducta, diuina ratione constant, quo quidem modo sacerdotes in templo Sabbathum violant, & sine crimine sunt: vel à necessitate profecta, naturali ratione continentur, quo modo Dauid, urgente fame, panes propositionis comede-

comedebat: vel denique à personarum & rerum qualitatibus ac circumstantiis orta, humanis nituntur rationibus, vnde varia iura singularia variis ex causis nascuntur: nam nulla in rebus humanis tam certa potest esse regula generalis circa personas, res, aut earum circumstantias, quæ non aliquam specialem (vt vulgo dicitur) patiat exceptionem. S. Verum est. G. Quæ quidem exceptio vel à præstantia oritur, vt priuilegia clericorum, militum, & similibus; vel contra ab imbecillitate, veluti quod infirmis in sacris literis multa indulgentur, vel ex variis causarum figuris, quod pertinet, quod dum maioribus rebus quis dat operam, minores interea temporis licite intermittuntur, quod docet illud Euangelij: Misericordiam volo, & non sacrificium. S. Probè narras. G. Atque hoc modo absoluta est diuisio principiorum iusti & iniusti, quibus omnes omnino iuris & iniuriæ fontes continentur, sic vt neque deesse quicquam, neque abundare arbitremur. Nam quamquam quidem subinde vna eademque res ad diuersos fontes referri possit, id non eodem, sed diuerso contingit respectu.


De qualitatibus principiorum.

TITVLVS LIII.

S.  VONIAM igitur de definitione principiorum iusti & iniusti, & item de diuisione est expositum, quid placetne de qualitatibus tandem vt dicas? G. Placet verò. & quidem hæc vel vniuersaliter considerantur, vel generaliter, vel specialiter. S. Quomodo vniuersaliter? G. Quod qualitates principiorum, vnæ eademque sunt cum eorum differentiis, de quibus hæcenus est expositum. S. Quomodo generaliter? G. Quod primariò inde elicitur, omnia principia diuina esse vel humana, naturalia vel ciuilia, bona vel mala, pulchra vel necessaria, moralia vel naturalia, facti vel iuris, principalia vel cautionalia, perfecta vel imperfecta, per se vel prout homines iis vtuntur: quæ sunt nouem differentiæ. S. Quomodo specialiter? G. Quod secundariò ex supradictis secundùm eundem numerum elicitur, omnia principia ordinaria esse vel extraordinaria, communia vel singularia, interna vel externa, infinita vel definita, substantialia vel formalia, entechna vel atechna, vera vel verisimilia, primaria vel secundaria, generalia vel specialia. S. Intellego. G. Non addo plura: quoniam superioribus bene perceptis, hæc vltro per se intelliguntur, quoniam ex iis oriuntur ac dependent.


De rebus iuri subiectis.

TITVLVS LIIII.

S.  VANDO QUIDEM de principiis iusti & iniusti est expositum, quod primum huius instituti de substantiali parte internæ Practicæ Nomotheticæ est membrum; quid visne de rebus iuri subiectis, quod secundum est, nunc porrò te interrogem? G. Volo equidem. & verò eundem ordinem quem hæcenus tenuimus secutus, primum quæ res iuri subiectæ sint dicam, deinde quomodo diuidantur, post quæ earum qualitates sint ac differentiæ.


Quæ sint res iuri subiectæ.

TITVLVS LV.

S.  VÆ sunt res iuri subiectæ? G. Quæ in iusti & iniusti rationem incidunt, quod demonstrat definitio Iurisprudentiæ, quæ est: Diuinarum & humanarum rerum notitia, iusti & iniusti scientia. S. Rectè. G. Aded vt cum principia pro forma sint, vnde prædicatum petitur, res istæ sint pro materia, vnde constituitur subiectum.

De diuisione rerum iuri subiectarum.

TITVLVS LVI.

S.  VID? res istas iuri subiectas quonam modo diuidis? G. In personas, res, & circumstantias. S. Quas vocas personas? G. Homines, quatenus de iis leges feruntur, vt de liberis & seruis, de ingenuis & libertinis, de marito & vxore, de patre & filio, de tutore & pupillo. cum similibus. S. Quas res? G. Quæ tum quidem hominibus seruiunt, vt domus, fundus, vestis, & alia eiu smodi; tum autem ab hominibus procedunt, vt variæ eorum actiones, emendi, testandi, nubendi. S. Quas circumstantias? G. Quæ personas & res circumstant, vt locus, tempus, causa, quantitas, qualitas, euentus.

De qualitatibus ac differentiis rerum iuri subiectarum.

TITVLVS LVII.

S. **Q**UÆ sunt autem harum rerum omnium qualitates ac differentiæ? G. Aliæ communes, aliæ propriæ. S. Quas dicis communes? G. Quæ omnibus conueniunt. S. Quas proprias? G. Quæ speciatim personis, rebus, & circumstantiis sunt propriæ.

De communibus rerum iuri subiectarum qualitatibus.

TITVLVS LVIII.

S. **D**E communibus quid ais? G. Enimvero vti principia iusti & iniusti modo partiti sumus, eodem modo & res omnes iuri subiectas dico diuidi. Et ideo quemadmodum de illis tradidimus, ita & hic dicimus, omnes res iuri subiectas, vel ordinarias esse, vel extraordinarias, vel singulares. & ordinarias rursus partim internas, partim externas, partim medias, & internas porro tum quidem naturales, tum autem ciuiles, tum verò mixtas. & denique naturales, vel ad rempublicam pertinere, nempe Deum, mundum, hominem, familiam, aut ciuitatem; vel ad iustitiam, secundum definitionem, diuisionem, effectum, contrarium, & medium; vel ad legem, secundum eius quoque definitionem, diuisionem, effectum, contrarium, & præceptum; vel ad omnia tria simul, secundum hominis status, primum bonum, secundum malum, tertium medium, quartum legis, & quintum gratiæ. Aded vt nulla sit principiorum qualitas ac differentia, quæ non & in rebus iuri subiectis, hoc est, personis, rebus, & circumstantiis reperiatur.

De propriis personarum qualitatibus.

TITVLVS LIX.

S. **Q**UÆ sunt propriæ personarum qualitates? G. Quod omnes homines vel coniunctè spectantur, vel separatè, vel relatiuè. S. Quomodo coniunctè? G. Cum totam aliquam ciuitatem, vel rempublicam, aut aliud corpus spectant. S. Quomodo separatè? G. Quatenus homines alij ab aliis, tum quidem animi bonis differunt, tum autem corporis, tum verò fortunæ. S. Quomodo relatiuè? G. Quatenus homines alij ad alios referuntur, vt superiores, inferiores, aut æquales, vt de his omnibus mox latius disputabitur.

De propriis rerum qualitatibus.

TITVLVS LX.

S. **P**ROPRIE autem rerum qualitates quænam sunt? G. Primariæ, secundariæ, & mixtæ. S. Quæ sunt primariæ? G. Quæ ad substantiam earum pertinent: qua ratione omnes res principales sunt vel accessoriaræ, ipsæ vel quasi, totæ vel earum partes, perfectæ vel imperfectæ, conceptæ vel natæ, substantiales vel formales, integræ vel non integræ, vniuersitatis vel singulæ, corporales vel incorporales. S. Quæ secundariæ? G. Quæ formam spectant: qua ratione omnes res, magnæ sunt vel paræ, faciles vel difficiles, frequentes vel raræ, restrictæ vel laxæ, fauorabiles vel odiosæ, claræ vel obscuræ, expressæ vel tacitæ, diuinæ vel humanæ, publicæ vel priuatæ. S. Quæ mixtæ? G. Quæ ad naturam rerum pertinent, & ex substantialibus & formalibus ferè miscentur.

De propriis circumstantiarum qualitatibus.


TITVLVS LXI.

S. **Q**UÆ circumstantiarum propriæ sunt qualitates? G. Quod vel magnæ sunt, vel paræ, vel mediæ. S. Quas vocas magnas? G. In quibus magnum pondus inest, ad res vel propensiores faciendas, vel de vno genere ad aliud transferendas, vel de bonis malas aut contrà faciendas. S. Quas paruas? G. In quibus parum ad eas res est ponderis. S. Quas medias? G. Quæ medio modo se habent. S. Intelligo. G. Et quidem ponimus has circumstantias

tias, tam hîc inter res iuri subiectas, quàm suprà inter principia, quoniam diuerforum respectu & pro rebus sunt quibus inhærent, & pro principiis; quoniam tamquam principia res ipsas dirigunt. S. Teneo. G. Porro licet rerum iuri subiectarum singulæ qualitates hæ sint quas diximus, sciendum tamen est, eas sæpe misceri, & circa vnam & eandem rem plures qualitates concurrere. Quod cum sit, diligenter videndum est, quænam cui præualeat, vel an eiusdem omnes ponderis sint ac momenti.

De coniunctione rerum & principiorum.

TITVLVS LXII.

S.  I X I S T I de principiis iusti & iniusti, dixisti de rebus subiectis: nunc de coniunctione eorum & copulatione quid tractas? G. Enimvero hæc illa est facultas, quæ principia iusti & iniusti, & res iuri subiectas inter se componens, quid iustum & iniustum quaque in re sit inuestigat. Ad quam rem tribus omnino viis vtitur. S. Quibus autem illis? G. Inuentione generali, diiudicatione speciali, & comparatione, de quibus singulis exponemus.


De inuentione.

TITVLVS LXIII.

S. I N V E N T I O N E M quam vocas? G. Quæ monstrat quæ principia quibus rebus conueniant. idque tribus omnino modis. S. Cedo quibus? G. Vniuersali primaria, generali secundaria, & speciali tertia: de quibus ordine explicabimus, nec non quarto loco de mixta.


De vniuersali rerum & principiorum conuenientia.

TITVLVS LXIIII.

S.  N I V E R S A L E M siue primariam rerum & principiorum conuenientiam quam vocas? G. Quæ circa communes rerum iuri subiectarum qualitates versatur: circa quas quoniam traditum est principia & res iisdem omnino generibus ac speciebus distingui, verum est vniuersaliter vniuersiusque generis & speciei principia & res inter se conuenire. S. Intelligo. G. Et ideo quæcunque sunt res ordinariæ, per ordinaria principia dirigi debent, & quid iustum & iniustum in iis sit inuestigari: quæ extraordinariæ, per extraordinaria: quæ singulares, per singularia. & sic porro de aliis. S. Teneo. G. A qua quidem via & ratione cum receditur, veluti si res ordinarias per principia extraordinaria examines, vel contrà res extraordinarias per principia ordinaria, & sic deinceps, & à iusti & iniusti inuentione aberrari necesse est, nisi aliqua iusta causa subsit, de qua mox dicetur.


De generali rerum & principiorum conuenientia.

TITVLVS LXV.

S.  V Æ est conuenientia generalis secundaria? G. Quæ ad proprias personarum & rerum qualitates pertinet, per quas sæpe fit, vt quod alioqui vniuersaliter inspectum, per vna principia dirigi deberet, per alia dirigatur, vt propriis qualitatibus satisfiat. Et quidem cum personarum propriæ qualitates ab hominis natura maximè ducantur, rerum autem ab vniuerso siue mundo: pro regula generali statui potest, qualitates personarum cum principiis humanis, rerum cum principiis mundanis debere congruere, vt per ea secundum diuersas species, partes, gradus, & formas iustitiæ dirigantur.

De speciali rerum & principiorum conuenientia.

TITVLVS LXVI.

S.  V Æ N A M autem tertia est conuenientia specialis? G. Quæ ex circumstantiis ducitur: quarum frequenter tanta vis est, vt neque per vniuersalia principia sua res dirigi possit, nec item per generalia; sed vt ad alia speciatim necessariò sit deueniendum. Et ideo nonnunquam res ordinariæ per principia extraordinaria, internæ per externa, naturales per ciuilia, & è contrà dirigi debent: cum nimirum circumstantiarum in quibus summum est momentum, vis eò trahit, quod ex magnitudine earum, de qua suprà dictum est, dependet.

De mixta rerum & principiorum conuenientia.

TITVLVS LXVII.

S. **S**UPEREST de mixta conuenientia vt dicas. G. Hęc autem est quę in rebus mixtis spectatur. Nam quemadmodum res simplices, quę vnus dumtaxat sunt qualitatis, ad singula sibi conuenientia principia referuntur, & per ea diriguntur: ita res mixtę ex pluribus qualitibus, ad plura suis qualitibus conuenientia principia referri, & per ea dirigi debent.

De diiudicatione.

TITVLVS LXVIII.

S. **P**ROST inuentionem iam de diiudicatione dicito. G. Hęc autem est, qua post conuenientiam rei propositę cum principiis generaliter inuentam, specialiter quid iustum in ea sit vel non sit, certa via ac ratione deprehenditur, ac diiudicatur. S. At quonam autem pacto? G. Tribus omnino modis. S. Dic quibus. G. Primũ descendendo à principiis ad res subiectas: deinde ascendendo à rebus subiectis ad principia: tum concursu principiorum & rerum subiectarum inter se.

De descensu.

TITVLVS LXIX.

S. **D**E descensu quid ais? G. Hunc aio esse, cũ à principiis, vt dixi, ad rem qua de agitur descenditur, haud aliter atque cũ regulę generales rebus specialibus applicantur. S. Id autem quonam fit modis? G. Tribus. S. Cedo quibus? G. Per consequentias, exempla, & mixta. S. Quas vocas consequentias? G. Cũ per ratiocinationem minus nota ex magis notis eliciuntur, sic vt ex principiis maior propositio constituitur, ex re subiecta minor, & ex vtroque conclusio. hoc modo: Cum multitudine quę peccauit, benigniter agendum est: ciuitas autem peccans est multitudo: est igitur benignius cum ea agendum. Item: Naturaliter duo in eodem loco pro solido stare non possunt: sed si duo eandem rem pro solido possiderent, fieret vt duo pro solido in eodem loco stare viderentur: non possunt igitur duo eandem rem in solidum possidere. Ad hęc: In extrema necessitate non potest ordinaria iuris ratio seruari: si autem plures sunt in eadem naui, & deficiat victus, extrema est necessitas: non potest igitur in eo ordinaria iuris ratio seruari. Atque ad hoc quidem genus pertinent, quę à genere, specie, differentia, proprio, toto, partibus, & alia eiusmodi ducuntur argumenta. S. Exemplum autem quid vocas? G. Cũ per similia & dissimilia à superioribus ad inferiora descenditur. vt, Si in emptione & venditione Arithmetica proportio seruanda est; est & in locatione ac conductione: quoniam locatio & conductione speciem ac similitudinem gerit emptionis ac venditionis. Si parentes colendi sunt, vt principia Ethica produunt; sunt & colendi patroni, in quibus parentum similitudo quędam inest: quia à seruitute, quę morti comparatur, ad libertatem, quę vitę, hominem deducunt. Ad hęc: Si pupillus propter vtilitatem stipulari potest, vt externa principia demonstrant, licebit & adolescentibus, qui speciem gerunt pupillorum, propter eandem vtilitatem. Atque hoc est quod Vlpianus ex Pedio ait: Quoties lege aliquid vnum vel alterum introductum est: bona occasio est, cętera quę tendunt ad eandem vtilitatem, vel interpretatione, vel certa iurisdictione suppleri. Ac pertinent ad hoc genus, quę à comparatione, contrario, simili, dissimili, pari, impari, exemplo, & aliis de genere eodem deducuntur. S. Quę dicis mixta? G. Argumenta quę ex consequentiis & similibus miscentur: nam ex his duobus fontibus omnia omnino argumenta, siue separatę, siue coniunctim, deducuntur.

De ascensu.

TITVLVS LXX.

S. **N**AM ascensum autem quem vocas? G. Cũ à rebus subiectis ad principia, vt dictum est, ascenditur, ad iustum & iniustum in iis explorandum. S. Id autem quonam modo fit? G. Redigendo rem propositam ad certam quęstionem: quę, cuiuscumque generis sit, ad vnum de tribus debet pertinere. S. Quę sic autem? G. Nam omnis quęstio vel coniecturalis est, (vt supra tactum est) vel definitiua, vel iuridicialis, quam rem Rhetores à Iurisconsultis sunt

sunt mutuati. S. Quid quæstio coniecturalis? quænam est? G. Quæ in facto consistit, dum quæritur an aliquid dictum, factum, aut cogitatum sit, in quarum rerum enodatione, post verborum & æquitatis explicationem, reliquam tertiam partem iurisprudentiæ (quod de vulgari intellige) consistere Quintilianus ait. S. Hæ autem quæstiones coniecturales quonam modo explicantur? G. Ex arte, sine arte, & medio modo. S. Quomodo ex arte? G. Per coniecturam, cum ex iis quæ rem circumstant, antecedentibus nempe, consequentibus, & coniunctis, quid coniecimus, idque siue scripturam spectes, in qua hæc omnia diligenter sunt obseruanda, siue dicta, siue facta. S. Quomodo sine arte? G. Per testes, instrumenta, & mixta, quibus in re dubia fit fides de iis quæ in facto consistunt, vt suprâ declarauimus. S. Quomodo medio modo? G. Per præsumptiones, cum ea quæ communiter secundum naturam adesse, abesse, vel accidere solent, adesse, vel abesse, vel accidisse diximus. veluti: Neminem præsumi suum iactare: Semel malum semper præsumi malum: Non videri quem immemorem suæ salutis. cum similibus. S. Intellego. G. Ac sunt quidem tam coniecturæ & probationes, quàm præsumptiones, aliax vehementiores aliis, pendentque ferè ex naturalibus & logicis principiis, cum suis circumstantiis, quæ & ad extraordinaria principia venire subinde cogunt. S. Dehinc definitiua quæstio quænam est? G. Cum quid quæque res sit perquiritur, quæ neque iuris, neque facti, sed media inter vtrumque est quæstio. veluti cum quæritur emphyteusis pro modo emptio- nis & venditionis, an verò locationis & conductionis sit. S. Audio. G. Ac habet tamen præcipuè locum cum de re aliqua definienda, ac diuidenda, & eius nomine agitur, & quid inter duo cognata discriminis sit ambigitur. S. Teneo. G. Ad quam quidem dubitationem dissoluendam, potissimum consulenda sunt Physica ac Logica cuiusque rei principia, nisi fortè aliò circumstantiæ ducant. S. Iuridicalem quæstionem quam vocas? G. Quæ quæstio iuris propriè dicitur, cum nimirum non an res sit dubitatur, nec quæ sit, sed qualis, hoc est, iusta an iniusta, bona an mala. S. Rectè. G. Quod quidem ea re maximè diiudicatur, si quæstio proposita ad sua propria principia, secundum ea quæ dicta sunt, reuocetur, & per ea diiudicetur.

De concursu.

TITVLVS LXXI.

S. **R**OST descensum & adscensum, de concursu porrò sequitur vt dicas. G. Hic in eo consistit, vt in quacunque re proposita, vbi de iusto & iniusto quæritur, ad tres semper fines, tamquam ad clarissimos septemtriones respicias, ne quo pacto aberres. S. Quis est primus? G. Infimus, qui in hoc consistit, vt ad rei propositæ proprium finem semper respiciatur, ab eoque nullo modo, quoad eius fieri potest, discedatur. nam si de iure tutorum quæretur, vtique ad hoc semper collimandum est, vt personam ac rem pupilli tueantur; si de testamentis, vt defuncti iusta voluntas conseruetur. Quamquam propter rerum humanarum varietatem, quæ quemadmodum luna, sub qua positæ sunt, semper mutantur, sæpe contingit propter circumstantias, vt ab iis nonnunquam sit recedendum. S. Quis alter? G. Medius, cuius summa ad hoc redit, vt reipublicæ consulatur. nam cum publica potiora sint priuatis, & ipsa priuata sic semper dirigenda sunt, vt publicis subseruiant, & quàm fieri potest minimè cum iis pugnent. *Nam salus populi*, inquit ille, *suprema lex esto*. Ac procuratur quidem bonum publicum ciuitatis, cum bonis ad vitam necessariis abundat, cum ab hostibus libera est, & intus sibi amica. Quæ tria sic dirigenda sunt, vt vitæ necessaria tamquam infima ad libertatem, libertas tamquam media ad communem pacem ac tranquillitatem referatur. Planè fit nonnunquam, propter summas necessitates, vt tum quidem à publica utilitate nonnihil recedatur, quo corpus conseruetur; tum etiam ipsum corpus dissoluatur, dum singuli dilabentes rebus suis consulunt, ad se vitamque conseruandam. S. Quis est tertius finis? G. Vltimus ac supremus, cui omnia publica pariter & priuata seruiunt, sic vt si vel in minimo ab eo aberrent, pro iniustis ac illegitimis habeantur. hic autem est, vt sacrosancta & catholica Christi religio facta tecta sit, & ad eum modum ei seruiatur, vt ne latum quidem vnguem ab ea recedatur, sic vt omnia bona externa ad bona corporis, bona corporis ad bona animi, bona autem animi ad vnam Christi religionem ac iustitiam tanquam principium & finem referantur, nihilque sit in tota republica, quod non cum ea sit consentaneum. Et quidem cum à superioribus finibus nonnunquam, vt diximus, recedi possit, ab hoc nunquam licet discedere, quantumcumque magna non dico utilitas, sed necessitas adferatur. Et ideo non solum priuata omnia & publica, sed & vita ipsa po-

tius profundenda est, quàm vt ab ea quoquo modo recedatur: pro qua mortem oppetere, tantum abest vt sit perdere, vt contra sit seipsum vel maximè lucrari; idque non solum in futuro seculo, verùm etiam in isto, vbi tum maximè triumphare visa est Ecclesia, cùm ad exemplum ipsius Christi Domini, infinitorum martyrum sanguine tota vbi-que tellus maderet.

De comparatione.

TITVLVS LXXII.

S. **H**ABEO de inuentione, nec non de diiudicatione: nunc de comparatione reddito. G. Hæc est quæ quot modis principia & res subiectæ se habeant inter, se demonstrat. S. Quot autem modis se habent? G. Enimvero vniuscuiusque rei propositæ, vel vnum dumtaxat est principium, vel sunt plura, siue eodem tendentia, siue ad diuersa, siue ad contraria, vel sub vno plura.

De vno rei propositæ principio.

TITVLVS LXXIII.

S. **Q**VANDO vnum rei propositæ dicis esse principium? G. Cùm non ampliùs quàm vnum solum exstat, quo regitur ac gubernatur, ad iustum & iniustum in ea discernendum. S. At quonam autem modo? G. Nam si quæras, vtrum duò vnã & eandem rem in solidum possidere possint nec ne; vna est ratio Physica, quæ ostendit non posse, quia vbi tu stas, ego eodem tempore stare non possum.

De pluribus rei propositæ principii eodem tendentibus.

TITVLVS LXXIII.

S. **Q**VO pacto plura dicis rei propositæ principia eodem tendentia? G. Cùm vna eademque res diuersorum generum principii, eundem finem & exitum spectantibus, nititur, siue æqualiter, siue subordinatè. S. Quomodo æqualiter? G. Cùm æquo Marte ad eundem finem principia feruntur. Nam si quæras, an quis sine causa in seruum suum supra modum seruire possit; non posse primùm Ethica principia demonstrant, quoniam contra humanitatem & hominum inter ipsos coniunctionem est: deinde Politica, quia reipublicæ interest, ne quis re sua malè vtatur: tum Oeconomica, quia etiam Domini interest, ne rem suam perdat. S. Quomodo subordinatè? G. Cùm vnum principium subseruit alij, vt ad eundem finem perueniatur. Nam cùm principia Ethica suadeant, vt alter alteri ex re sua commodet: subseruientia ei rei principia Physica, seruitutes personarum, & prædiorum induxerunt.

De pluribus rei propositæ principii ad diuersa tendentibus.

TITVLVS LXXV.

S. **Q**UÆ sunt plura principia ad diuersa tendentia? G. Quæ diuersos minimè contrarios exitus spectant. S. Quonam autem modo? G. Quoniam si quæras, an, & quot testes testamento nuncupatio condendo adhibere oportet; primùm naturalia principia ostendunt, testes adhibendos esse, quoniam absque iis de voluntate satis constare non potest; deinde ciuilia Romanorum principia quinque: quoniam cùm testamenta olim Romæ coram toto populo fieri solerent, qui in quinque tribus erat diuisus; ciuilis ratio exigit, vt cùm postea ob nimiam populi multitudinem, coram certis testibus totum populum representantibus id fieri placuerit, pro singulis tribubus singuli testes adhiberentur.

De pluribus rei propositæ principii ad contraria tendentibus.

TITVLVS LXXVI.

S. **P**LURA rei propositæ principia ad contraria tendentia quænam sunt? G. Cùm plura principia circa vnã & eandem rem concurrentia, contrariam & penitus diuersam iusti & iniusti considerationem inducunt. S. Quæ sic autem? G. Nam si quæras, vtrum pupillus sibi stipulari possit, naturalis ratio interna dicat non posse, quia actum rei non intelligit; externa autem vtilitatis & fauoris, posse, vt commoditates eius, quantum rectè fieri queat, iuue-
mus.

mus. S. Quid? cùm hæc pugna incidit, quonam modo expedienda res est? G. Enimvero hïc tria se offerunt. S. Quod est primum? G. Cùm ex pluribus principiis pugnantibus vnum manifestè præualet. Nam si quæras an in fraudem creditorum liceat manmittere, principia externa suadent, posse ob fauorem libertatis; interna non posse, ne contra principia Ethica alteri per alterum iniqua conditio offeratur, quod manifestè præualet. S. Quod secundum? G. Cùm plurium principiorum contrariorum tam sunt æqualia momenta, vt nescias quod cui præponderet. Quod cùm accidit, sæpe ad extraordinaria principia transitur, veluti cùm, ob æqualitatem rationum, totum reiicitur, vel per medium secatur, vel quod minus benignius est eligitur. Sæpe cùm id commodum non est, non multum interest, quantum ad iustum ipsum & iniustum attinet, quid de pluribus eligatur. Quod quidem quia imperiti non intelligunt, magnas frequenter quæstiones paruis de rebus excitant; vnde iura controuersa, diuersarum scholarum oriuntur, quæ non alia re quàm principis certa constitutione tolli possunt, vti Iustinianum Imperatorem sæpe fecisse videmus. S. Quod tertium? G. Cùm ex pluribus principiis contrariis neque vnum manifestè præualet, neque omnium æqualia penitus sunt pondera; sed minus ita obstat maiori, vt aliquod illi adferat impedimentum. quod cùm fit, licet non circa substantiam, circa virtutem tamen, vel formam, vel accidentia legis, aliqua contingit mutatio. Nam, quamquam filij defuncti sponsam ducere non sit vetitum, propter rationem internam, quoniam reuera nurus non fuit, dissuadet tamen ne fiat, propter externam: *Quoniam est contra honestatem publicam.*

De vnus generis pluribus principiis circa vnam rem propositam.

TITVLVS LXXVII.

S. **Q**UÆ vocas vnus generis pluria principia? G. Cùm eiusdem generis plures gradus se offerunt, veluti cùm ex pluribus vtilibus quæritur quidnam vtilius, ex pluribus honestis quid honestius, & sic deinceps. S. Intelligo. G. Quod cùm euenit, quoniam vel eodem omnia tendunt, vel ad diuersa, vel ad contraria, quæ aut æqualia sunt, aut inæqualia, aut mixta, eadem hïc quæ in superioribus, locum habent.

De formali parte internæ Practicæ Nomotheticæ.

TITVLVS LXXVIII.

S. **A**VDIVI de substantiali parte internæ Practicæ Nomotheticæ: nunc de formali aucto cognoscere. G. Hanc esse aio quæ viam ac rationem docet qua forma legis externa rectè concipitur, vt in animos hominum quàm facillimè influat. S. Cur dicis, Qua forma legis externa rectè concipitur? G. Quia cùm suprâ demonstratum sit, legis duas externas esse partes, vnâ substantialem, & formalem alteram; & iam demonstratum sit, quonam modo substantialis pars rectè concipiatur: hæc in eo cernitur, vt quo pacto formalis quàm optimè se habeat, demonstret. S. Quamobrem addis, Vt in animos hominum quàm facillimè influat? G. Quia cùm hæc duo sint in republica, res de quibus leges feruntur, & homines quibus feruntur; & de rebus quonam modo legibus quàm iustissimè describi possint, iam sit traditum: quod nunc sequitur, est, vt doceamus quænam in legibus condendis ratio tenenda sit, vt ab hominibus, quibus conduntur, quàm libentissimè recipiantur, & secundum eas viuatur: nam parum est res bene descriptas esse in ciuitate, nisi ab hominibus feruentur. Quod quidem ea re vna tenetur, vt tales illis formæ circumdantur, quæ quam aptissimas eas faciant, vt recipiantur ab hominibus, secundum cuiusque naturam ac qualitatem. haud aliter atque medicus, vbi de substantiali parte pharmaci exhibendi deliberauit, tum porro dispicit quamnam illi formam dare debeat, vt ab ægro quàm facillimè recipiatur. Nec alia de causa magis vituperabantur Draconis leges, quàm quòd recta forma externa carentes, sanguine potiùs quam atramento scriptæ videbantur. S. Quid? quonam autem modo hanc partem formalem diuidis? G. In tria omnino membra. S. Quod est primum? G. Quod formas legum tradit, quæ substantiæ circumdantur. S. Quod alterum? G. Quod hominum describit qualitates ac differentias, quibus formæ accommodantur. S. Quod reliquum? G. Quod conuenientiam docet formarum & hominum, vt scias quæ formæ quibus hominibus conueniant, ad legis substantiam tanto libentius recipendam.

De formis legum, & quomodo diuidantur.

TITVLVS LXXIX.

S. **D**E formis legum externis quid dicis? G. Sanè cùm legis nomine omnia veniant, per quæ iustitia in hominem & rempublicam inducitur, qua ratione omnes libri Mosaici Lex vocantur, vt antè tactum est: longè suauissima, & elegantissima, & planè frugifera & fructuosa est harum formarum legis consideratio, quas ad iustitiam in hominum societates infundendam Deus constituit, & ex principiis iustitiæ deduxit, & ad naturam humanam admirabiliter accommodauit. S. Quomodo autem diuiduntur? G. In ordinarias, extraordinarias, & mixtas. de quibus ordine explicabimus.

De formis ordinariis.

TITVLVS LXXX.

S. **Q**UAS vocas formas ordinarias? G. Quæ in certam & ordinariam rationem cadunt. S. Quomodo eas partiris? G. In superiores, quæ à forma iustitiæ proximè emanant; inferiores, quæ materiæ subiectæ, hoc est, homini & reipublicæ proximè sunt accommodatæ, vt idonei sint ac præparati ad status iustitiæ accipiendos; & medias, quæ superioribus & inferioribus seruiunt, & quasi pro instrumento sunt.

De formis superioribus.

TITVLVS LXXXI.

S. **Q**UID? de superioribus quid ais? G. Has partim diuinas tacitas esse aio, partim humanas expressas, & partim communes: quæ omnes tum quidem ex lege primæ naturæ, secundæ, & tertiæ, nec non Mosaica; tum verò maximè ex lege gratiæ, secundùm ea quæ suprâ dicta sunt, deducuntur.

De formis diuinis.

TITVLVS LXXXII.

S. **D**IVINÆ tacitæ quænam sunt? G. Per quas admirabili & penitus recondita ratione gratia & iustitia Dei, tamquam per canales, in hominem inducitur. Ac sunt quidem sacramenta, sacrificia, & sacra. S. Quæ vocas sacramenta? G. Signa visibilia, ad hoc à Deo constituta, vt per ea inuisibilem ac latentem gratiam sanctitatis ac iustitiæ suæ, tamquam per riuos quosdam, in nos infundat: vt suprâ latiùs est expositum. S. Quæ sacrificia? G. Quæ è contrà homo Deo offert, vt peccati veniam impetret, quod principium iustitiæ est; & de bonis acceptis gratias agat, quod complementum: quoniam sacrificium laudis, omnium sacrificiorum est summum. Atque est quidem horum plena lex Mosaica, in quorum omnium locum, vnum successit maximum legis gratiæ. S. Quæ sacra? G. Cùm concurrente gratia diuina, & voluntate humana, se ac sua Deo quis offert, vt iustitiæ illius tanto magis adhærescat. quemadmodum de Nazareis qui se Deo deuouerant, sacris literis est proditum: & est apud nos idem eorum institutum, qui per tria vota, paupertatis, castitatis, & obedientiæ; fortunæ, corporis, & propriæ voluntatis bonis renunciant, & in vno Deo acquiescunt.

De formis humanis.

TITVLVS LXXXIII.

S. **H**UMANÆ formæ expressæ quænam sunt? G. Quas homo homini adhibet ad iustum eum efficiendum: quod non tacitè, sed nominatim & expressè in iis agitur. ac sunt, doctrina, disciplina, & vsus. S. Quam vocas doctrinam? G. Quæ à scientia veri in diuinis profecta, ad eam hominis partem iustitiæ imbuendam pertinet, quæ in ratione & intelligentia consistit. Ac est quidem omnis doctrina, vel simplex, qua simplex ignorantia tollitur, cùm quis illud quod ignorat ignorare se existimat, & discere exoptat, vel duplex, qua duplex tollitur

licur ignorantia, cum, quod ignorat, scire se quis existimat, cui primum error eripendus est, deinde verum infundendum. S. Quam disciplinam? G. Quæ à bona voluntate in diuinis deducta, ad eam hominis partem iustitiâ informandam pertinet, in qua appetitio & voluntas inest. Quod tum quidem leniori via fit, per præmiorum exhortationem, vt ad bonum quis inuitetur; tum autem a superiore, per pœnarum comminationem, vt à malo deterreatur. Quæ quidem vtraque vel ad externa bona pertinent, pecuniæ & famæ; vel ad bona corporis huius vitæ; vel ad bona animi in altera vita. Et tum quidem in dictis consistunt, tum autem in factis, tum autem in dando vel auferendo. S. Quem vsu? G. Exercitationem, quæ à memoria eius quod est, in diuinis tracta, ad eam hominis partem in via iustitiæ dirigendam pertinet, in qua memoria, & communis vitæ vsus inest: quam tum quidem à malorum consuetudine abducit, tum autem ad bonorum consuetudinem adducit.

De formis communibus.

TITVLVS LXXXIIII.

S. **D**E HINC de communibus formis quid ais? G. Hæ sunt, per quas partim homo ipse ad iustitiam se applicat, partim autem gratiæ Dei fit particeps. Ac sunt oratio, ieiunium, eleemosyna. S. Quid autem est oratio? G. Quam Deum priuatim pariter ac publicè supplicationibus constitutis inuocamus, vt suam nobis iustitiam impartiri dignetur. Cuius generis pleni sunt Psalmi Dauidici; & in prece Domini, tum quidem debita nobis dimitti, tum verò voluntatem Dei fieri (quod plenæ perfectæque iustitiæ apud superos est & inferos) optamus. Atque vtrumque quidem oratione impetrari, præter exemplum Annæ Prophetissæ docet alio loco sacra scriptura, cum dicit: Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, & continebit se ab illis. Item, Semper sum sollicitus pro vobis in orationibus, vt sitis perfecti. S. Quid ieiunium? G. Cum ad animum expurgandum, & cælestis vitæ quandam quasi adumbrationem in hac vita faciendam, corpus maceramus, suaque illi commoda detrahimus. De quo loquitur Dauid, cum ait: Ego autem, cum mihi molesti essent, induebar cilicio, humiliabam in ieiunio animam meam. Atque hoc autem ad gratiam Dei impetrandam prodesse, tum quidem ieiunium Moysi pro populo ostendit; tum autem ipsius Christi, cum infinitis sacræ scripturæ locis. S. Quam eleemosynam? G. Cum in alios misericordiam exercemus, vt ipsi misericordiam consequamur, vt de Cornelio in Actis Apostolorum est proditum. Et Dominus ipse in Euangelio, Quod superest, inquit, date eleemosynam, & omnia vobis erunt munda. Nam nulla re propius ad Dei ipsius vim ac naturam accedimus, quam per opera misericordiæ, quæ sola in extremo iudicio Deo à nobis exiget. S. Præclare dicis. G. Et quidem cum eleemosyna ad externa bona pertineat; ieiunium ad corporis, oratio autem ad animi bona propriè refertur. S. Sic est. G. Et cum oratio circa Deum versetur, ieiunium circa nos ipsos, eleemosyna circa proximum præcipuè spectatur.

De formis inferioribus.

TITVLVS LXXXV.

S. **P**OST hæc de inferioribus formis cupio cognoscere. G. Enimvero cum superiores ex prima parte definitionis iustitiæ maximè dependant, & ad singulos qui in republica sunt homines potissimum referantur: hæc ex secunda parte propriè proficiuntur, & ad iustitiam in totam rempublicam inducendam pertinent, quamquam vtræque vtrisque conueniant. S. Quænam igitur istæ sunt? G. Partim distinctionis, partim colligationis, & partim concordia: nam haud sanè iustitia in rempublicam induci potest, nisi hæc in se habeat, cum, vt supra traditum est, iustitiæ munus sit confusa distinguere; dissipata colligare, & dissonantia consona reddere.

De formis distinctionis.

TITVLVS LXXXVI.

S. **Q**UAM vocas distinctionem? G. Quæ rempublicam suis partibus ac membris describit, absque quo non ciuitas est, sed colluies. S. Partes hæc & membra quænam sunt? G. Regiones, tribus, & ordines. S. Quas vocas regiones? G. Cum certis curiis ac locis ciuitas distinguitur. S. Tribus autem? G. Cum censu, pro diuersis hominum diuitis ac facultatibus. S. Ordines verò? G. Cum dignitate, secundum quam alij plebeij ordinis sunt, alij equestris, alij senatorij.

De

De formis colligationis.

TITVLVS LXXXVII.

S. **C**OLLIGATIO quænam est? G. Qua partes distinctæ, neruis quibusdam & quasi vinculis inter se connectuntur, absque quo non vna ciuitas est, sed plures. Ac sunt hæc vincula alia aurea, alia argentea, alia ænea. S. Quæ sunt aurea? G. Communis in ciuitate religio, deque virtute & vitio sententia. S. Quæ argentea? G. Matrimonia, & quæ inde dependent cognationes & affinitates. S. Quæ ænea? G. Collegia, societates, clientela, & alia de genere eodem.

De formis concordia.

TITVLVS LXXXVIII.

S. **C**ONCORDIAM quam vocas? G. Quæ quæ distincta ac colligata sunt, in vnam quasi consonantiam rediguntur: absque quo omnem societatem continuè dissolui ac dirumpi necesse est. Ac constat quidem hæc res proportionem Arithmetica, Geometrica, & Harmonica. S. Quomodo proportionem Arithmetica? G. Quatenus omnes cuiusque reipublicæ ciues sunt æquales: absque quo non liberorum hominum, sed dominorum & seruorum est ciuitas. S. Quomodo Geometrica? G. Quatenus rursus inæquales inter se sunt, maiores & minores: sine quo nulla ciuitatis administratio esse potest. S. Quomodo Harmonica? G. Quatenus omnes supradicti, maiores, minores, & æquales, certa quadam lege ac ratione inter se conueniunt, & quasi conspirant.

De formis mediis.

TITVLVS LXXXIX.

S. **D**E HINC de mediis formis cupio audire. G. Hæc partim maiores sunt, partim minores, partim minimæ. Ac sunt quidem tanquam instrumenta, per quæ supradictæ mandantur executioni, & inter se coniunguntur.

De formis maioribus.

TITVLVS XC.

S. **V**AS vocas maiores? G. Magistratus, leges, & iudicia. S. Qui sunt magistratus? G. Leges loquentes, quarum in republica administranda primæ sunt partes, quoniam & ad effectum deducere norunt quod mandant, & locis ac temporibus, aliisque circumstantiis & earum mutationi se accommodare: quod neutrum leges constitutæ faciunt. S. Quæ leges? G. Muti magistratus, quarum secundus in ciuitate est locus: nam cum ea sit imbecillitas humani generis, vt non semper optimi magistratus reperiantur (quod si fieret, nihil opus esset constitutis legibus) facit necessitas vt præter magistratus, & leges constituentur in republica, vt per eas tum quidem ipsi magistratus in officio contineantur, tum autem populus doceatur quo pacto circa quamque rem sibi sit viuendum. S. Quæ iudicia? G. Per quæ magistratus iussa legum mandant executioni.

De formis minoribus.

TITVLVS XCI.

S. **M**INORES formæ quænam sunt? G. Quibus ad maiores rectè administrandas utimur, ac sunt personarum, rerum, ac verborum. S. Quæ sunt personarum? G. Hominum varij conuentus, sacrorum, conuiuiorum, iudiciorum, & aliarum huiusmodi rerum causa: in quibus maximum ad rempublicam bene gubernandam est momentum. S. Quæ rerum? G. Ritus ac ceremoniæ personarum, rerum, temporum, locorum: quibus in vita communi carere nulla ratione possumus, ad eò vt nihil sine iis rite queat administrari. S. Quæ verborum? G. Oratio, & scriptura: sine quibus neque magistratus geri, neque leges describi, nec iudicia exerceri possunt; quemadmodum nec sine conuentibus, ac ceremoniis, in quibus & ipsis oratione & scriptura est opus.

De

De formis minimis.

TITVLVS XCII.

S. **M**INIMAS formas quas vocas? G. Quæ maioribus & minoribus pro instrumento se præbentes, in cantu consistunt, pictura, & chorea. S. Quis est cantus? G. Qui vocis suauitate per aures virtutem in animos hominum inducit: cuius generis non solum modulationes musicorum, sed & figmenta poetarum sunt, & orationes rhetorum. S. Quæ pictura? G. Quæ simulacrorum & imaginum elegancia per oculos idem efficit. Cum quibus & fabellæ, ænigmata, similitudines, & alia eiusmodi numerari debent, quibus res quasi ob oculos ponuntur. S. Quæ chorea? G. Quæ membrorum decenti statu ac motu per totum corpus id facit: cuius generis sunt & ludi, certamina, & alia eiusmodi. S. Intellego. G. Et quidem quantumuis parua hæc videantur, tanti tamen sunt momenti, vt totius ciuitatis salus iis nitatur, vnde parua magna à veteribus vocantur. Nam cum verissimum sit, *Qualem hodie iuuentutem habemus, talem post decem aut viginti annos habituros nos rempublicam*, & constet institutionem iuuentutis ex istis totam dependere: per se lucet, vniuersam reipublicæ constitutionem in iis esse collocatam. Atque id quidem non ignorans magnus ille heros Christianus, homo verè politicus, cuius nomen clarissimum hodie celebramus, gratissimisque animis persequimur, hanc quam colimus Rempublicam Ecclesiasticam tam præclaris cantibus, ac picturis, ritibusque, ac cerimoniis, fundatam & ornatam nobis reliquit. quam qui conuellere student, homines prauis ac peruersis, non alia ratione quam iis sublatis id efficere possunt. adeo verissimum est quod Plato ait: Musicorum cantibus, ac picturis respublicas contineri; nec nisi iis mutatis, earum status immutari.

De formis extraordinariis.

TITVLVS XCIII.

S. **D**ISTINGUAS formas explicatas, iam de extraordinariis reddito. G. Hæ partim cælestes, sunt, partim terrestres, partim mixtæ: quibus omnibus ineffabilis vis inest, ad iustitiam in hominem & rempublicam inducendam: vt passim in sacris literis, ac potissimum quidem in Euangelio videre licet. S. Quæ sunt cælestes? G. Quæ diuinitus existunt, vt miracula (quæ vocamus) foris, subiti animorum motus intus, & vtraque simul iuncta per missionem & receptionem Spiritus sancti. S. Quæ terrestres? G. Quæ in potestate sunt hominis, vt seueritas, cum durius cum nonnullis agitur, vt alij eorum exemplo à malo deterreantur, in quo parci & restricti esse debemus: clementia, cum delicta præterita condonantur, vt in posterum ita vti oportet viuatur, in quo largi & faciles: & conuiuentia, cum ad tempus quid toleramus aut dissimulamus, qua re sæpe opus esse multa exempla demonstrant, & vulgo dicitur, *Qui nescit simulare, nescit regnare*. S. Quæ mediæ? G. Quæ partim diuinitus existunt, partim in potestate sunt hominis, vt orationis ac doctrinæ diuina quædam vis ac præstantia, vitæ ac morum sanctitas eximia, quæ aliis exemplum ac documentum est virtutis; & mortis pro veritate constans & imperterrita, si opus est, susceptio. vnde Sulpitius Seuerus nunquam maiore triumpho Christianos vicisse ait, quam cum toto ferme orbe martyrum cruore infecto, decem annorum stragibus sub Diocletiano & Maximino inuictos se præstarent.


De formis mixtis.

TITVLVS XCIIII.

S. **D**E HINC mixtæ formæ quænam sunt? G. Quæ ex supradietis miscentur, idque tribus omnino modis. S. Quis est primus? G. Ordinariorum & extraordinariorum formarum. S. Quis secundus? G. Ordinariorum inter se. S. Quis tertius? G. Extraordinariorum itidem inter se: nam vix fit vt vna forma sola, sed ferè vt pluribus iunctis vtamur.


De hominibus quibus leges feruntur, & quomodo diuidantur.

TITVLVS XCV.

S.  OST formas legum explicatas, iam de hominibus aucto cognoscere. G. Hi sunt quibus leges feruntur, & formæ potissimum accommodantur, ad legem tanto facilius recipiendam. Ac dico quidem potissimum, quia, quemadmodum de substantiali parte dictum est, licet principia iusti & iniusti ad res iuri subiectas, maxime pertineant, ad hominum tamen & personarum differentias subinde quoque accommodari; ita & hic vsu venit, ut quamquam quidem formæ ad personas proprie spectent, ad res tamen haud infrequenter quoque applicentur; nam haud parum sæpe interest quæ res qua forma tradantur; ut posterius dicetur. S. Quid? homines autem quomodo diuiduntur? G. Partim singulariter, partim vniuersaliter, partim relatiuè: de quibus ordine tractabimus.


De differentiis hominum singulariter.

TITVLVS XCVI.

S.  VID? singulariter autem quomodo homines partitis? G. Secundum qualitates, quibus alij ab aliis singulariter differunt. S. At quonam autem modo? G. Secundum animi bona, corporis, & externa: de quibus singulis trademus.


De differentiis hominum à bonis animi.

TITVLVS XCVII.

S.  VÆ sunt differentie à bonis animi? G. Quæ à partibus siue potentiis hominis ducuntur, passionibus, & habitibus. S. Quæ ducuntur à partibus siue potentiis? G. Primò quòd à mente & partibus illius homines alij intelligentes sunt, alij rudes; alij memores, alij obliuiosi; alij bonæ voluntatis, alij malæ: deinde quòd ab animo, alij prudentes sunt, alij imprudentes; alij animosi, alij non; alij cupidi, alij contra: tum quòd à spiritu, alij dictis præstant, alij factis, alij cogitatis, & è contra; cum plurimis aliis differentiis, quæ ex istis simplicibus miscentur. S. Quæ à passionibus? G. Ab his in nonnullis voluptas abundat, in nonnullis dolor, in nonnullis amor, in nonnullis odium, in nonnullis spes, in nonnullis metus, in nonnullis lætitia, in nonnullis tristitia; & sic deinceps. S. Quæ ab habitibus? G. Ab istis homines, partim boni, partim mali dicuntur; partim perfecti, partim imperfecti; partim his vel illis virtutibus præditi, partim his vel illis vitis.


De differentiis hominum à bonis corporis.

TITVLVS XCVIII.

S.  BONIS corporis quænam differentie nascuntur? G. Primùm sexus; secundum quem alij mares sunt, alix feminae, alij ex utroque mixti, hermaphroditæ. S. Audio. G. Deinde ætatis; unde alij iuuenes sunt, alij senes, alij medij. S. Intelligo. G. Tum valetudine; à qua alij valentes sunt, alij ægri, alij medij, qui languent.

De differentiis hominum à bonis externis.

TITVLVS XCIX.

S.  VÆ NAM à bonis externis ducuntur differentie? G. Opum, honorum, & potentie. S. Quomodo opum? G. Quatenus homines alij pauperes sunt, alij diuites, alij mediocres. S. Quomodo honorum? G. Quatenus homines alij nobiles sunt, alij ignobiles, alij medij. S. Quomodo potentie? G. Quatenus alij imperant, alij parent, alij partim parent, partim imperant. S. Intelligo. G. Atque ab his differentiis manant reliquæ qualitates omnes, quibus à bonis extraneis homines alij ab aliis differunt; veluti quòd alij liberi, alij serui sunt; alij fortunati, alij miserabiles; alij sui iuris, alij alieni; & sic deinceps.

De differentiis hominum vniuersaliter.

TITVLVS C.

S. **D**AM qualitates quibus vniuersaliter homines differunt, quænam sunt? G. Quæ non singulos homines, sed eorum vniuersitates spectant: quæ trium omnino sunt generum. S. Quod est primum? G. Familia siue cognatio aliqua, quam à maris & femine coniunctione ortam, primam hominum societatem fuisse constat. S. Quod secundum? G. Ciuitas siue respublica: quæ perfectam hominum societatem continens, tanquam magnum quoddam animal est, quod suis partibus ac membris constans, suam propriam naturam habet, quam tam generaliter quàm specialiter, minimè ignorare debet vir politicus, qui iustitiam in eam sit inducturus. vnde Plato: Est vox quædam (inquit) vniuscuiusque ciuilibus gubernationis, velut animalium quorundam: nam aliam popularis, aliam paucorum, aliam vnius gubernatio vocem emitit. Has intelligere multi profitentur, sed longè absunt ab intelligendo, præter admodum paucos. Quæ autem gubernatio propriam vocem erga Deos & erga homines emittit, consentaneasque voci actiones reddit, ea viret semper, atque seruetur. Quòd si vocem alterius imitatur, interitum recipit. S. Quod tertium? G. Medium inter primum & secundum: cuius generis sunt varia in ciuitate collegia, conuentus, curiæ, & alia eiusmodi.

De differentiis hominum relatiuè.

TITVLVS CI.

S. **D**IFFERENTIAS hominum relatiuas quas vocas? G. Cùm homines per relationem inter se comparantur. quod tribus fit modis, æqualiter, inæqualiter, & mixtè. S. Quomodo æqualiter? G. Cùm frater & soror, ciuis & municeps, peregrinus & aduena, inter se comparantur. S. Quomodo inæqualiter? G. Cùm pater & filius, dominus & seruus, magister & discipulus, & alij inæquales inter se componuntur. S. Quomodo mixtè? G. Cùm maritus & vxor: nam hi, respectu diuersorum & æquales inter se sunt, & inæquales.

De conuenientia formarum & hominum.

TITVLVS CII.

S. **D**OST formas legum, & hominum differentias explicatas, iam de conuenientia earum disserito. G. Illa in hoc consistit, vt sciamus quæ formæ legum quibus hominum differentiis maximè congruant, vt leges tanto facilius recipiant, earumque iustitiam admittant. Nam quæ vni generi hominum formæ conueniunt, ab altero sæpe penitus abhorrent, vt apud Aristotelem ad Theodectem latè disputatur. S. De hac autem re quid tractas? G. Primum de vniuersali conuenientia dicam, deinde de speciali, tum de generali, media inter generalem & specialem, & vtrique subseruiente.

De vniuersali formarum & hominum conuenientia.

TITVLVS CIII.

S. **V**NIVERSALEM conuenientiam quam vocas? G. Quòd vniuersaliter in omni republica bene ordinata, omnes omnino formæ esse debent, vt omnia fiamus omnibus, quo omnes lucremur. S. Probè narras. G. Et ideo in republica nostra Christiana tum quidem superiores formæ insunt, tam diuinæ, sacramentorum, sacrificiorum, & sacrorum; quàm humanæ, doctrinæ, disciplinæ, & vsus; nec non communes orationes, ieiunia, & eleemosynæ. S. Verum. G. Tum autem inferiores distinctionis reipublicæ, colligationis, & concordie. S. Sic est. G. Tum verò mediæ legum, magistratuum, & iudiciorum, cum reliquis conuentibus, ceremoniis, concionibus, nec non imaginibus, cantibus, & aliis. de quibus supra est explicatum. S. Probè narras. G. Ac quantum ad extraordinarias formas attinet, constat, omnia tum quidem Spiritu sancto & miraculis, tum autem vitæ ac doctrine præstantia,

cum morte ab inimicis pro veritate suscepta, esse plena: cui accedit, quòd non solùm benignitatis ac clementiæ, sed & seueritatis exempla quædam in ecclesia videmus constituta, ad iustitiam in eam inducendam.

De speciali formarum & hominum conuenientia.

TITVLVS CIIII.

SPECIALIS autem conuenientia quænam est? G. Qua aliis atque aliis hominum differentiis, aliæ atque aliæ formæ congruunt. S. Quæ sic autem? G. Nam cum quædam sint formæ quæ vniuersitatibus conueniunt, vt omnes ordinariæ inferiores, aliæ sunt quæ singulis applicantur. S. Audio. G. Ex quibus cum ordinariæ superiores diuinæ & communes ad totum hominem pertineant; ex humanis doctrina ad intelligentem partem informandam accommodata est, disciplina ad voluntatem, & vsus ad memoriam. S. Intellico. G. Ac quantum ad medias formas ordinarias attinet, cum minimæ, quæ in picturis & musicis consistunt, pueris & iuuenibus maximè congruant; & minores, quæ in comitiis & conuentibus, aliisque similibus spectantur, grandioribus propriè sunt accommodatæ: maiores, quæ in legibus, magistratibus, & iudiciis cernuntur, omnibus conueniunt. S. Teneo. G. De quibus cum alij liberaliori sunt ingenio, alij autem minùs liberali; illis iussa legum cum præmiorum exhortatione sufficiunt, his etiam iudiciorum terribilitas sunt adhibenda. S. Verum. G. Adè vt nullum genus sit hominum, cui non certæ legum formæ ordinariæ, singulæ vel plures, sint accommodatæ, ad legum dictata in ipsos inducenda. S. Probè narras. G. Nec minus accidit circa extraordinarias, dum alij miraculis, alij præstantiâ vitæ & mortis, alij seueritate aut clementiâ magis ducuntur.

De generali formarum & hominum conuenientia.

TITVLVS CV.

AM generalem conuenientiam quam dicis? G. Quæ inter vniuersalem & specialem media est interiecta, & utrique seruit. S. Quid ita verò? G. Nam licet quidem supradicta ad eum quo diximus modum generaliter se habeant, quia tamen difficile est ad singula descendere, certasque præceptiones in eam rem dare, nec non hominum cum quibus viuunt qualitates nosse, easque quas oportet formas applicare; cui accedit quòd ob naturæ humanæ inconstantiam ac mutabilitatem sæpe fit, vt quæ vno tempore formæ idoneæ sint, altero minùs sint idoneæ, & è contrà: pro certa regula tenendum est, vt qui verè & ex animo homines bonos ac iustos facere studet, siue vniuersos, siue singulos, non in vno aliquo genere formarum consistat, sed nunc has, nunc illas applicet; vt si vnum non proffit, alterum, quoad eius fieri potest, iuuet. S. Præclare narras. G. Atque hoc quidem est quod tum quidem tota vita Christi nobis commonstrat, tum autem Paulus docet, his verbis: Testificor coram Deo & Iesu Christo, qui iudicaturus est viuos & mortuos, per aduentum ipsius, & regnum eius; prædica verbum, in sta, opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina.

De naturali interna Practicæ Nomothetices parte.

TITVLVS CVI.

VDIVI de substantiali parte, audiui de formali: nunc de naturali porro volo vt dicas. G. Planè cum prima circa substantiam legis verteretur, vt quid iustum quaque in re sit, vel non sit, diiudicetur; secunda autem circa formam legis externam, vt ab hominibus recipiatur: hæc circa naturalia legis propriè cernitur, vt pro differentia dictatorum legis rectè se habeat. S. In quo autem consistit? G. Primùm, vt naturalia legis cognoscamus; deinde, vt dictata; tum, vt eorum conuenientiam.

De naturalibus legis.

TITVLVS CVII.

NATURALIA legis quænam vocas? G. Figuras eius, inter substantiam & formam medias interiectas, & ad res pariter & personas accommodatas. S. Quæ autem harum figurarum est diuisio? G. Quòd omnes leges vel ordinariæ sunt, vel extraordinariæ, vel singulares.

De legibus ordinariis.

TITVLVS CVIII.

S. **Q**UÆ sunt leges ordinariæ? G. Quæ ius ordinarium in ciuitate constituunt. S. Quomodo diuiduntur? G. In loquentes, mutas, & mixtas. S. Quæ sunt leges loquentes? G. Magistratus. S. Quæ mutæ? G. Leges constitutæ. S. Quæ mixtæ? G. Iudicia. Sed dicendum est de singulis.

De magistratibus.

TITVLVS CIX.

S. **D**E magistratibus quid ais? G. Hi sunt leges loquentes, qui reipublicæ regendæ ac tuendæ re & manu ipsa præsumunt, quos primam ac veram perfectamque legem Plato vocat, quam secundum ea quæ supra tractata sunt, non aliud esse constat, quam ipsius Dei mentem & verbum, & post eum mentem ac rationem sapientis: à qua quidem cum ad certas ac definitas leges constituendas peruenitur, à perfecto ad imperfectum descenditur. quoniam nulla lex specialis tam plenè & absolutè describi potest, quæ non in multis manca & imperfecta reperiatur. S. Sic est. G. Et ideo si per rerum naturam fieri posset, vt verus aliquis & omnibus numeris perfectus magistratus reperiretur, nulla vnquam scriptione legum esset opus; quoniam ille pro vera lege esset, vt sub Christo accidit. Sed quoniam pro imbecillitate generis humani id fieri nequit: necessarium est, vt ad secundariorum legum constitutionem veniatur, quibus non solum populus & respublica, sed & magistratus ipsi, vt supra dictum est, pareant.

De legibus.

TITVLVS CX.

S. **Q**UAS vocas leges? G. Scita & constitutiones populorum: quæ trium omnino sunt generum. S. Cedo quorum? G. Vel enim scriptæ leges sunt, vel non scriptæ, vel partim scriptæ, partim non scriptæ.

De legibus scriptis.

TITVLVS CXI.

S. **L**EGES scriptæ quænam sunt? G. Quæ literarum monumentis sunt consignatæ: quarum tres sunt partes, proœmium, sanctio, & constitutio, vt supra traditum est.

De proœmio legis.

TITVLVS CXPI.

S. **Q**UOD est proœmium legis? G. Principium eius, vt antè diximus, quo, quæ causa ferendæ legis, quæ occasio fuerit, item quæ ratio, quis vsus, & quæ æquitas, demonstratur.

De sanctione legis.

TITVLVS CXIII.

S. **Q**UÆ sanctio? G. Finis legis, quo parenti legi præmium, non parenti poena proponitur, non humana tantum, sed & diuina: veluti quod periuurium Deum vltorem habere dicitur. Et poëta:

*Si genus humanum & mortalia tenuit arma,
At sperate Deos memores fandi atque nefandi.*

De constitutione legis.

TITVLVS CIIII.

S. **Q**UÆ constitutio legis? G. Ipsum quasi corpus legis, quod sententiam latoris plenè perfectæque continet. S. At quonam autem modo? G. Secundum virtutes legis, gradus, & formas naturales.

De virtutibus legis.

TITVLVS CXV.

S. **Q**UÆ sunt virtutes legis? G. Imperare, vetare, permittere, vt suprà latius est expositum: nam facienda imperantur, non facienda vetantur, licita permittuntur.

De gradibus legis.

TITVLVS CXVI.

S. **G**RADVS autem? G. Remissus, vt, Suadeo vt facias, ne facias: communis, vt, Hoc facito, illud omittito: & intensus, vt, Dico, edico, vt facias, ne facias. Ac quantũ ad permissionem attinèt, cùm summi gradus sit simpliciter & absolute permittere, medij est non prohibere, & infimi indulgere, ac conuiuentibus oculis dissimulare.

De formis naturalibus legis.

TITVLVS CXVII.

S. **F**ORMÆ naturales denique? G. Primũ omnes leges vel claræ & apertæ sunt, vel similitudinibus & ænigmatibus tectæ, vel mixtæ, vt in Euangelio sæpe videre licet. S. Audio. G. Deinde omnes leges vel directæ sunt, quæ recta via exprimunt quod volunt, vel indirectæ, cùm per circuitionẽ iudicalem, magistratus, aut fictionis quid sit, vel mediæ, quæ partim directæ sunt, partim indirectæ. S. Intellego. G. Quod tũ quidem sit ope legis, tum autem opẽ legis & magistratus, tum verò ope legis, magistratus, & iudicij.

De legibus non scriptis.

TITVLVS CXVIII.

S. **I**AM leges non scriptæ quæ sunt? G. Quæ consuetudine constant, quæ quidem vel ex populi diuturno vsu existit, vel voluntate legislatoris, cùm tacitos mores quibusdam de rebus in ciuitate serit.

De legibus partim scriptis, partim non scriptis.

TITVLVS CXIX.

S. **Q**UÆ sunt leges partim scriptæ, partim non scriptæ? G. Quæ primũ moribus introductæ, pòst in literas rediguntur, vel contra scriptæ, per consuetudinem capiunt interpretationem. optima enim legum interpres est consuetudo.

De iudiciis.

TITVLVS CXX.

S. **N**UNC iudicia quænam sunt? G. Per quæ magistratus leges mandant executioni. Ad quæ quidem tum peruentum est, postquam homines legi sua sponte obtemperare desierunt. nam qui nec magistratui nec legi parer, iudiciis coërcendus est.

De legibus extraordinariis.

TITVLVS CXXI.

S. **P**OST leges ordinarias iam extraordinariæ quænam sunt? G. Quæ non simpliciter & absolute, sed ad tempus aliquibus de rebus feruntur. pertinentque huc iudicia, tributa, & alia quæ vocantur extraordinaria.

De legibus singularibus.

TITVLVS CXXII.

S. **Q**UÆ denique sunt leges singulares? G. Cùm priuilegia ex causa irrogantur, siue certo generi hominum, vt clericis, siue vni alicui, & eius hæredibus, siue ipsi soli, & non eius hæredibus.

De

De dictatis legum.

TITVLVS CXXIII.

- S. **P**OST naturalia legum explicata, iam dictata earum quænam sunt? G. Ipsa earum quasi effata circa cuiusque rei iustum & iniustum: sic vt quemadmodum figuræ naturales, de quibus dictum est, à formis proximè dependent, ita hæc dictata à substantia procedant, quamquam tamen vtraque sunt vtriusque ex quibus miscentur. S. Quomodo autem diuiduntur? G. Septem omnino modis, qui alij ex aliis neçuntur.

De prima dictatorum legis diuisione.

TITVLVS CXXIII.

- S. **Q**VÆ est prima diuisio? G. Quòd omnia dictata legum vel ordinaria sunt, vel extraordinaria, vel singularia. S. Quæ sunt ordinaria? G. Quæ ex principiis feruntur ordinariis. S. Quæ extraordinaria? G. Quæ ab extraordinariis. S. Quæ singularia? G. Quæ à singularibus.

De secunda diuisione.

TITVLVS CXXV.

- S. **S**ECVNDÀ diuisio quæ est? G. Quòd ordinaria dictata omnia vel in actione consistunt, vt aliquid quis agat. S. Intellego. G. Vel in executione, vt ad effectum quid deducatur. S. Teneo. G. Vel in constitutione iusti vel iniusti.

De tertia diuisione.

TITVLVS CXXVI.

- S. **T**ERTIAM dehinc diuisionem quam ponis? G. Quòd omnes constitutiones legales maiores sunt, minores, vel mediæ. S. Quæ sunt maiores? G. Quæ maioris sunt momenti & ponderis. S. Quæ minores? G. Quæ minoris, sic tamen vt debeant esse in republica. S. Quæ mediæ? G. Quæ mediam viam ac rationem obtinent.

De quarta diuisione.

TITVLVS CXXVII.

- S. **S**EQVITVR de quarta diuisione vt dicas. G. Hæc est, quòd dictata legum alia generalia sunt, ad persuadendum ac docendum apta; alia specialia, ad cogendum & inuitandum; alia mixta, ad statuendum ac ponendum.

De quinta diuisione.

TITVLVS CXXVIII.

- S. **Q**VINTÀ diuisio quænam est? G. Quòd dictata generalia tribus omnino modis se habent. S. Cedo quibus? G. Nempe quòd vel sunt de iustis faciendis, vel de iniustis non faciendis, vel de mediis licitis.

De sexta diuisione.

TITVLVS CXXIX.

- S. **S**EXTA autem? G. Quòd quæ facienda, non facienda, & licita sunt, vel intensè ita se habent, cum omnino ita oportet; vel remissè, cum non omnino quidem ita oportet, sed bene erit si fiat, vel non; vel medio quodam modo inter vtrumque. S. Rectè. G. Quod tum quidem ex principiorum grauitate & leuitate dependet, tum autem ex rerum ponderibus ac momentis, tum verò ex plurium principiorum circa eandem rem pugna. S. Quid ita verò? G. Nam facit sæpe hæc pugna, vt quod alioqui (quemadmodum supra dictum est)

secundum unius principij rationem absolute faciendum videtur, vel non faciendum, propter obstaculum alterius principij, non tam absolute ita se habeat. Nam si quæras utrum abstinendum sit à nuptiis sponsæ filij defuncti, ratio publicæ honestatis externa omnino demonstrat abstinendum. Sed quia secundum principia interna contra reperitur, nullam reuera causam esse cur sit abstinendum; fit, ut id factum vel non factum, non tam absolute ita se habeat. S. Intelligo. G. Ac quantum attinet ad licita, & ipsa quoque eodem modo intensiorem & remissionem suam ex istis accipiunt. Nam quæ necessaria mala sunt, minus licita sunt: quæ non mala quidem per se; sed aliquid mali secum trahunt, magis sunt licita: quæ absolute non mala, siue etiam bona, maxime sunt licita. Diudicaturque hæc res quoque tum quidem ex principiis, tum autem ex rebus, tum vero ex concursu plurium principiorum circa unam & eandem rem. Nam si principia interna spectes, filix sponsam ducere omnino licitum est; si externa cum iis coniuncta, minime absolute sit licitum.

De septima diuisione.

TITVLVS CXXX.

S. **S**EPTIMA denique? G. Quod quæ iusta dicuntur, iniusta, & licita, vno de tribus modis sunt talia. S. Quibus autem? G. Sine obstaculo, cum obstaculo, & media quadam ratione, ut supra tactum est, & mox latius declarabitur. S. Quæ sine obstaculo? G. In quibus nullus principiorum est conflictus. S. Quæ cum obstaculo? G. In quibus pugna & contrarietas est principiorum, quæ impedimentum alia præbent aliis. S. Quæ habent se media ratione? G. In quibus plurium principiorum est concursus, vnde effectus nascuntur, quos mox dicemus.

De conuenientia naturalium & dictatorum.

TITVLVS CXXXI.

S. **E**XPLICATIS naturalibus & dictatis legis, age de conuenientia eorum nunc dicito: G. De ea re primum vniuersaliter differemus, deinde generaliter, specialiter, particulariter, & singulariter, primo, secundo, & tertio.

De vniuersali naturalium & dictatorum legis conuenientia.

TITVLVS CXXXII.

S. **V**NIVERSALIS conuenientia quænam est? G. Quod dictatis ordinariis, figuræ naturales ordinariæ, extraordinariis extraordinariæ, & singularibus singulares ut plurimum applicari debent, licet ex causa aliter possit accidere.

De generali.

TITVLVS CXXXIII.

S. **Q**UÆ generalis? G. Quod dictata quæ in actione consistunt, per magistratus peragi debent, veluti cum prætor partes suas interponere iubetur, ne ad arma veniatur; quæ in executione, per iudicia, veluti cum crimina punienda sunt; & quæ in constitutione, per leges, ut plerumque accidit, cum quid iustum vel iniustum, licitum vel illicitum quaque in re sit, lege lata declaratur.

De speciali.

TITVLVS CXXXIIII.

S. **S**PECIALIS autem? G. Quod maiora dictata lege scripta comprehendere debent, de minoribus autem mores seruari, de mediis autem utrumque fieri, ut in libris de legibus apud Platonem eleganter docetur. vbi & de rebus arcanis, & recondita quadam in ratione positis, non apertas, sed ænigmatibus quibusdam inuolutas leges faciendas esse traditur.

De

De particulari.

TITVLVS CXXXV.

S. **P**ARTICVLARIS verò? G. Quòd generalia legum dictata ad docendum ac persuadendum apta, in proœmio legis, vt idem Plato docet, poni debent, vbi causa, ratio, & vsus eius traditur: specialia autem ad cogendum & inuitandum, in sanctione, vbi præmia & pœnæ ex latoris auctoritate proponuntur: & mixta ad statuendum, in constitutione.

De singulari primò.

TITVLVS CXXXVI.

S. **S**INGVLARIS denique? G. Primò quòd quæ iusta facienda esse per substantialem partem reperta sunt, imperantur; quæ iniusta non facienda, vetantur; quæ media licita, permittuntur.

De singulari secundo.

TITVLVS CXXXVII.

S. **S**ECUNDO autem? G. Quòd quæ intense, remisse, aut medio modo facienda, non facienda, vel licita sunt, itidem intense, remisse, vel medio modo, imperari, mandari, vel permitti debent. Qua quidem ratione, ea quæ ad salutem hominum absolute sunt necessaria, absolute præcipiuntur; quæ ad perfectionem laudabilia, consuluntur; quæ opera sunt pia, media, medio modo describuntur. Et è contra quæ saluti absolute sunt contraria, absolute vetantur; quæ perfectioni aduersa, dissuadentur; quæ media sunt inter vtraque, medio modo traduntur. Et quantum ad reliqua, quæ absolute licita sunt, absolute permittuntur; quæ aliquid mali secum trahunt, cum dehortatione ex indulgentia feruntur; quæ mala necessaria, per conuiuentiam tolerantur. S. Rectè. G. Atque hinc quidem leges aliæ præcepti sunt, aliæ consilij; aliæ magnæ, quæ seruari debent, aliæ paræ quæ non omitti; aliæ iuris, aliæ indulgentiæ. vt in sacris literis & alibi passim videre licet.

De singulari tertio.

TITVLVS CXXXVIII.

S. **N**AM tertio singularis conuenientia quanam est? G. Quòd quæ sine obstaculo iusta, iniusta, vel licita reperta sunt, directò constitui debent; quæ autem cum obstaculo, per circuitionem; quæ medio modo, per vias medias. S. Quæ est constitutio directa? G. Cum recta via ita vti res est constituitur. S. Quæ per circuitionem? G. Cum id quod directò fieri nequit, fit per aliquem ambitum; siue iudicalem, veluti cum quod iure actionis directè fieri non potest, fit per actionem utilem, exceptionem, replicationem; siue magistratus, vt cum per in integrum restitutionem, bonorum possessionem; officium iudicis rebus succurritur; siue fictionem legalem, veluti quòd postliminio reuersus nunquam in potestate hostium fuisse fingitur. Quæ quidem fictio non solum non vitiosa esse, apud Platonem & Chrysostomum traditur, sed & plurimum laudabilis; quoniam non iniuriæ inferendæ, sed iuris conseruandi causa fit. S. Quæ medio modo? G. Cum constitutioni directæ aliquid additur, ad eam melius dirigendam: quod quidem vel per solam legem fit, veluti cum eadem lex quæ permittit vinum effundere, si emptor instante forte vindemia tempus traditionis non seruat, tamen venditorem laudat si id non fecerit; vel per legem & magistratum, veluti cum lex quæ pupillo quid permittit, auctore tutore id fieri iubet; vel per legem, magistratum, & ordinem iudicalem, veluti quòd lege constitutum est, prædia minorum non nisi decreto prætoris, causa cognita vendi posse.

De


De supradictarum trium partium internæ Practicæ Nomotheticæ communionē.

TITVLVS CXXXIX.

S. **P**OST tres partes internæ Practicæ Nomotheticæ singulatim explicatas, quid? vísne de earum communionē secundum propositum ordinem vti te interrogem? G. Nempe. & quidem hæc res tres omnino habet vias. S. Cedo quas? G. Primum vt sciamus quidnam pars substantialis à formali sumat & naturali, deinde quid formalis à naturali & substantiali, tum quid naturalis à substantiali & formali: quibus quartò accedit omnium trium partium inter se commixtio.


Quid sumat pars substantialis à formali & naturali.

TITVLVS CXL.

S.  **V**ID sumit pars substantialis à formali & naturali? G. A formali differentias personarum: nam tamen quidem substantialis ad res propriè pertineat, vt quid in iis iuris sit diiudicet; quia tamen nonnunquam accidit, vt personæ quasi loco rerum sint, fit vt & ipsæ ad substantialem, vt antè tactum est, pertineant. Nam in iure de personis constituendo, & ætatis rationem haberi, & rusticitatis, & dignitatis, & aliarum differentiarum ac qualitarum, constat, quæ secundum ea quæ de rebus diximus, diriguntur. S. Intellego. G. A naturali autem differentias naturalium figurarum legis: quæ quidem vsque aded cum parte substantiali sunt coniunctæ, vt substantia legis diiudicata, ipsæ mox per se quodammodo intelligantur. Nam quod substantialis pars diiudicauit iustum faciendum esse, imperandum est; quod iniustum non faciendum, vetandum. & sic porro de aliis.


Quid sumat pars formalis à naturali & substantiali.

TITVLVS CCLI.

S.  **V**ID autem accipit pars formalis à naturali & substantiali? G. A substantiali rerum iuri subiectarum differentias. Nam quamquam quidem formalis circa personas præcipuè versatur, ad iustitiam in eas inducendam; fit tamen nonnunquam, vt rerum quoque habeat rationem. Nam aliæ formæ rebus magnis, aliæ paruis accommodantur, aliæ claris & apertis, aliæ difficilibus & obscuris, quas ænigmatibus ferè tegere oportet. & sic porro de cæteris, quæ iisdem regulis, quibus ea quæ de personis siue hominibus diximus, reguntur. S. Teneo. G. A naturali verò differentias dictatorum legis. nam cum dictata alia vniuersalia sint, alia specialia, & sic porro: vtique constat, quasdam formas generalibus mandatis esse accommodatas, vt sacra, sacramenta, sacrificia; quasdam specialibus, vt doctrina, disciplina, & vsus.


Quid sumat pars naturalis à substantiali & formali.

TITVLVS CXLII.

S.  **V**ID sumit pars naturalis à substantiali & formali? G. A substantiali res iuri subiectas. nam aliæ figuræ naturales rebus maioribus conueniunt, nempe leges scriptæ; aliæ minoribus, nempe mores per legislatorem fieri. Multa enim sunt, inquit Plato, in republica, de quibus ridiculum esset leges ferre, quæ tamen certo modo per legislatorem dirigi debent: quod vt faciat, tacitos mores pedetentim inducit. S. Audio. G. A formali personas. nam alias atque alias figuras naturales aliis atque aliis hominibus conuenire per se lucet. vnde idem Plato liberis & ingenuis hominibus leges cum præmio ferri ait, ad suadendum; seruis autem & illiberabilibus cum pœnarum sanctione, ad cogendum.

De commixtione omnium trium supradictarum partium inter se.

TITVLVS CXLIII.

S.  **A**M commixtio omnium trium supradictarum partium inter se quænam est? G. Cum quid proponitur quod omnes tres partes contingit: vt si quæras quæ formæ legis, item quibus personis, rebus, & dictatis conueniant, quæ dictata quibus rebus & personis. & sic deinceps. S. Intellego. G. Quæ quidem iisdem regulis inter se iunctis diriguntur, quibus singulas separatè distincteque dirigi diximus. S. Rectè. G. Plura non addo: quoniam vt ad minu-

minutissima quæque & infima descendamus, non est nostri instituti, qui ea huius artis Nomotheticæ summa præcepta tradidimus, quæ certa & nunquam errante ratione ac scientiâ, dummodo vsus & exercitatio, cum naturæ bonitate accedat, continentur. A quibus quidem si quis ad inferiora, quæ non tam ratione quàm opinione constant, descendere, certasque inferiores regulas à superioribus deductas aliis constituere velit, quod mediocris est ingenij, non inhonestum, inquit Timæus, in hac vita ludum exercebit. Ad quam rem vero homini philosopho ac politico, ob maiorum & superiorum continentem contemplationem, non est otium.

De iuris & legum condendarum ratione quæ arte caret.

TITVLVS CXLIII.


S. **P**ost eam iuris & legum condendarum rationem explicatam quæ arte constat, iam ea quæ arte caret, quænam est? **G.** Quæ nullis certis principiis ex natura notatis, & in certum ordinem præceptionum inclusis, sed aliena dumtaxat ope nititur. **S.** At quoniam autem modo? **G.** Primum veluti si quis ab alia aliqua republica sibi leges petat, vt Romani à Græcis. **S.** Intelligo. **G.** Deinde si ex aliorum scriptis legibus ac moribus leges sibi decerpat ac colligat, vt apud Aristotelem scribitur. **S.** Probe. **G.** Tum si vtrumque quidem coniungens, & in republica versans, longum earum rerum vsum & exercitationem capiat, in quo permagnum situm est momentum. **S.** Verum. **G.** Et sanè quantumcumque eruditus, & arte ipsa iuris & legum condendarum imbutus quis sit, minimè tamen hæc contemnere, sed quibuscumque rebus potest, adhibita arte, iuare se debet.

De iuris & legum condendarum ratione, quæ partim arte caret, partim arte constat.

TITVLVS CXLV.


S. **Q**uid? media ratio quæ inter supradictas duas facultates versatur, quænam est? **G.** Quæ partim arte constans, partim ea carens, tribus omnino capitibus continetur. **S.** Quod est primum? **G.** Cum ex vna aliqua lege expressa alia tacita, quæ in ea inest, subtiliter notatur, & quasi detegitur. **S.** Quod alterum? **G.** Cum ex vna lege altera per consequentias deducitur, vt patronorum tutela ex lege duodecim tabularum, eo argumento, quod vbi successionis est emolumentum, ibi & tutelæ onus esse debet. **S.** Quod tertium? **G.** Cum ad similitudinem vnus legis altera constituitur, vt parentum tutela, ad similitudinem tutelæ patronorum: quoniam pater qui filium emancipauit, imaginem ac similitudinem gerit patroni qui seruum manumisit.

LIBER QVARTVS.

S.  XPOSITIS iisquæ ad internam partem Practicæ Nomotheticæ pertinent, quid? anne sequitur vt de externa nunc porrò te interrogem? G. Sequitur verò. & quidem licet non tantum quantum superior difficultatis habeat, est tamen perelegans, & latè patens. Nam si verum dicendum est, non solum dicastice, verum etiam as- simulata & communis iurisprudencia, membra quædam huius partis sunt externæ, ex qua decerptæ sunt ac delibatæ: vti ordine, ap- probante Deo, videbimus. S. Quid autem de externa hac parte tractandum proponis? G. Primum quid ipsa sit dicam, deinde quomodo diuidatur. vnde reliqua consequentur.


De externa parte Practicæ Nomotheticæ.

TITVLVS I.

S.  VAM vocas externam Practicæ Nomotheticæ partem? G. Quæ viam ac rationem docet, qua iura legesque per internam partem conditæ, in republica constituuntur, & ad effectum deducuntur, ad iustitiam reipsa in rempublicam inducendam. S. Cur dicis, Quæ viam ac rationem docet? G. Vt ostendam, quemadmodum supradicta omnia, ita & hanc partem certis regulis ac præceptionibus contineri. S. Quamobrem addis, Qua iura legesque per internam partem conditæ in republica constituuntur? G. Vt primam inter internam & hanc externam partem differentiam ostendam: quæ est, quòd cum illa intus se contineat, hæc in publicum prodit, & leges domi conditas in media ciuitate foroque constituit. S. Cur adiicis, Et ad effectum deducuntur? G. Vt secundam inter eas differentiam ponam: quæ est, quòd interna in solo animi iudicio consistit, ad leges rectè describendas; externa in imperando etiam vim habet, ad leges bene descriptas executioni mandandas: quemadmodum qui ædificium primum animo conceptum, post reipsa fieri mandat. S. Quare autem subiicis, Ad iustitiam reipsa in rempublicam inducendam? G. Ad tertiam differentiam notandam: quæ est, quòd quæ interna pars molitur ac præparat, ea pars externa reipsa perficit, & ad exitum deducit: quo factò, ars conquiescit, tanquam officio suo perfuncta, & sine proposito potita.


De diuisione partis externæ.

TITVLVS II.

S.  ID autem? hæc pars externa quonam modo diuiditur? G. In introductionem legum, vsum, & mutationem. S. Quam vocas introductionem? G. Cum lex constituitur in republica, quod ortus est. S. Quem vsum & exercitium? G. Cum ad effectum deducitur, quod status. S. Quam mutationem? G. Cum ex toto vel ex parte tollitur, quod occasus. nam quemadmodum omnes res humanæ, ita & leges ab hominibus conditæ, nascuntur, vigent, & moriuntur, vt post latius demonstrabitur. nunc autem ad singula pergamus.

De introductione legum in rempublicam.

TITVLVS III.

S.  GO introductionem legum quam vocas? G. Qua leges, ac magistratus, iudiciaque, & cetera quæ legis nomine, secundum ea quæ supra dicta sunt, comprehenduntur, primum in ciuitatem inducuntur, ibique quasi collocantur. quod tum quidem diuina ratione fit, tum autem naturali, tum verò humana. S. Quæ est diuina? G. Quæ viua Dei fit voce. quo quidem modo tota lex Euangelica constituta est, & pars legis Mosaicæ. S. Quæ naturalis? G. Quæ tacita vi naturæ, & astrorum conuersione (vt quibusdam placet) accidit, cum hominum animi huc vel illuc inclinantur, & tacitæ quædam consuetudines in po-

in populo nascuntur. S. Quæ humana? G. Quæ hominum industria, ad Dei & naturæ imitationem constat. Nam quemadmodum nauis regendæ primùm Deus præest, deinde tempestas, post homo arte præditus, ita & legibus condendis, & in rempublicam inferendis, tres auctores, vt Plato scribit, præstant; Deus, natura, & homo arte & scientia instructus. de quo solo nunc nobis est sermo. S. Is autem quibusnam potissimum modis legem in ciuitatem inducit? G. Duobus, vno generali, & speciali altero. S. Generalem quem vocas? G. Quo tota lex Christiana in nouum aliquem rudemque populum, vel hominem à vera religione alienum, inducitur. S. Ad autem quibusnam rebus efficitur? G. Tribus, quæ per tres, quasi gradus procedunt. S. Primus gradus quis est? G. Cum Christi Euangelium populo alicui primùm annunciat, vt ad ipsum, & eius nomen, & iustitiam se conuertat, accedentibus signis, miraculis, martyris: (quæ vocant) & aliis leuissimi rebus extraordinarijs diuinis, de quibus supra est expositum. Nam quoddam ab armis humanis nonnulli incipiunt, vix sanè aliud est (quod cum bona venia dicatur) quam iustitiam per iniustitiam in rempublicam infundere velle, & cum Dominus discipulos suos tanquam oues in medium luporum mitteret, contra tanquam lupos in medium ouium se inferre. S. Quis secundus? G. Cum principiis hoc modo positis quæ ad singulos ferè pertinent, ad vniuersos acceditur, vt forma quædam reipublicæ & ecclesiæ constituta, ea sic describatur, vt ad Christi iustitiam recipiendam quàm maximè sit idonea: quæ res distinctione, colligatione, & concordia, de quibus supra expositum est, potissimum continetur. S. Quis tertius? G. Cum Christi nomine cognito, & populo ad eum suscipiendum præparato, tota demum Christi lex in republica constituitur, per quam cum Christo coniungitur, eiusque sponsa efficitur. S. Optimè sanè. G. Atque hunc quidem pulcherrimum ordinem ac progressum monstrat nobis Euangelium, ea parte qua Dominus primùm populum docuisse scribitur, quod primi gradus est; deinde humi sedere iussu, per contubernia distinxisse, quod secundi; tum panem per Apostolos distribuisse, quod tertij. S. Nunc specialis autem modus quisnam est? G. Qui viam ac rationem specialem docet, quæ leges, ac magistratus, iudiciaque, & alia quæ quotidie se offerunt, in ciuitatem induci debeant. quod duobus fit modis. S. Quibus autem illis? G. Vno tacito, & altero expresso. S. Quis est tacitus? G. Cum quibusdam de rebus non leges publicè constitutæ ponuntur, sed taciti mores, seruantur, vt subinde fieri oportere supra tactum est, & apud Platonem luculenter disputatur. Et ideo quæcumque in republica sunt consuetudines, aliæ à legislatore factæ sunt, de quibus hîc agimus; aliæ sponte natæ, quarum supra meminimus. S. Quis expressus? G. Cum lex aperte & manifestè constituitur, in qua re quædam sunt quæ inductionem ipsam præcedunt, quædam quæ in ea interueniunt; & quædam quæ sequuntur. S. Quæ autem sunt quæ præcedunt? G. Vt regulas quædam generales externas teneas, quæ circa leges, & magistratus, iudiciaque, & alia rectè cõstituenda versantur. S. Quæ autem sunt hæ regulæ? G. Quæ tum quidem ad substantiam, tum autem ad quantitatem, qualitatem, personas, res, & finem legum, ac magistratum, iudiciorumque bene constituendorum pertinent. S. Ad substantiam autem quidnam pertinet? G. Vt diligenter dispicias quænam magis legibus, quæ autem magistratibus, quæ denique iudicijs sint committenda. Nam tametsi quidem omnia communia sint omnium, alia tamen alijs magis conueniunt. Nam bene instituta republica, pauciora legibus, tanquam imperfectioribus; plura magistratibus sunt committenda; & iudicijs: contra in mala republica danda est opera, vt quàm paucissima magistratibus, qui homines sunt, & facile corrumpi possunt, & iudicijs, vbi oratores & calumniatores grassantur, quamplurima legibus comprehendantur. S. Quid ad quantitatem? G. Vt magistratus, ac leges, iudiciaque, quàm fieri potest paucissima sint: nam vbi harum rerum, quemadmodum & medicamentorum, magna est copia, ibi & malorum magnam multitudinem esse necesse est. Quanquam non adeò diffugienda est tam legum & iudiciorum, quàm magistratum multitudo, vt minus eorum sit, in ciuitate quàm oportet: sed modus in omnibus est optimus, vt neque plus, neque minus sit, quàm sat est; & quæ in paruis ciuitatibus per vnum magistratum geruntur, ea in maioribus per plures sæpe, vt bene Aristoteles scribit, sunt dispartienda. S. Quid ad qualitatem? G. Vt leges iustæ sint, vt honestæ, vt faciles & perspicuæ, item vtilis, necessariæ, gratæ populo, & quæ quàm minimum litium excitent, sed excitatas quàm primùm restinguant. item vt sint secundum communem iuris rationem factæ, nisi forte aliud cogat necessitas; vt nonnunquam fieri, supra demonstratum est. De quibus rebus omnibus Gratianus ex Isidoro scribit hoc modo: Erit autem lex honesta, iusta, possibilis, secundum naturam, & secundum consuetudinem patriæ, loco temporisque conueniens, necessaria, & vtilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in-

cautum captione contineant, nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta. Quanquam illud non est ignorandum, primum legislatorem subinde etiam scientem ac prudentem, quosdam non optimas leges condere, cum nimirum propter imbecillitatem populi aliud obtineri non potest, ut de lege divorij apud Iudæos fiebat: idque ea spe, ut perfectiore deinde populo facto, sequens legislator in melius id producat. S. Quid ad personas? G. Ut iura, magistratusque, & iudicia, non in singulas personas, sed generaliter constituentur, privilegiaque aut nulla, aut perpauca irrogentur: nam subinde utique necessarium est, ut ratione personæ alicuius aut rei, ius singulare constituantur. Est autem ius singulare, quod contra tenorem rationis, propter aliquam utilitatem, auctoritate constituentium introducitur. S. Quid ad res? G. Ut non de quibuslibet rebus, sed de iis quæ frequenter accidunt, & certam iuris definitionem exigunt, iura, & iudicia, magistratusque constituentur: nam ad ea debet applicari ius, quæ frequenter & facile, non autem perraro eveniunt. Quin & circa ea ipsa sic versari debet legislator, ut non omnia, sed summa eorum capita, unde reliqua dependeant, complectatur. Nam neque leges, inquit Iulianus, neque senatusconsulta ita scribi possunt, ut omnes casus qui quandoque inciderint, comprehendantur: sed sufficit, ea quæ plerumque accidunt, contineri; reliqua autem, vel interpretatione prudentum, vel iurisdictione iudicum suppleri debent. Quin nec de omnibus quæ vulgo se offerunt, primus legislator constituere debet, sed de iis dumtaxat quæ maioribus legibus, magistratibus, ac iudiciis indigent: reliqua autem minora, vel ad Dicastas, tanquam minores legiflatores, reicere debet, ut Deus ad Moysen, vel ad alios post se legiflatores, prout usus exigit. S. Quid ad finem? G. Ut in legibus ac magistratibus iudicisque constituendis non aliud, quam ad communem totius reipublicæ utilitatem respiciatur; minimè autem ad eius commodum quod potentius est: ut in vnius, aut paucorum, vel populi potentia sæpe fieri solet, ubi ad eius quod imperat utilitatem leges plerumque diriguntur: quod minimè faciendum est, sed ad commune totius corporis bonum respiciendum. S. Iam ea quæ in ipsa legum introductione interveniunt, quænam sunt? G. Tria. S. Quod est primum? G. Ut in legibus condendis, aut nouo aliquo genere magistratus, aut iudicij constituendo, primum omnium, certis ritibus ac cerimoniis seruatis, Deus inuocetur, tanquam verus omnium legum auctor. S. Quod secundum? G. Ut prudentum consilium adhibeatur. nam tamen quidem legislator iam legem apud se constitutam habeat, dicit tamen Salomon: Admone sapientem, & erit sapientior. Ac facit quoque (imò planè necessarium est) ad auctoritatem, ut prudentes legi condendæ adhibeantur, ne legislator solus sapere velle videatur. Et in rebus humanis inferioribus multa sunt quæ à pluribus, etiam minus peritis, si quidem singulos spectes, quam ab vno peritissimo (ut bene Aristoteles ait) perspiciantur. S. Quod tertium? G. Ut populi consensus accedat. nam absque eo nullam lex vim habet, & ob id Dominus in veteri testamento iusiurandum de lege seruanda à populo exigebat. Et sanè ad legem populo persuadendam, vitur nonnunquam legislator opera oratoris, ut post tangetur. S. Rectè. G. Atque ab his tribus lex tum quidem donum deorum dicitur, tum autem prudentum virorum consultum, tum verò communis reipublicæ sponsio, cum scilicet populus in eam conspirat: unde & pactum, & testamentum, & foedus in sacris literis dicitur. S. Dehinc quæ introductionem sequuntur quænam sunt? G. Hæc tum quidem magistratus spectant, tum autem iudicia, tum verò leges. S. Quæ autem pertinent ad magistratus? G. Primum ut generaliter sciatur, quales viros oporteat ad magistratus gerendos assumere, nempe prudentes ac bonos, sub quo comprehenditur ut iustæ ætatis sint; experientes, diligentes, iusti, fortes, mansueti, non auari, non munera capientes, non obediens suis affectibus, non exceptores personarum, & si qua sunt alia eiusmodi: deinde, ut speciatim circa vnumquemque magistratum designetur, quo tempore, quo modo, qui, quo loco eligendi, datis insuper unicuique eorum legibus secundum quas officium suum debeant exercere. S. Quæ ad iudicia? G. Ut tum quidem iudiciorum exercendorum generalis ratio præscribatur, tum autem si quid in singulis est speciale, separatim notetur, ubi, quomodo, quando, per quos, exerceri debeant, cum similibus. S. Quæ ad leges? G. Primum ut leges conditæ certo ordine secundum genera & species digerantur, ubi videndum est ne inter se sint contrariæ, & ne idem bis inculcetur, nisi quatenus in quibusdam est necessarium, ut in sacris literis videre licet: deinde ut leges sic digestæ in libris, tabulis, columnis, albo, & aliis rebus inscribantur, ut perpetua earum memoria sit, nec facile corrumpi possint: tum ut certis destinatisque temporibus populo prælegantur, & pueros adolentesque doceantur. nam parum est in tabulis esse leges, nisi etiam sint in mentibus hominum. Atque hæc quidem sunt leges de legibus.

De legum usu & exercitio.


TIT. IIII.

S. I AM vsum legum & exercitiu in quo ponis? G. Vt secundum præscripta legum ac magistratuum iudiciorumq. homines viuant, iusq. obediât: quod cum fit, iustitia in republica inducta est, qui est vltimus huius discipline finis. S. Id autem quibusnam rebus efficitur? G. Prioribus, mediis, & posterioribus. S. Quæ sunt priora? G. Quæ ad leges tradendas ac docendas pertinet: circa quã rem quadruplex est distinctio. S. Quæ est prima? G. Quod omnis doctrinæ legum finis est, vel vt secundum eas viuatur, qui eorum est qui parent, vel vt secundum eas respublica gubernetur, qui illorum est qui rebus aliquando sunt præfuturi. Nam quemadmodum qui ad medicos se applicat, alij valetudinis causa id faciunt, alij autem vt medici euadant; ita & in legum doctrina accidit. S. Quæ secunda? G. Quod omnis doctrina legum, vel simplex est, cum vera traduntur; vel duplex, cum falsa refelluntur. Nam cum ignorantia alia sit simplex, cum id quod nescit, nescire quis se existimat; alia duplex, cum id quod nescit, scite se putat; illi simplex, huic duplex doctrina proprie congruit, vt antè traditum est. S. Quæ tertia? G. Quod omnis doctrina legum vel publica est, in scholis & aliis conuentibus; vel priuata, domi à parètib; & amicis; qua de re apud Moysen multa traduntur. S. Quæ quarta? G. Quod omnis doctrina legum vel ludicra est, quæ pueris maximè conuenit; vel seria, quæ maioribus: quamquã tamen vtraque vtrisque sæpe adhibetur. S. Iam media quæ ad vsu & exercitiu legum pertinent, quænam sunt? G. Leges ad bene parendu, magistratus ad bene imperandū, & iudicia ad vtrumq. S. Quas vocas leges ad bene parendu? G. Quibus in genere mandatur & inculcatur, vt homines legibus obtemperent, propositis præmiis & pœnis, iis qui secus aut secundu ea fecerint, prout in lege Mosaica sæpe videmus inculcari, vt legem Domini seruent, addita in fine Deuteronomij grauissima sanctione præmioru qui paruerint, & pœnaru qui minus: quod & in Euangelio videre licet. S. Quos dicis magistratus ad bene imperandū? G. Magistratus magistratuum, qui nullam aliam ad rem constituuntur, quàm vt obseruent ecquid magistratus inferiores bene faciant officiu, iusq. minus id faciētibus imperent. S. Rectè. G. Ac dicuntur quidē magistratus facere officiu, primu, cum quod alios facere volunt, ipsi in se monstrant, & exemplo præeunt: deinde, cum circa gregem sibi commissum diligenter inuigilant, mandates leges executioni per iudicia, sic vt neque plus faciant quàm sui est muneris, neque minus. S. Probè. G. Ac quoniã quidem qui acri sunt natura & ingenio, plus ferè facere student quam oportet, & qui leni, minus; non oportet vnū aliquem lenem solū rebus præficere, nec acrè solū, sed duos coniungere, & in vnum quasi texere, sic vt alter per alteru in officio contineatur, dum lenis ab acri excitatur, & acris à leni retinetur: quæ est illa politica, de qua apud Platonē in politico disputatur. S. Quæ sunt iudicia ad bene parendū ac imperandū? G. Ad bene parendu iudicia sunt, visitationes (quas vocant) inquisitiones, & similia. nam sic Talus cum legibus Minois totam insulã Cretam quotannis obiisse dicitur, vt dispiceret ecquid homines legibus parerent nec ne. S. Intellego. G. Ac ad bene imperandū duo sunt genera iudiciorum, ordinariu & extraordinariu. S. Quod vocas ordinariu? G. Cum superiores magistratus ac iudices de sententia inferioris ex appellatione cognoscunt. S. Quod extraordinariu? G. Cum syndicus erga magistratum, siue in genere, siue in specie exercetur: quo quidem legislator mallet carere si posset; sed quoniã res est cum hominibus, omnibus istis opus est in republica, vt secundum legum præscripta viuatur. S. Dehinc posteriora quæ vsu & exercitiu legum spectant, quænam sunt? G. Quæ ad opem & auxilium legibus laborantibus ferendum pertinent: quod tum quidem succurrendo fit, tum autem supplendo. S. Quid? quo pacto autem succurritur legibus? G. Cum suppetias legi laboranti fetimus, ne tota vel ex parte pereat, idque siue scripturam legum spectes, ipsaque adeo corpora iudiciorum, ac magistratuum; siue vim & effectum, tanquam animum. S. Quomodo autem si corpora spectes? G. Veluti si tabulæ, scripturæ, columnæ legum, & creationis magistratuum, constitutionisque iudiciorum è medio auferantur: quod fit duobus modis; vi maiore, & minore. S. Quæ est vis maior? G. Cum vetustate, bello, tempestate, incendio, morbo, aut qua alia calamitate, scripturæ legum, & iudiciorum, ac magistratuum nomina intercidunt: quibus rebus veteres vt occurrerent, feruntur leges suas in duabus columnis inscidisse, ex quibus vna vi ignis, altera aquæ resistere posset. S. Quæ vis minor? G. Cum homo aliquis scripturas legum vi destruit; veluti si quis album prætoris corruperit: contra quos, leges, magistratus, & iudicia constitui debent: vel suis emendationibus (quas vocant) corrumpunt; vt hodie multi faciunt, quibus non minus quàm aliis obistit debet. Et ob id Cicero Nomophylaces apud Græcos fuisse ait, qui ne quis scripturam legum corrumpere, curæ haberent: & apud Hebræos eadem de causa liber legum in ipsa atca Domini custodiri iuebatur, nec nisi à sacerdotibus contrectari. S. Quomodo autem ab animo leges & iudicia magistratusque laborant? G. Cum corporibus, hoc est, scripturis ac

nominiſus manentibus, vſus & effectus interit: quod vel tacite fit, vel expreſſe. S. Tacite quonam pacto? G. Veluti cum in obliuionem ac deſuetudinem leges ac magiſtratus iudiciaque abeunt, vel multitudine nouarum conſtitutionum obſcureſcunt: quibus malis ita obuiam ibitur, ſi ſæpe repetantur priſtinæ leges, & nouæ ſuperflue ſubinde amputentur, ſic vt veteres per ſe maneat, & in vſu ſeruentur. S. Quo pacto expreſſe? G. Directo, & indirecto. S. Quo pacto directo? G. Vt ſi quis contra legem faciat, committendo id quod lex prohibet; vel, quod deterius eſt, legem, tanquam iniquam apud populum accuſet: qui ambo grauiffimis legibus ac iudiciis magiſtratibusque coercendi ſunt, ſed magis poſteriores quam priores, quoniam illi priuatim, hi publice peccant. S. Quo pacto indirecto? G. Cum fraus legi fit: cuius vna via eſt, cum apprehenſis verbis legis, ſententiam eius quis circumuenit. vnde Euripides pulcherrimas quidem leges eſſe ait, ſed ſycophantam eum euadere, qui nimis argute eas intuetur. Altera, cum qui leges primarias ac maiores ipſi ſuſtinere debent, & hoc profitentur, ſecundariarum ac minorum legum cauſa, eas ob commodum ſuum priuatim corrumunt, aut perire ſinunt. quod Dominus Scribis ac Phariſæis obiiciebat, quos parua legis mandata magni facere, magna autem parui pendere, & ob traditiones ſuas humanas legem Dei tranſgredi aiebat. Quod quidem vitium diuus Paulus vt effugeret, vti quæque lex erat, ita qualiſnam eſſet prodebat. Veluti: Dominus dicit, non ego: Ego dico, non Dominus: Præceptum non habeo, conſilium autem do: Hoc autem dico ſecundum indulgentiam. cum ſimilibus. S. Iam autem ſupplendo quomodo leges adiuuamus? G. Extendendo, reſtringendo, & producendo. S. Quomodo extendendo? G. Nam cum in quaque lege hæc tria ſpectentur, verba legis, quæ in medio ſunt; ratio legis, quæ ſuprà; & effectus legis, qui infrà: extenſio legis eſt, cum vel propter verborum latioreſignificationem, vel rationis amplitudinem, vel effectum eundem, eam latius porrigimus quam prima ſpecie loqui videtur. S. Quomodo reſtringendo? G. Cum ex iſdem cauſis contrariis, arctius contrahitur lex quam verba præ ſe ferre videntur. S. Quomodo producendo? G. Cum per conſequentias aut ſimilitudines, ab iis quæ legibus expreſſa ſunt, ad ea argumentamur quæ non ſunt expreſſa. nam cum nullæ leges ita ſcribi poſſint, vt ſuprà dictum eſt, vt omnia complectantur, æquum eſt vt quæ deſunt, interpretatione ſuppleantur. Vnde Iulianus Iuriſconſultus, Neque leges, inquit, neque ſenatusconſulta ita ſcribi poſſunt, vt omnes caſus qui quandoque incidunt, comprehendantur: ſed ſufficit ea quæ plerumque accidunt, contineri: & ideo de his quæ primò conſtituuntur, aut interpretatione, aut conſtitutione optimi Principis, certiùs ſtatuendum eſt. Ad hæc: Non poſſunt, inquit, omnes articuli ſingulatim, aut legibus, aut ſenatusconſultis comprehendere; ſed cum in aliqua cauſa ſententia earum manifeſta eſt, is qui iuriſdictioni præeſt, ad ſimilia procedere, atque ita ius dicere debet. Nam, vt Pedius ait, quoties lege aliquid vnum vel alterum introductum eſt, bona occaſio eſt, cetera, quæ tendunt ad eandem vtilitatem, vel interpretatione, vel certe iuriſdictione ſuppleri: vnde ius prætorium, adiuuandi, ſupplendi, vel corrigendi iuriſciuilis gratia, propter vtilitatem publicam introductum dicitur. S. Probè narras. G. Quanquam vnum hæc meminiffe, arctèque tenere oportet. S. At quidnam autem? G. Ne quod iure ſingulari contra communem iuris rationem receptum eſt, vt ſubinde ex cauſa fieri diximus, producat ad conſequentias. vnde regula iuris: Quæ propter neceſſitatem (inquit) recepta ſunt, non debent in argumentum trahi. Item Iulianus: In his quæ contra rationem iuris conſtituta ſunt, non poſſumus ſequi regulam iuris. Et Pontifex maximus, Quæ à iure communi exorbitant, inquit, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda. Quodque alicui gratioſe conceditur, trahi non debet ab aliis ad exemplum.

De legum mutatione.

T I T. V.

S.  VNC mutatio legum quænam eſt? G. Cum eas emendamus, aut tollimus: quod duobus omnino fit modis. S. Dic quibus? G. Specialiter, & generaliter. S. Quomodo autem ſpecialiter? G. Cum non ſimpliciter & abſolute, ſed certæ perſonæ dumtaxat, vel rei alicuius reſpectu, legis vſus ceſſat. S. Quo pacto reſpectu perſonæ? G. Cum ex cauſa ſingulari legibus generalibus in futurum quis ſoluitur, quod diſpenſatio dicitur: vel venia cui datur in præteritum, de eo quod contra legem deliquit, quod gratia. Quo ſanè vtroque ſæpe opus eſſe ad rem publicam conſeruandam, & iuſtitiam in eam inducendam, ſuprà probatum eſt. S. Quomodo reſpectu rei? G. Cum cauſa ſic expoſcit, vt ad tempus, vel certa aliqua in re oblata, legis obſeruatio ſuſpendatur: quod quidem ſecundum ea quæ ſuprà tractata ſunt, vel ob neceſſitatem fit, quo quidem modo Dauid panes propoſitionis comedeat; vel ob pulchrum, & maioris numinis præſentiam, quo modo ſacerdotes in templo Sabbathum violant, & ſine crimine ſunt; vel medio quodam modo, ob diuerſas circumſtantias,

stantias, veluti cum à minoribus rebus cessatur, quàm diu maioribus opera datur. vt, Misericordiam volo, & non sacrificium. S. Quomodo autem fit generaliter, vt leges tollantur vel mutantur? G. Cum simpliciter id fit, & absolutè. circa quam rem videndum est; quidnam legum sit correctio, quotuplex, quarum legum, quibus modis fiat, & quibus ex causis. S. Quidnam autem votas legum correctionem? G. Cum lex vel tota tollitur & mutatur, per abrogationem, obrogationem; vel ex parte, per derogationem, quæ est, cum pars aufertur; aut subrogationem, cum pars reformatur vel adiicitur, idque siue legem ipsam spectes, siue vim eius & effectum. S. Quotuplex autem est correctio? G. Triplex: vna propria, cum lex reuera tollitur, vel de vna forma in aliam mutatur: altera impropria, cum, lege ipsa manente, vsus eius dumtaxat tollitur, vel de vna forma in aliam mutatur: & tertia media, cum ab vno legis gradu ad alterum transitur. Nam quod de lege Fufia Caninia tollenda Iustinianus tradit, primi generis est: quod de testamentorum quæ calatis comitiis fiebant desuetudine, secundi: quod de legum naturalium in diuinas translatione, veluti cum pro matrimonio castitatem quis eligit, tertij. S. Quarum autem legum est correctio? G. Enimvero cum antè traditum sit, leges alias diuinas esse, alias naturales, alias humanas; de singulis separatè distinctèque dicendum est. S. De diuinis igitur quid ais? G. Hæ neque propriam mutationem patiuntur, propter auctoris Dei naturam perpetuam & incommutabilem; neque mediam, propter rerum circa quas versantur, perpetuitatem ac constantiam; sed impropriam dumtaxat, propter hominum, quibus latæ sunt, imbecillitatem. Qua quidem re sæpe accidit, vt legum diuinarum vsus apud eos mutetur, siue ex toto, cum ex bono malus, & ex malo bonus quis fit; siue ex parte, cum ex perfecto imperfectus, vel ex imperfecto perfectus. Quod quidem cum contingit, non tam tolli vel mutari lex imperfecta per perfectam dicitur, quàm adimpleri, quatenus ab eo quod ex parte est, ad id quod ex toto est, ascenditur; & euacuari, quatenus ex eo quod obscurum & vmbrosum est, ad id quod clarum & lucidum est, transitur. S. De naturalibus autem? G. Sane & hæ, quoniam auctore Deo constitutæ sunt, propriam mutationem nullam admittunt: sed quantum ad impropriam & mediam attinet, eas tum quidem ob hominum quibus latæ sunt fragilitatem, tum verò ob materiæ subiectæ imperfectionem, patiuntur. Nam cum lege naturali omnium hominum æqua sit libertas, ab eius vsu ex toto recedimus, cum ad seruitutem quem redigimus; ex parte autem, cum ex seruo libertum facimus. Et quod ad mediam mutationem pertinet, ea vtimur cum pro cibo & potu, qui naturalis est, ieiunium, quod diuinum, eligimus; pro matrimonio castitatem, & è contrà. S. De humanis verò? G. Enimvero in his, quoniam auctorem hominem mortalem habent, & materiam subiectam fragilem, & eos quibus latæ sunt, imbecilles & mutabiles; omnes tres mutandi & corrigendi species locum habent, siue propriam spectes, siue impropriam, siue mediam. Et ideo, tametsi quidem non temere neque facile ad hoc veniendum est, (nam id leuitatis est & inconstantia, & res sæpe periculi plena, adèd vt frequenter longè satius sit, veteres leges non optimas seruare, quàm nouas bonas introducere) cum tamen ita res exposcit, viri boni ac sapientis est, parere rationi, & ad eam se accommodare, haud aliter atque prudens nauta ad maris ac venti tempestates se accommodat. quod & Marcellus Iurisconsultus tradit, cum dicit: Etsi nihil facile mutandum est ex solennibus, tamen vbi euidentis æquitas exposcit, subueniendum est. Quod quidem qui non faciunt, præterquam quod pertinaciæ & imprudentiæ crimen subeunt, tum quam seruare debent rempublicam sæpe euertunt: vt apud Platonem latè disputatur, qui ob frequentes mutationes, leges humanas, quæ aliæ nascuntur, aliæ occidunt, hydræ capitibus similes esse ait. S. Iam quot autem modis fit correctio? G. Duobus, expressè, & tacitè. S. Quomodo autem expressè? G. Partim recta via, cum id apertè dicitur; partim per circuitionem, veluti quod apud Romanos prætores circa hæreditates corrigentes, non ipsas quidem hæreditates tollebant; sed bonorum possessionem illis addebant, ex quibus iuris hæreditatum correctio sequebatur. S. Tacitè autem? G. Cum in desuetudinem lex abit, siue per se, siue industria legislatoris id fiat. S. Ex quibus autem causis? G. Aliis internis, aliis externis. S. Quæ sunt internæ? G. Vna à parte legislatoris, cum ille re meliùs animaduersa seipsum, vel antecessorem suum corrigit, vt in rebus humanis inferioribus sæpe contingit; homines enim omnes sumus, humanum nihil à nobis alienum; altera à parte rerum subiectarum, & circumstantiarum ad eas pertinentium, quibus mutatis, & leges eò pertinentes mutari necesse est, & tertia à parte rerum publicarum & hominum quibus leges datæ sunt. Nam iis melioribus aut deterioribus factis, vel aliter mutatis, prout tempora plus vel minus lucis ostendunt, leges quoque sunt mutandæ. vnde factum est, quod religione Christiana in rempublicam Romanam illata, multa de pristinis legibus Romanis correctæ, & ad homi-

nis Christiani instituta accommodata fuere. S. Quæ externæ? G. Prima diuina, cum ita Deus iubet: altera mundana, cum vrgens rerum ac temporum necessitas, vel euidentis vtilitas sic postulat: & tertia humana, cum populi vel legislatoris voluntas ad hoc inclinatur, quæ res in iis ferè locum habet, quæ multis modis bene, aut certè non malè habere se possunt. S. Præclarè narras. G. Atque hoc quidem modo, Deo adiuuante, conclusa nobis fiat, quæ de ea vniuersalis iurisprudentiæ parte dicere habuimus, quam Nomotheticam vocauimus, & verè regiam ac politicam artem esse diximus: cuius quidem summa capita hic breuiter strictimque tacta, in maioribus patris commentariis, quos diximus, singula singulis capitibus & penè libris explicantur.

De Dicastice & eius diuisione.

TITVLVS VI.

S. **A**BSOLUTA igitur Nomothetice, quid? ante sequitur de Dicastice mihi ut respondeas? nam hic ordo nobis est propositus. G. Verum. S. Hanc ergo quomodo describis? G. Aio artem esse, quæ ex Nomothetice desumpta, viam ac rationem tradit, qua iure legibusque exequendis & ad effectum deducendis, iustitia in rempublicam inducitur: quod quia per iudicia potissimum efficitur, nomen inde accepit. S. Rectè. G. Ac est quidem ideo necessaria, quoniam non potest Nomotheticus solus omnia obire, ut supra probauimus, sed opus habet magistratibus sub se, quibus tanquam oculis, & auribus manibusque & pedibus vtitur, ipse in summa reipublicæ arce residens, cunctaque contemplanus. S. Probè. G. Nec verò conueniret maiorem illam curam ipsum relinquere, & inferioribus rebus operam dare: quoniam Apostoli negabant se predicationem verbi Dei deserturos, & ministraturos mensis, sed mandabant eam rem Diaconis. S. Pulchrè. G. Et est res perinde atque si in media vrbe fontemingas, vnde ad omnes vrbs regiones aqua ducatur, cui rei cum vnus sit præpositus curator aquarum, qui veram fontis gubernandi & aquæ ducendæ rationem solusteneat, alios sub se habeat qui singuli singulis regionibus vrbs præsent, & licet ipsam artem non habeant, rationem tamen tenent qua mandata eius exequantur, quorum curam ipse gerat vtrum rectè faciant nec ne; uti de Minoë legislatore fiebat, qui Dicastas sub se habebat duos, Rhadamanthum in vrbe, & Talum in agro. S. Quid? hanc Dicasticam quomodo diuidis? G. In intelligentiam iuris ac legum per Nomotheticam constitutarum (nam absque illa nulla potest fieri executio) & ipsam executionem: de quibus singulis exponemus.

De intelligentia iuris & legum, eiusque diuisione.

TITVLVS VII.

S. **I**NTELLIGENTIA iuris ac legum quonam modo paratur? G. Recta docendi discendi que iuris ratione, quæ tribus interpretandi generibus continetur. S. Quibus verò illis? G. Scholastica, quæ in scholis ferè locum habet, forensi, quæ in iudicio, & politica, quæ in republica: quamquam omnes sunt omnium, quoniam quæ in scholis traduntur, animos ad ea præparant quæ in foro & republica geruntur.

De scholastica iuris & legum interpretatione.

TITVLVS VIII.

S. **Q**UID? de scholastica iuris interpretandi ratione quid ais? G. Hanc duplicem statuo. S. Qui sic autem? G. Nam partim simplex est & inchoata, partim plena & perfecta, ut in omnibus rebus bene tradendis fieri assolet. vnde Iustinianus iura populi Romani ita tradi posse ait commodissimè, si primùm leni ac simplici via, post deinde diligentissima atq. exactissima interpretatione singula tradatur. Sed dicendū est de singulis.

De via simplici & inchoata.

TITVLVS IX.

S. **E**RGO de via simplici & inchoata quid ais? G. Hanc in tres gradus diuido. S. Cedo quos? G. Vniuersalem, generalem, & specialem. S. Rectè. G. Quæ quidem res perinde se habet atque si procul quid conspicias, quod primùm animal esse appareat, deinde propius accedens homo, post Caius aut Seius.

De

De vniuersali iuris interpretatione.

TITVLVS X.

S. **V**NIVERSALIS autem iuris interpretatio in quonam consistit? G. In extrema iuris quod cognoscendum est quasi delineatione, quæ prima est tabulæ futuræ apud pictores circumscriptio: veluti si leges Platonicas quis docturus, primum omnium intelligat, libros omnino esse duodecim, quibus continentur; ex quibus primi quatuor, præcæmium iuris ac legum continent, sequentes ipsa iura legesque, vltimi sanctionem earum & iudicia. S. Rectè. G. Et in lege Mosaica, liber Geneseos pro præcæmio est; libri Exodi, Leuitici, & Numerorum, pro ipsis legibus; & Deuteronomium pro conclusione legis. S. Intelligo. G. Nec aliter se res habet in iure ciuili Romanorum, ad cuius vniuersalem intelligentiam necessarium est vt scias, quibus librorum generibus contineatur. S. At quænam autem illa sunt? G. Vnum est Isagogicum, quo prima iuris ciuilis elementa quatuor elegantissimis libellis Institutionum describuntur. S. Audio. G. Alterum genus eorum est librorum, quibus plenè perfectèque vniuersum ius ciuile continetur, qui partim ex veterum Iurisperitorum monumentis collecti sunt, partim ex constitutionibus Imperatorum: prioribus Pandectarum nomen est impositum, quia omnia comprehendunt; & Digestorum, quia certo ordine sunt digesti, idque secundum ordinem edicti perpetui, quod legum duodecim tabularum vestigiis insisteret: posteriores Codicis Iustiniani inscriptionem habent, quem post Theodosianum ille condidit. S. Intelligo. G. Tertium genus librorum correctorium est, & quasi pro supplemento. nam cum nulla iura legesque tam plenè absoluteque describi possint, vt non auxilio & emendatione additioneque, pro rerum ac temporum commutatione, nonnunquam indigeant; his libris ea inserta sunt, quæ ad superiorum emendationem & supplementum pertinent, vnde & Nouellarum constitutionum nomen habent. S. Optimè. G. Et quidem si quis studiis iuris ciuilis tractandis veram rationem exsequi velit (omnes autem velle debent) non in id solum incumbet, vt tria hæc genera librorum diligenter euoluat, sed & eo ipso ordine quo diximus, quem si quis perturbet, aut nunquam aut serò admodum, & magna cum difficultate, ad id quod intendit, perueniet.

De generali iuris interpretatione.

TITVLVS XI.

S. **N**AM generalis interpretatio quænam est? G. Quæ de singulis membris supradictis exquirat, in quasnam partes distribuatur, haud aliter atque apud pictores fieri solet, qui post delineationem supradictam factam, ad articulationem procedunt, dum imaginem futuram per artus, membra, & articulos, non exactè quidem, sed distinctè describunt. S. Bene narras. G. Idque haud aliter atque si post legem Mosaicam in quinque libros distributam, quod vniuersale est, singulorum librorum quænam capita sint, & quæ eorum summa sit quæras, quod generale. S. Scitè. G. Et in iure ciuili Romanorum post supradictam generalem cognitionem ad singulos libros procedas, & quæ partes eorum sint cognoscas: quod duobus modis fieri potest; vno sine arte, & altero ex arte. S. Sine arte quis est? G. Cum res per partes & frustra diuiditur: nam hac ratione Institutiones in libros quatuor, libri autem in certum numerum titulorum: quod & in Pandectis & Codice obseruatur. S. Ex arte autem? G. Cum per genera & species proceditur: veluti si Institutiones ita partiare, vt omne ius partim ad personas pertinere dicas, partim ad res, partim ad actiones; & porrò ad singula procedens, tum quidem personas per suas species deducas, tum verò res & actiones, nec antè conuiescas quàm ad singulos titulos sit peruentum, quos hoc modo pulchra quadam œconomia comprehendas: quæ est vera illa ratio tradendi iuris, quam Cicero in libris de oratore demonstrat. S. Verum. G. Ac quantum ad libros Pandectarum attinet, quoniam hoc in iis agitur, vt totam iuris & iudiciorum descriptionem comprehendant (à qua re nec libri Codicis abhorrent) tria omnino sunt capita quod cuncta reuocantur. Primum ea continet quæ iura ipsa & iudicia præcedunt, quæ τὰ πρῶτα siue Priora dicuntur; Alterum iura ipsa & iudicia ordinaria, quæ partim ciuilia sunt, partim prætoriana, partim criminalia; Sequens reliqua quæ post iura & iudicia ordinaria sequuntur, quæ Posteriora non malè quis dixerit. Atque ab his summis generibus descendendo, tota porrò series rubricarum ordine pulcherrimo contextitur, in quo quædam quasi facies edicti perpetui

petui & duodecim tabularum repræsentatur, vt post latius dicitur. S. Rectè. G. Nec verò sententiam eorum probare audemus, qui elegantissimum ordinem Digestorum repudiantes, ad Institutionum tria capita ius omne reuocare student. Qui quidem, præterquam quòd Iustiniano & reipublicæ, ipsique edicto perpetuo, & duodecim tabulis, atque ad eò toti antiquitati Romanæ iniuriam facere videntur, haud equidem scio an satis (quod cum bona venia dicatur) intelligant, longè alium ordinem ac distributionem in Isagogicis libellis, qui vocabulis artis potissimum seruiunt, alium in rebus ipsis tradendis, à doctis hominibus seruari. quod nisi per se luceret, exemplorum lumine illustrarem. S. Probè. G. Quamquam vnum admonendum est, quod & suprâ attigimus, nempe quòd artem ipsam Iuris in hoc ordine ac methodo plerique omnes ponunt, haud ita se habere, sed tertio loco ab ipsa arte Iuris hanc rem abesse, nec quicquam habere cum ea commune, sed aliunde, hoc est, ex particula quadam vulgaris Dialecticæ, quæ de Methodo tractat, sumi. Nam quemadmodum Pisistratum non ob id poetam dicas, quia libros Homeri in ordinem rededit, sed tertio gradu ab arte poëtica abfuisse, quippe cum primo loco est ars ipsa poëtica, quæ in mente erat Homeri, secundo poëma ipsius ex arte expressum, cui tertio accedebat facultas qua poëmata dispersa in ordinem colligebantur; ita etiam hîc dicendum est, non ob id Iurisconsultum, siue artis Iuris peritum, quem esse, quia facultate hac methodica sit instructus; sed tertio demum gradu ab ea abesse: sic vt cum primo loco sit ars ipsa condendarum legum, hoc est, Nomothetica, quæ est in mente legislatoris, secundo autem leges ex arte expressæ; tertio demum loco sequatur facultas hæc extrinsecus assumpta, quæ leges dissipatas ac disiectas in vnum colligit, & certo ordine disponit. De qua Cicero libellum conscribens, cuius Aulus Gellius meminit, non de arte Iuris, eum inscribit, sed de Iure ciuili in artem, hoc est, in ordinem redigendo. S. Optimè sanè. G. Plane Nouellarum constitutionum ordo (quantum quidem ad Iustiniani dispositionem attinet) non est alius, nec verò esse debet, quàm secundum rationem ac seriem temporum; prout quæque res auxilio aut correctione indigere videbatur.

De speciali iuris interpretatione.

TITVLVS XII.

S. **N**UNC specialis gradus interpretationis quis est? G. Cum post capita illa generalia, quæ Rubricæ, siue Tituli in Iure ciuili Romanorum vocantur, ad eum modum quo dictum est comprehensa, circa singula, tria summatim exquiruntur. S. Quænam autem illa? G. Primum, vt verborum cuiusque rubricæ significationem intelligas: veluti quod circa titulum de pactis dicitur, pactum esse duorum vel plurium in idem placitum consensum. Atque adferet quidem ad eam rem maximum adiumentum, si tractatus Pandectarum de verborum significatione, ipso statim ingressu studiorum, vnà cum Institutionibus ediscatur. S. Quod alterum? G. Vt cuiusque rubricæ sententiam generalem siue legem principalem teneas: veluti cum de pactis sic edicit prætor: Pacta conuenta, quæ neque dolo malo, neque aduersus leges, plebiscita, senatusconsulta, edicta Principum, neque quo fraus cui eorum fiat, facta erunt, seruabo. Atque vbi quidem vel edictum aut simile quippiam non exstat, non omnino difficile est generalem sententiam rubricæ paucis verbis comprehendere. S. Quod reliquum? G. Vt præter legis constitutionem etiam ratio eius intelligatur: veluti cum de pactis ita dicit Vlpianus: Huius edicti æquitas naturalis est. quid enim tam congruum fidei humanæ, quàm ea quæ inter nos placuerunt, seruare? Ad quam rem plurimum iuuabit tractatus Pandectarum de Regulis Iuris antiqui, quem & ipsam in principio studiorum ediscere oportet, sic vt primus locus libellis Institutionum, secundus vtrique tractatui de Verborum significatione, & Regulis Iuris, tertius rubricis Pandectarum, Codicis & Nouellarum tribuatur, qui est primi anni studiorum labor. S. Optimè. G. Quem qui bene collocarit, ad sequentia facilem sibi viam munierit: qui verò minùs, multum cum iis conflabitur, & proficiet parum. nam hæc pars bene percepta, & ad artem ipsam, ac scientiam legalem reuocata, & prima est, & vltima, & media vniuersi studij iuris ciuilis.

De plena & perfecta iuris & legum interpretatione.

TITVLVS XIII.

S.



DEINCEPS de plena perfectaque scholastica ratione expecto vt dicas. G. Hæc in duobus consistit. S. Quibus autem illis? G. Primùm, vt generaliter quæ sub quoque titulo vel rubrica comprehensa sunt, explicentur: tum vt ad singula descendatur. S. Quo pacto generaliter? G. Sini- mirum antequam ad singula venias, summam totius tituli & ordinem bre- uiter strictimque ob oculos ponas: quæ res mirifice & ad intelligentiam, & ad memo- riam, & ad animos exsuscitandos prodest. S. Quo pacto ad singula descendendo? G. Cùm singulæ leges quàm fieri potest exactissimè enodantur. Dicemus autem de vno & altero.

De singulorum titulorum interpretatione.

TITVLVS XIII.

S.



SINGVLORVM autem titulorum, & eorum quæ sub iis continentur, in- terpretatio quonam modo potissimùm fieri debet? G. Certè cùm ea res à nonnullis sic tractetur, vt nulla habita ratione ordinis Iustiniani, ipsi sibi nouum ordinem cuiusque tractatus constituent, vt apud eos qui Summas conscribere, videre licet, à nonnullis autem ita, vt Iustiniani quidem ca- pita in interpretando sequantur, sed tanquam scopis dissolutas, quod dicitur, & quæ nul- lo modo inter se cohæreant: recta ratio videtur, vt prout quisque liber iuris & quo ordine scriptus est, ita sit exponendus. S. Qui sic autem? G. Nam primùm de Institutionibus nemo vt puto ambigit, quin quæ sub quoque titulo posita sunt, certa ratione atque ordi- ne sint digesta. S. Rectè. G. Deinde Codex ita compositus est, vt quæ sub quaque rubri- ca sunt Principum constitutiones, non quidem pro rerum, sed temporum serie, prout quis- que Imperator prior posteriôrue vixerit, sint collocata. S. Probè. G. Ac quantum ad Pandectas attinet, in iis rerum est artificiosa certa que digestio ac distributio: quod tum quidem inde manifestè colligitur, quòd sæpe ad vnã sententiam explendam, plura le- gum capita, ex diuersis iuriconsultis desumpta, connectuntur: tum verò ex eo quòd non- nulli tituli prolixiores in certas partes diuiduntur, vt in titulo de verborum obligati- bus, qui in tres partes distributus est, apparet. Ac quamquam quidem non omnia iuris- consultorum responsa ita cohæreant vt continuam orationem faciant (id enim multitu- do rerum singularum non patitur) verum tamen est, vnãquamque rubricam certis capi- tibus ordine dispositis constare, quæ sua quæque responsa sub se habeant. idque duobus ferè modis. S. Dic quibus? G. Vno, cùm proposito edicto prætoris, ædilise, vel lege, aut senatusconsulto, orationeue Principis, ad eius interpretationem reliqua applicantur; vt in plerisque omnibus titulis de interdicitis, aliisque non paucis videre licet. S. Intelli- go. G. Altero, cùm certis propositis quasi locis, ad eorum numerum responsa prudentum accommodantur: veluti cùm in titulo de suspectis tutoribus & curatoribus, primùm tra- ctatur vnde descendat suspecti crimen, & apud quos postulari quis possit suspectus; de- inde de quis, & à quo, & ex quibus causis remouetur, & de pœna suspecti. Atque hæc qui- dem capita licet non semper, imò perrarò nominatim exprimantur, plerumque tamen in- sunt, si quis ordinem cuiusque tituli diligenter consideret. Et fit non infrequèter vt quod- dam reperiat totius tituli quasi proœmium, & item epilógus; veluti cùm tota materia interpretationis consumpta, quædam sine ordine subiiciuntur, quæ sub edicti verba, vel ti- tuli capita commodè non cadebant. S. Bene dicis. G. In Nouellis autem quoniam vnã ferè res dumtaxat sub quaque constitutione tractatur, nihil admodum de ordine labora- tur, & si plura subinde congeruntur, ipsa se produnt.

De singularum legum interpretatione.

TITVLVS XV.

S.



NUNC singularum autem legum quonam modo fit interpretatio? G. Eã verò quatuor omnino rebus constat. S. Quibus verò illis? G. Vna, quæ legis ipsius est, & in ipsa collocata: altera, quæ rationis legis, & supra eam est posita: sequens, quæ vis eius est & effectus, & ex illa effluit infraque il- lam descendit: & vltima, mixta, quæ plures leges inter se comparans, pu- gnã earum, quam antinomiam vocant, dissoluit. S. Præclarè narras. G. Ac prima qui- dem

dem inde nascitur quod in omni re enodanda, quid ipsa sit, & quid velit, ante omnia exquirendum est: Secunda, quod ubi quid quidque sit, & quid velit, cognoris; ad hoc te fert natura, ut cur ita se habeat, aueas cognoscere: Tertia, quod post naturam & causam cuiusque rei exploratam, vim eius & effectum scire desideras. Quibus exploratis, quoniam ita comparatum est, ut non singulis rebus seorsim, sed vniuersis coniunctè in vita utamur: succedit naturali ratione quarta dispectio, ut postquam res singulas per se contemplati sumus, cum aliis eas comparemus, & an omnia apta sint & inter se conuenientia, dispiciamus. Nos primam partem Historicam, alteram Etymologicam, sequentem Practicam, vltimam Analogicam, secundum veterum vestigia vocabimus.

De interpretatione historica.

TITVLVS XVI.

S. **R**IMVM autem historicam interpretationem quam vocas? **G.** Quæ quidnam lex velit, exponit. **S.** Audio. **G.** Ad quam quidem rem primum omnium necessarium est, ut de scriptura eius constet; non quidem pro eorum sensu & arbitrio, qui nec rerum vsu, nec vera scientia imbuti, leges sacrosanctas, quæ inuiolatæ esse debent, suis correctionibus, quas vocant, contaminare non verentur, & ex certis incertas reddere: sed secundum communem vsu, qui ab omni memoria receptus, & perpetua prudentum interpretatione confirmatus est, aut certè ex emendatione eorum, qui omnibus rebus ad eam rem necessariis instructi, ætate graues, eruditione præstantes, vsu rerum prudentes, publica auctoritate ad id fuerint constituti. **S.** Probè narras. **G.** Vbi de scriptura constat, altera cura est, ut si qua verba sint obscuriora, exponantur; si qua prænoscentia, præmuniantur; si qua memoria antiquitatis altius repetenda & replicanda est, enodetur; & si quæ sunt his similia, quæ ex elegantiori eruditione ferè depromuntur. Quæ quidem ob eam rem minime negligenda, sed studiose colenda est vero Iurisconsulto futuro; sic tamen ut modus adhibeatur, & quid inter ea quæ non ignoranda sunt, & quæ omnino cognoscenda discriminis sit, intelligatur: nam peruagatum est, verborum priorem, rerum potioem debere esse curam. **S.** Sic est. **G.** His explanatis, per se ferè lucet, quidnam lex velit, nec aliud restat quàm ut breui summa sententia eius comprehendatur, & posita ob oculos facti specie in ipsum quasi forum producat, quæ res multos habet vsus ac commoditates, tam ad legis sensum facilius percipiendum, quàm ad iuuenum animos ad quæstiones iuris assuefaciendos. **S.** Reuera dicis. **G.** Atque hæc quidem cum ad substantiam legis pertineant, si quæ porro in eadem se offerant, quæ partes eius, & virtutes, gradusque, & alia naturalia quæ supra vocauimus, spectant; & ipsorum nominatim mentio fieri debet. **S.** Teneo. **G.** Vltra quæ si & circa formas externas legis aliquid occurrat, nec non circa eius originem, & ipsum debet admoneri, ne quidquam quod ad historicam eius intelligentiam pertinet, omittatur. **S.** Rectè. **G.** In qua quidem re vitium autem quod vitari debet, est, ne apprehensis verbis legis, contra eius nitare voluntatem; quod, ut supra tradidimus, est fraudem facere legi.

De interpretatione etymologica.

TITVLVS XVII.

S. **D**ENIC etymologicum interpretandi genus quod appellas? **G.** Ei huic propositum est, ut legis propositæ veritatem, vnde nomen habet, exquirat, ita indagando causam & rationem (à qua re & analogica interpretatio dici potest) cur ita sit constituta: qua quidem re nihil nec pulchrius, nec cum ipsa disciplina legali coniunctius in toto hoc studio inuenitur. Et quidem quemadmodum de Dædali statuis fertur, pulcherrimas quidem eas esse, sed solutas mox fugere, ligatas autem manere; ita legis cognitio perpulchra quidem est; sed nisi ratione ligetur, mox fugit ex animo; confirmata autem & colligata ratione, semper permanet. **S.** Quid, hæc autem interpretatio quoruplex est? **G.** Duplex. **S.** Quid ita verò? **G.** Nam vna est, ut quænam dubitandi iusta sit ratio exquiratur: nam haud ferè doctis quæ nullam dubitationem habent, leges ferri solent; sed iudicia dumtaxat constitui, quibus rectè facta præmio, contraria, poena afficiuntur. **S.** Rectè. **G.** Altera, ut quam ob rem ita constitutum fuerit, explicetur, quod ea re tenetur, non quidem ut vulgaribus illis rationibus, quas communiter exquirunt, & vagæ & incertæ sunt, contenti simus; sed ut ad
sua

sua propria veraque principia quamque legem reuocemus, & quibus rationibus, causis, & occasionibus constet, intelligamus. S. Rectè. G. Inter quæ quidem tria hoc interest, quòd ratio est quæ in natura ipsa est insita, siue res qua de. lex facienda est, adsit, siue non sit: veluti non perumpere aggeres, ne aqua noceat, id enim per se æquum esse quisque perspiciat, siue regio aggeres habeat, siue non habeat. Causa est, cum non solum ratio, verum etiam res adest, quæ legem fieri suadet; vt si aggeres sint in prouincia: nam frustra ferè leges de aggeribus non rumpendis feras, si nulli sunt aggeres. Occasio est, quæ post rationem & causam, oportunitatem constituendæ legis tribuit, quæ sæpe expectanda est, vt aptius latio legis cadat: veluti si post insigne aliquod damnum, quod aggeribus perumpendis contigit, lex fiat de non rumpendis aggeribus. Atque hoc quidem modo circa postulationem mulierum apud Romanos prohibitam, occasio erat improbitas Calpurniæ; causa, communis usus postulandi mulierum; ratio, pudor sexus. S. Bene dicis. G. Et quidem in his rebus, primum ipsius substantiæ legis indaganda est ratio, quæ in subiecto & prædicato, statuque coniecturali, definitiuo, vel iuridiciali consistit: deinde autem eorum quæ proximè accedunt ad substantiam, cuiusmodi sunt partes, virtutes, gradus, & alia naturalia legis, de quibus supra est expositum: tum verò formarum externarum legis, si quæ sunt; nam non omnia vbique, sed alia alibi se offerunt. S. Probè. G. Ac vitium quidem, quod in hoc genere fugi debet, est, ne si rationem non inuenias, mox legem sine ratione esse clames. nam præterquam quòd non omnium quæ à maioribus constituta sunt, ratio reddi potest; tum nihil est perniciosius in ciuitate, quàm huiusmodi vocesmittere. Et ideo apud Lacedæmonios prohibitum olim fuisse Plato refert, ne adolescentes in legum rationes inquirerent, nisi essent qui ad rempublicam regendam ac gubernandam, sub magistris educarentur: de quibus hinc agimus.

De interpretatione practica.

TITVLVS XVIII.

S. **N**unc practicum interpretandi genus quodnam est? G. Quod vim & effectum legis propositæ explicat. nam scire leges, non hoc est, verba earum tenere, sed vim ac potestatem. S. Id autem quibus rebus continetur? G. Primum, vt præter expressam legis voluntatem, tacitâ etiam eruamus. Nam cum verba cuiusque legis partim ad rem pertineant qua de agitur, vt parentes; partim ad constitutionem de re, vt honora; ea legis voluntas expressa dicitur, quæ verbis vtriusque generis claris & apertis, secundum propriam eorum significationem demonstratur: ea autem tacita, quæ deficientibus verbis propriis, siue vtrisque, siue alterutro eorum, ex latiore vel restrictiore eorum significatione vel ratione legis deducitur. Nam si lex dicat, genitorem honora; patrem honorandum esse expressum est, matrem autem tacitum, ex verbi genitoris productione, & rationis æqualitate: nam vbi eadem est ratio, eadem quoque esse debet iuris dispositio. S. Teneo. G. Secundò, in eo consistit hæc interpretatio practica, quòd quædam re ipsa à legis constitutione profus absunt, quorum tamen effectum si consideres, in vim eius cadunt: nam hac ratione alia caduca dicuntur, alia in vim caduci cadere: & intestatus licet propriè is sit qui nullum testamentum condidit, vi tamen & effectum intestatus etiam est, cuius testamentum nullum exitum habuit. Nec aliò pertinet quòd quædam, licet ad rei ipsius naturam ac substantiam non pertingant, vi tamen & effectum quasi res ipsa censentur, vt quasi contractus, quasi delicta, & alia de genere eodem. S. Intelligo. G. Tertio quoque ad hanc interpretationem practicam referendum est, quòd ex specialibus legum constitutionibus generales quædam sententiæ nonnunquam eliciuntur: quod genus acutum est & fructuosum imprimis, dummodo modus teneatur, & non longè petita, sed vltro oblata sint quæ annotantur, ne in infinitum res crescat. S. Bene dicis. G. Quartum quod huc pertinet, est, cum aliquæ circa legem propositam quæstiones mouentur: quod tum quidem plenioris intelligentiæ causa fit, tum verò ad vim & effectum usumque eius demonstrandum. in vtroque autem diligenter cauendum est, ne quid nimis. S. Verum. G. Atque ex his quidem practicæ interpretationis partibus omnia dependent, quæ ad extendendam aut restringendam legem pertinent.

De analogica interpretatione.

TITVLVS XIX.

S. **D**E HINC analogica interpretatio quænam est? **G.** Quæ circa hoc versatur, ut quæ in speciem contrariæ ac pugnantis leges videntur, ratione quadam concilientur. quod quatuor vias habet. **S.** Quæ est prima? **G.** Vt verbis legum, auctoribus, locis, antecedentibus, consequentibus, coniunctis, subtiliter notatis, dispicias ecquid res de quibus quaque lege agitur, eadem sint an diuersæ. nam si diuersæ sint, nulla potest esse antinomia; si eadem iisdem modis, subtiliter notandum est, vtrum constitutiones earum conueniant, an verò discrepent: quoniam si conueniant, nulla quoque antinomia est. **S.** Quæ secunda? **G.** Vt in legum discrepantia videas, quo pacto quæque lex loquatur. nam si vna hoc agat ut rus faciat, altera verò non, sed hoc dumtaxat ut crassa minerua, exemplo, vel aliter rem declararet, ut in libris Institutionum nonnunquam accidit; res ipsa demonstrat, quæ cui præferri aut cedere debeat. **S.** Quæ tertia? **G.** Vt cessante supradicta conciliatione, temporum quibus leges conditæ sunt, ratio habeatur: nam non est nouum ut priores leges ad posteriores trahantur, quod discrepantia earum tollatur. Cui accedit quod inter legum conditores alij auctoritate præstant alijs, & quod ex duabus legibus contrariis vna sæpe pluribus iuris locis iuuatur, alia non item: in quo non exiguum positum est momentum. **S.** Quæ quarta? **G.** Vt si omnibus supradictis tentatis, nihil adhuc explicetur, diligenter consideres quæ lex cui speciei iustitiæ, veluti rigori aut æquitati, distributiue aut commutatiue; & sic deinceps, magis congruat; & quæ quibus rationibus, hoc est, internis an externis, physicis an logicis, vel moralibus, & sic deinceps, nitatur. his enim animaduersis, non difficile diiudicatur quæ cui præponderare debeat, idque tum quidem pro quaque re, tum autem ex generali regula, quæ tradit, in omnibus rebus potioem iustitiæ æquitatisque quam stricti iuris debere esse rationem.

De forensi iuris ac legum interpretatione.

TITVLVS XX.

S. **Q**UONIAM de scholastica iuris ac legum interpretatione dictum est, deinceps de forensi, quam secundam posuisti, volo ut exponas. **G.** Hæc ita dicitur non quidem quia in scholis non attingitur, sed quoniam in foro ac iudicio eius potissimum est vsus. **S.** In quo autem consistit? **G.** Vt rebus in vita communi foroque versantibus iura legesque accommodentur, ad eas dirigendas ac gubernandas. **S.** Quæ? quomodo eam diuidis ac distinguis? **G.** In legis actiones, & quæstiones fori.

De actionibus legis.

TITVLVS XXI.

S. **D**E legis actionibus quid ais? **G.** Eas hinc voco per quas à legibus ad res forenses descenditur, idque tam vsum earum in vita communi, quam cautiones ex iis, & formulas experiendi, demonstrando. **S.** Vsus autem quomodo demonstratur? **G.** Cum ostenditur, quo pacto id quod legibus descriptum est, in vita communi, vel in foro vocetur, & quo pacto re ipsa ad effectum deducatur: nam quotidie videmus, vnâ atque eandem legum constitutionem diuersis modis apud alias atque alias nationes executioni mandari. Quæ res haud paulo fructuosior est, quam ad duodecim tabularum, aut Romuli, aut si quæ sunt alia vetera & obsoleta iura, quæ ne ab antiquis quidem iurisconsultis ipsis satis intelligebantur, homines reuocare, & dum illis plus quam decet, adhærescunt, inutiles ad rempublicam & iudicia efficere; nisi fortè rei intelligentia id exigat, quod perarum est; vel ad elegantiores doctrinam obiter fiat, quod liberale, vel denique Grammaticum, non Iurisconsultum quis se profiteatur, cui sanè habenda gratia est, quod studia nostra pro virili parte iuuare conatur. **S.** Quæ sunt cautiones? **G.** Quæ ostendunt quo pacto quæque res secundum iuris ac legum præscriptionem agi contrahere debeat, ut in tuto ipsa sit, & cautum sit contractibus, veluti si dum ius ciuile doces, ostendas quibus modis & verborum formulis testamenta

stamenta rectè condi, sponsalia fieri, stipulationes concipi debeant. S. Quæ experiendi in iure formulæ? G. Conceptiones actionum & exceptionum, quibus de iure suo homines in iudicio contendunt; quas bene describere, permagni ferè interesse, & in non minima parte iurisprudentiæ poni solet, tam apud veteres secundùm prisca illa iura, quàm recentiores secundùm ius nostrum quo vtimur; quorum libri in manibus versantur.

De quæstionibus fori.


TITVLVS XXII.

S. **D**EINCEPS quæstiones fori quas vocas? G. Per quas à rebus ad leges ascenditur, vt per eas examinentur, quo pacto, iustè se habeant, nec ne. S. Id autem quibus modis fit? G. Inueniendo ac diiudicando. S. Inuenire quid vocas? G. Certa ratione ac via inuestigare, quidnam sit id de quo quæritur, & quale. S. Quid nam sit id de quo quæritur, quo pacto inuenitur? G. Si de quæstione constet primò, deinde autem de eo quod est iudicandum. S. Quomodo constare potest de quæstione? G. Si in quaque controuersia tum quidem intentionem actoris spectes; vt, debes mihi centum ex mutuo: tum autem depulsionem rei, non debeo. hinc enim continuò liquet, quæstionem esse, vtrùm centum ex mutuo debeantur, nec ne. S. Quomodo constat de eo quod est iudicandum? G. Si post quæstionem inuentam, tum quidem fundamentum rei intueare, vt; non debeo, centum ex mutuo, quia tu acceptum tulisti, & firmamentum actoris, non tuli acceptum. hinc enim mox fit manifestum id quod in supradicta quæstione iudicandum venit, nempe, vtrùm acceptilatio facta sit, nec ne. Estque sæpe necessarium, vt ad id quod iudicandum est, inueniendum, non solùm exceptio & replicatio, sed & duplicatio & triplicatio, & sic deinceps prout quæque res est, inspiciatur. S. Nunc quale sit id quo de agitur, in quonam consistit? & quo modo inuestigatur? G. Id verò ex statu quæstionis dependet: qui est triplex, coniecturalis, definitiuus, & iuridicialis. S. Coniecturalem quem vocas? G. Cùm quæritur an dictum, factum, aut cogitarum quid sit, quæ quæstio facti dicitur, vt suprà demonstratum est. S. Definitiuum autem? G. Cùm rem esse quidem constat, sed quænam sit, & quo nomine appellari debeat, ambigitur: vt, an emphyteusis venditio sit, an locatio. S. Iuridicialem? G. Cùm de re & nomine eius constat, sed dubiratur qualisnam sit, hoc est, iusta ne, an iniusta: quæ quæstio iuris propriè appellatur. Atque hæc quidem cùm ab oratoribus vulgo tractentur, non sunt eorum propria, sed à iurisconsultis, vt dixi, mutuo sumpta. S. Iam ea quæ inuenta sunt, quonam pacto diiudicamus? G. Quomodo autem secundùm facultatem Nomotheticen id fiat, iam suprà est expositum. Cæterùm quantum ad Dicasticen attinet, qua de nunc agimus, tribusea res vix continetur. S. Quæ est prima? G. Vt dispicias ecquid res proposita legibus, secundùm quas iudicandum tibi est, sit definita, siue tacitè siue expressè, siue reipsa, siue vi ac potestate, vt suprà diximus. nec est infrequens, vt quod vna lege non inuenitur definitum, pluribus inter se iunctis reperitur. S. Secunda autem? G. Siquidem legibus definitum non reperias, vt videas an ne ex iis deduci possit, siue per consequentias, siue per similitudines: de quibus suprà dictum est. Ait enim Vlpianus: Quoties lege aliquid vnum vel alterum introductum est, bona occasio est, cætera quæ tendunt ad eandem vtilitatem, vel interpretatione, vel certè iurisdictione suppleri. Item Iulianus: Non possunt, inquit, omnes articuli legibus comprehendendi: sed cùm in aliqua causa sententia earum manifesta est, is qui iurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ita ius dicere debet. S. Rectè. G. Quanquam illud notandum est, quoties aliquid vel ob necessitatem inducitur, vel iure singulari contra communem rationem iuris, ob meritum, aut aliquam causam quæ indulgentiam aut gratiam particularem exigit, vt sæpe fieri suprà diximus; id neque ad consequentias, neque ad similitudines trahi. vnde Iurisconsultus, Quæ propter necessitatem, inquit, recepta sunt, non debent in argumentum trahi: Quod contra iuris rationem receptum est, non est producendum ad consequentias: Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum. S. Probè. G. Nec alia est ratio eorum quæ tacita inclinatione animorum, licet erronea, in consuetudinem venerunt: quæ quidem licet tolerari debeant, nec cùm czlo bellum suscipi videatur, vnde vulgo dicitur communem errorem facere ius; non tamen debent trahi ad similitudinem, dicente Iurisconsulto: Quod non ratione introductum est, sed primùm errore, deinde consuetudine obtentum est, in aliis similibus non obtinet. S. Nunc tertia via quæ est? G. Vt si legibus & earum consequentiis similitudinibusque destituare, primùm ad consuetudinem eas, quæ pro lege est, & optima

earum intérpres; deinde ad res iudicatas, quarum auctoritas vim legis obtinet; tum ad prudentum sententias & opiniones, quarum magna ratio in republica habetur; post ad ipsum Nomothetam, ad quem utique Dicastæ recurrendum est, si aliis omnibus destituatur, quemadmodum Nomothetæ ad Deum, ut supra diximus.


De politica iuris ac legum interpretatione.

TITVLVS XXIII.

S.  A BEO de scholastica ac forensi iuris ac legum interpretatione: de politica nunc reddito. G. Hæc ab eo nomen habet, quod in fenatu ac republica, ubi de legibus condendis & corrigendis agitur, & utrum rectè latæ sint nec ne inquiritur, potissimum versatur: & ideo neque in communibus scholis tractari debet, ubi leges ipsas iuuenes, non autem iudicium de legibus, quas ut deas colere oportet, addiscere debent; neque in foro ac tribunali, ubi secundum leges non de iis est iudicandum. S. Rectè. G. Sed maximè omnium pertinet ad eos qui arte Nomothetica instructi (nam inde proximè effluit) legibus in ciuitate sunt præpositi, quos nocturnos iudices ac senes Plato in secunda Socratis republica vocat: deinde ad summos etiam Dicastas, qui Nomothetis proximi, aliquam etiam circa leges inferiores constituendas ac corrigendas partem obtinent, ut post dicitur: post ad maximos quoque legum doctores, ætate, eruditione, & virtute præstantes, qui hanc facultatem cum iis seorsim communicare possunt, qui tricesimum quintum annum egressi, tales se iam in studiis & vita moribusque probauerint, ut, etiamsi quas leges inferiores non optimè constitutas reperiunt, non tamen ob id minus eas colendas, & tamquam tutelares ciuitatis deos, ut dictum est, in pretio habendas putent, censentes tum quidem se nondum satis eas intelligere, tum verò dominabus etiam dyscolis esse patendū. Quos utique in hac disciplina conuenit exerceri, ut ubi ad rempublicam venerint, eam quam oportet operam citra vsum & exercitium legum nauare possint. S. Probè. G. Sed qui aliter sunt affecti, quemadmodum ad interiorem illam partem reipublicæ, ita nec ad hanc disciplinam admitti debent, ne ea instructi, supra leges se efferant, & si quid in iis non verissimum fortasse reperiunt, totas reiicere & abolere contendant: quemadmodum sæpe accidisse, & quidem hoc tempore contingere videmus. Nec aliò pertinet quod dicit Dominus, non esse sanctum dandum canibus, nec proiciendas margaritas ante porcos, ne fortasse conculcent eas pedibus, & conuersi dirumpant nos. S. Hanc igitur politicam interpretationem quamnam esse dicis? G. Partem quandam Nomotheticæ, de qua supra expositum est: & ideo quæ de ea iam diximus, multo magis in ipsa Nomothetice locum habent. S. In quo autem consistit? G. In duobus. S. Quod est primum? G. Ut certa via ac ratione diiudices utrum leges latæ rectè se habeant, nec ne: idque tum quidem secundum substantiam, quo ad res, tum autem secundum formam, quoad personas, tum verò secundum naturalia, quoad res & personas, prout supra est expositum. Arque hæc quidem est interpretatio, quæ à primis principiis repetita, hominem verè prudentem & politicum efficit, & ad rempublicam regendam ac gubernandam idoneum reddit. S. Quod secundum? G. Ut si inueniatur legem non rectè se habere, dispicias ecquid mutanda sit, nec ne: nam sæpe fit ut quædam sint in republica non optima, quæ tamen non sunt mutanda, nempe cum plus periculi & mali in mutatione est, quàm in ipsa re boni, ut supra latius est expositum.

De executione legum, eiusque diuisione.

TITVLVS XXIIII.

S.  ONIAM de prima parte Dicastices, quæ circa intelligentiam legum versatur, satis dictum est: nunc de altera, quæ ad executionem legum pertinet, quid ais? G. Eius tria sunt omnino membra, quorum vnum ad leges à Nomotheta conditas in rempublicam inducendas pertinet, alterum ad exercitium earum, & tertium ad auxilium iis præbendum. S. Intellego. G. Et quidem tametsi proprium sit Dicastæ, circa leges ab aliis conditas versari: aliquo tamen modo ipse quoque legislator est secundarius, cui à primario, post summa legum capita constituta, multa inferiora relinqui supra tactum est, ut ad exemplum & imitationem ea suppleat. Ac quemadmodum reipsa videmus, canones conciliorum generalium in Ecclesia non posse mitti executioni, nisi & prouincialium conciliorum canones fiant inferiores: ita nec Dicastæ commodè leges à Nomotheta latas ad effectum deducere possunt

rest, nisi & leges quasdam inferiores subinde condant, quemadmodum prætores & ædiles Romæ pro sua iurisdictione fecisse constat. vnde fit vt tria hæc quæ ad munus Dicasticæ pertinere diximus, eadem propè sint cum iis quæ de Nomothetæ munere supra sunt relata, quamquam tamen gradu diuersa sunt: vt de singulis ordine videbimus.

De legum in rempublicam inductione.

TITVLVS XXV.

S. **R**EGO leges à Nomotheta conditas quomodo Dicasta in rempublicam inducit? G. Colligendo, componendo, edendo. S. Quid vocas colligere? G. Leges dissipatas in vnum iungere, idque siue eius sint reipublicæ in qua quis degit, quomodo Papirius leges curiatus dispersas conquirebat, & in vnum iungebat: siue aliarum rerum publicarum, quemadmodum decem illi Romæ, qui in Græciam mittebantur ad leges petendas, quas à Lacedæmoniis & Atheniensibus potissimum, vt Iustinianus prodidit, accipiebant. S. Rectè. G. Ac quamquam quidem istud non tantæ facultatis sit ac scientiæ, quantæ est leges condere; attamen absque aliqua eius parte, & sine certo animi iudicio fieri non potest. Cui adde quòd multarum vrbium ac gentium mores, leges, respublicas, ac res gestas nouisse, externam quandam speciem politicæ scientiæ, vti apud Aristotelem est, adumbrat, & ad eam aliquo modo accedit; quamquam veram intelligentiam non tribuat, nisi cum ea coniungatur, quod apprimè est vtile. S. Componere leges quid nominas? G. Leges collectas certo ordine digerere, quemadmodum de legibus duodecim tabularum, edicto prætoris, & hoc iure ciuili quo vtimur, constat esse factum: quæ res licet tertio loco ab ipsa vera iurisprudencia arteque absit, vt supra probauimus, ad communem circa eam rem errorem demonstrandum: vix tamen est vt leges rectè quis disponat, nisi qui in iis, si non ad summum, aliquid tamen vsque laborauerit. S. At quamobrem? G. Quoniam haud satis est methodicam artem tenere, nisi & rerum quas in methodum redigere velis, quoquo modo sis peritus. Nam cum circa easdem res plures sæpe artes versentur, aliter eas diuidere ac disponere secundum vnam artem oportet, aliter secundum alteram: & ideo de rebus ad hominem pertinentibus aliam methodum medicus, aliam iurisconsultus instituit: & si quis aliter facit, ineptum se ostendit, & vel artis ipsius methodicæ, vel rei quam in methodum redigere vult, vel vtriusque imperitum. S. Probè. G. Cui & hoc accedit, quòd alius ordo in isagogicis libellis, vbi de vocabulis & primis elementis agitur, tenendus est; alius iis in libris vbi plena ipsa res, eiusque vsus docetur. Et ideo alius ordo in Isagoge Porphyrii, alius in Categoriis Aristotelis, alius in Progymnasmatibus Rhetoricis Aphthonij, alius in Rhetorica ipsa Hermogenis, alius in libris Institutionum iuris ciuilis, alius in Pandectis siue Digestis seruatur, vt antè tactum est. S. Nunc edere leges quid dicis? G. In publicum eas proferre vbi collegeris, & in vnum composueris; siue is qui edit, aliquid de suo addat, siue non. S. Audio. G. Et quidem si sint leges illius reipublicæ, quæ iam antè fuerint receptæ, nisi quòd in vnum collectæ non erant, nulla in edendo adhibetur sollemnitas, nisi vt in publicum prodeant: quemadmodum de iure illo Papiriano, apud Romanos fiebat: & postea de Flauiano, cum Gneus Flavius scriba Appij Claudij, surreptum ei librum, in quo legis actiones ad formam redegerat, populo traderet. S. Intellego. G. Si verò sint leges aliunde collectæ, quibus danda sit tum primum auctoritas; eadem omnia seruanda sunt quæ de Nomothetice supra diximus, nimirum vt, Deo inuocato, prudentum consilio adhibito, & populo consentiente, edantur. S. Rectè. G. Atque ita fiebat Romæ de legibus quas è Græcia decem illi attulerant, quæ in totidem tabulas redactæ (quibus post duæ accedebant) publicè examinandæ proponebantur, ad delectum faciendum.

De exercitio legum.


TITVLVS XXVI.

S. **N**AM ad exercitium legum conditarum quid pertinet? G. Vt Dicastes reipsa illas faciat obseruari, idque tribus potissimum modis. S. Dic primum? G. Iudicando siue iudicari iubendo, per arbitros, vel iudices inferiores: nam sic Romæ Prætores, apud Iudæos summi iudices post Moysen faciebant. S. Dic secundum? G. Docendo, & doceri iubendo: nam ad hoc pertinet quòd in republica Israelitica & iudices & magistri erant in singulis ciuitatibus; & apud Romanos iurisconsulti hanc operam præstabant, dum populo cui de iure

respondabant, se præberent, & sectatores suos adolescentes nobiles instruerent. Et quæ hodie in ecclesia & republica nostra est doctrina ecclesiastica ac ciuilibus, ex iisdem his fontibus manauit. S. Dic tertium? G. Dispiciendo ut vnumquodque, quemadmodum oportet, in ciuitate fiat: quod Dicastes tum quidem per se ipse facit, uti de Talo proditum est, qui Cretam insulam, ut dictum est, quotannis obibat, dispiciens ecquid leges, quas in æs incisas circumferebat, bene seruantur: tum autem per diuersa genera magistratum, qui hoc omnes dant operam, ut quæ lege constituta sunt, fiant, & ad effectum deducantur.


De auxilio legum.

TITVLVS XXVII.

S.  E INCEPS de auxilio quod Dicastes legibus conditis præbet, dicitur. G. Id haud aliud est quam quod Papinianus apud Romanos de iure prætorio dicit his verbis: Ius prætorium est, quod prætores introduxerunt adiuuandi vel supplendi, vel corrigendi iuris ciuilibus gratia, propter utilitatem publicam. Vnde Marcianus ius honorarium quasi viam vocem iuris ciuilibus esse ait. S. Quid, ipsum adiuuare in quonam consistit? G. In hoc quod Dicastes leges scriptas, per se mutas, ad effectum deducit, & ab interitu easdem vindicat, si quis forte per vim aut fraudem quidquam aduersus eas molitur: ut supra latius est expositum. S. Supplere autem? G. Ea quæ desunt, addere. nam cum nullæ leges ita scribi possint (ut tactum est superius) ut omnes casus qui quandoque inciderint comprehendantur, sed sufficiat ea quæ plerumque accidunt contineri, si quid extra ea accidat, de eo interpretatione aut iurisdictione certius statuitur, vel etiam nouis legibus secundariis, quæ ex primariis deducuntur, quarum causa Dicastes merito tanquam secundarius quidam legislator habetur, dum vel ut magistratus, vel ut iurisconsultus vnas leges ex aliis deducit, quæ post confirmatæ à primario legislatore, primariarum legum auctoritatem adipiscuntur: quemadmodum in pandectis iuris ciuilibus videre licet, quas notum est ex secundariis Prætorum & Iurisconsultorum legibus maximè esse conflatas. S. Corrigere quid vocas? G. Ea quæ successu temporis duriora, vel non satis æqua, in primis legibus reperiuntur, per posteriores leges emendando, ad æquitatem deducere: quemadmodum in iure ciuili Romanorum clarè per Prætores & alios apparet esse factum. quamquam duo ea in re sunt obseruanda. S. Quænam autem? G. Primum ut non directò, sed per circuitum id fiat, ut honor prisce iuris conseruetur, & ne secundarij legislatoris auctoritas supra primarij auctoritatem crescat. S. Rectè. G. Deinde ut non maioribus, sed minoribus in rebus, veluti quæ ad iurisdictionem conseruandam pertinent, & similibus, id fiat. cæterum si quid maioris rei incurrat, id non per Dicastam, sed Nomotheten, ut supra tactum est, emendari debet. S. Probè. G. Atque hoc modo discursis summis capitibus Nomotheticæ ac Dicasticæ, exposita sunt per Dei gratiam, quæ de vera iurisprudencia dicere habuimus.

De vulgari iurisprudencia.

TITVLVS XXVIII.

S.  POSITIS igitur iis quæ ad veram iurisprudenciam pertinent; quid, visne de vulgari iurisprudencia, & assimilata deinceps te interrogem? G. Volo sanè. ac primùm quidem de vulgari dicam, deinde de assimilata, quid sit, quomodo diuidatur, & quis eius sit vsus. S. Ergo vulgarem iurisprudenciam quam vocas? G. Facultatem administram, quæ circa vnus alicuius populi leges, earumque vulgarem intelligentiam, & vsum versatur. S. Quamobrem facultatem administram vocas? G. Quoniam non princeps ars est ac scientia, ut vera; sed ancillula quædam eius ac pedissequa, cuius opéra vitur, ut mox dicetur: & ideo qui illi præsent, non veri & expressi, sed plebeij sunt ac minuti iurisconsulti. S. Cur circa vnus alicuius populi leges eam dicis versari? G. Quoniam licet apud plerasque nationes exster, per se tamen non vniuersalis est, sed legibus specialibus, circa quas versatur, ita astricta, ut iis sublatis, simul & ipsa intereat. quod significare volebat Imperator ille, qui vno die totam iurisconsultorum Romanorum sapientiam è medio se sublatum minabatur. Ac si quid subinde veræ scientiæ hoc genus homines habere videntur, non ratione & arte constat, sed bonitate naturæ, ut Plato ait, & multarum rerum memoria, cum longo vsu & experientia coniuncta, quæ sæpe similitudinem quandam ac faciem

ciem gerit sapientiæ, cum non sit. Nam quemadmodum qui in sole ambulat, licet aliud agant, tamen colorantur: ita & qui in continentibus rerum usu versantur, aliquid subinde sapientiæ colligere videntur, licet eam reuera ne primoribus quidem labris attigerint, verumque iuriconsultum ne pictum quidem, ut dicitur, viderint. S. Quamobrem adiciis, ad vulgarem legum intelligentiam & usum hanc iurisprudentiam pertinere? G. Quoniam cum legum duplex sit tractatio, vna vera, quæ certa ratione ac intelligentia constat; & altera communis, quæ opinione fertur vaga & incerta, prior ad veram iurisprudentiam, posterior ad hanc vulgarem pertinet. Et quidem cum prima brevis sit & sibi semper consentiens, quoniam certis finibus circumscripta arteque tota tincta, ea tanquam mensura vitur, ad quam vnamquamque rem propositam dimetitur: vulgaris contra quia mensura caret, nec definitam habet regionem, cuius terminis septa teneatur, nec certum quid quod sequatur, infinita est & contentioibus plena, multisque difficultatibus obstrueta, ut ex immensis scriptis eorum qui illam sequuntur, & opinionum varietatibus, quibus summa dissentione certantes, tanquam fluctibus in vasto mari sursum ac deorsum iactantur, videre licet. Qui quidem certis quibusdam destinatisque sententiis quasi addicti & consecrati, alij in aliorum auctoritate delitescentes, cum ipsi nihil clarè videant, haud ab similes iis sunt, qui noctu oberrantes, ed accurrunt, ubi plurimas voces aliorum, æquè atque ipsi oberrantium, attolli audiunt: vel qui, cum ratione non possunt, clamore vincere student. S. Quid? Iurisprudentiam hanc vulgarem quomodo diuidis? G. In duas facultates, quemadmodum ipsam veram supra partiti sumus. S. Quas autem illas? G. In facultatem Leguleiorum & Pragmaticorum. S. Quos vocas Leguleios? G. Qui veræ legum intelligentiæ expertes & ignari, circa verba earum dumtaxat & antiquitates versantur: haud aliter atque si quis verba quidem Arithmetica calleat, ipsam autem Arithmeticam prorsus ignoret. S. Quos Pragmaticos? G. Qui & ipsi à vera legum scientia alieni, circa varias quæstiunculas ex legibus deductas versantur, quibus congerendis ac memoriæ mandandis operam nauant: haud secus atque si quis multos quidem numeros, alios aliis additos & in se multiplicatos, partim bene, partim malè computatos, memoriter teneat, ipsam autem addendi & multiplicandi artem prorsus nesciat. vnde totum hoc genus exiguum meritò habetur, ac mendicium. S. Horum autem hominum quisnam est usus in republica? G. Multus sanè, si non pulcher, necessarius certè. S. At quid ita? G. Nam primùm quidem Legulei, quorum minimè inelegans & illiberale studium est, haud contemnendam operam reipublicæ nauant, cum iis qui ad iuris ciuilibus principia cognoscenda ingrediuntur, & verba interpretantur, & origines, & antiquitates, & alia eiusmodi, quæ æquum est liberum scire adolescentulum. S. Rectè. G. Deinde Pragmatici nec ipsi exiguum munus in republica sustinent, cum litibus disceptandis se præstant: quod quidem tanto diligentius quàm qui ad altiora nati sunt, obeunt, quòd animulæ eorum maiorum rerum non sunt capaces, & quòd his tractandis magnum quid in ciuitate se facere existimant. S. Optimè. G. Ac per hos quidem (cum officium faciunt) id ipsum Nomothetæ ac Dicastæ efficiunt, quod Apostoli per Diaconos efficiebant, quos ob id creabant ut essent qui mensis seruirent, ne ipsi à docendi maximo munere, aliarumque rerum maiorum procuratore auocarentur. S. Probè. G. Ac dicuntur autem officium facere, cum Nomothetis ac Dicastis parent, & ex eorum præscripto rem agunt: quod cum sit, neque facillè errare possunt, ut cæcus qui ductorem ponè sequitur, nec labi valdè grauitè; quoniam res quas tractant eiusmodi ferè sunt, ut non tam ipsa iustitia, quam quædam eius simulachra (de quibus vulgus ut plurimum digladiatur, uti Troiani & Græci super umbra Helenæ) in iis insunt, in quibus sæpe non multum referre, quid ex pluribus statuatur, verè docti non ignorant, licet vulgares illi ac minutuli magnis ferè clamoribus de iis, ut pueri de nucibus, certent. S. Rectè. G. Et quidem cum veri perfectique iuriconsulti ad prima principia omnia reducant, eoque tanquam ad clarissimos septentriones semper respiciant, in totius orbis ambitu obeundo; hi communes, in quibus non tanta vis ingenij inest, ea tantùm spectant inferiora quæ à superioribus sunt constituta, ad quæ, certis quibusdam in rebus minoribus, tanquam pharos quosdam & alia signa in mari posita spectant, ad parua alicuius regiunculæ navigationem obeundam.

De assimilata iurisprudencia.

TITVLVS XXIX.


NUNC de assimilata iurisprudencia quid ais? G. Ea est quæ circa iuris ac iustitiæ umbras versatur: quod ideo dico, quia neque leges ipsas & earum veras intelligentias persequitur, neque itidem communem rationem & usum earum, sed imaginem quandam & umbram dumtaxat, quæ neque scientia constat, vt vera; neque opinione, vt vulgaris; sed viso solo siue phantasia, vt supra dictum est. S. Quo autem modo eam partiris? G. In Sophisticen & Rhetoricen, vt in Gorgia apud Platonem demonstratur. S. Quam vocas Sophisticen? G. Quæ argumentis breuibus ac concisis, aliisque eiusmodi rebus, non veris quidem, nec verisimilibus, sed assimilatis tantum (quæ sophismata propriè dicuntur) circa externas legum imagines versatur, vt in phantasiam hominis (quam vocant) eas inducat. S. Quam Rhetoricen? G. Quæ oratione latius fusa & ornata, aliisque rebus eò pertinentibus, externas umbras iustitiæ, in externas hominum actiones infundere studet. S. Intellego. G. Et quidem cum circa corporis curationem duz versentur artes veræ, Athletica, & Medicina, quas imitantur & assimilant duz earum æmulatrices, Fucatoria, & Coquinaria; circa animum idem vsu venit, vt cum duz ad eum excolendum essent artes veræ, Nomotheticæ, & Dicasticæ; duz quoque earum sint æmulatrices, Sophisticæ ac Rhetoricæ, inter quas medijs interiecti sunt Legulei ac Pragmatici, de quibus iam dictum est. S. Quis autem harum æmulatricum est vsus? G. Haud exiguus certè, dummodo Nomotheticæ ac Dicasticæ pareant. S. Quid ita verò? G. Nam primùm quantum ad Sophisticen attingit, quoniam multi sunt in ciuitate rudes & imperiti, ad quos vera ratio adhiberi non potest; his Nomotheticæ ac Dicasticæ Sophistas apponunt, vt leuibus quibusdam ratiunculis, ad captum eorum accommodatis eos instruant, quibus legum umbras quoquo modo percipiant, vt communiter accidit. S. Teneo. G. Ac quantum ad Rhetoricen, quoniam vulgus non ferè ex animo virtutem sequitur, nec iudicia semper sufficiunt vt à malo deterreantur; constituuntur Rhetores, qui tum quidem verborum suauitate ac lenocinio, tum autem rerum externarum ritibus ac cærimoniis, cantibusque ac picturis, si non veram virtutem nec mediam, externam saltem eius visionem ac speciem in id genus homines inducunt. Quod quidem si non omnino optimum, necessarium certè est in republica. nam vt ille ait: Est quodam prodire tenus, si non datur vltra. S. Verum. G. Atque hæc quidem bona in republica Sophistæ ac Rhetores faciunt, si Nomothetis & Dicastis, vt dixi, pareant, & ex eorum præscripto rem agant. S. Intellego. G. Sed si contra superbia & opinionis errore elati imperium eorum detrectent, & quod deterius est, pro iis ipsis, hoc est, veris Nomothetis ac Dicastis se venditent; vide quæso quantam pestem in republicam inferant, & quam magnam stragem edant? S. Quis sic autem? dic obsecro. G. Quia cum supra demonstratum sit, tum certè perire respublicas, cum veteres picturæ, ac cantus, aliaque parua magna quæ vocauimus, mutantur, & leges diuinæ & magnæ, pro humanis & paruis, aut contra humanæ & paruæ pro diuinis & magnis habentur: hoc ita semper accidit, cum veris Nomothetis ac Dicastis oppressis, Sophistæ ac Rhetores imperium ciuitatis per tyrannidem accipiunt. Atque hoc modo rempublicam Iudaicam tum interiisse videmus, cum Scribæ eorum ac Sacerdotes in Sophistas ac Hypocritas mutati (nam eodem nomine in sacris literis censentur) in foro ac senatu dominarentur. S. Ita est. G. Atque id quidem eo etiam fit facilius & procliuius, quod vulgus simulatione magis virtutis, quam ipsa veræ & expressa capitur, & non parum sæpe verus Nomothetes ac Dicastes, verusque Rex, à Sophista ac Rhetore, siue Tyranno perdifficiliter internoscuntur, propterea quod, vt Paulus ait, Angelus tenebrarum frequenter figuram assumit Angeli lucis, sic vt qui intus tyrannus est ac lupo, foris vestem ouis & boni Regis (vt apud Aristotelem ex Platone est) ostendet: sed ex fructibus eorum cognoscetis eos, inquit Dominus. S. Hi autem quinam sunt? G. Quod cum verus Rex ac Nomotheta eiusque Dicastæ, suorum commodorum oblitus, nihil aliud studio habeat quam vt rempublicam secundum tres fines supra commemoratos, quam abundantissimam, liberrimam, & supra omnia quam iustissimam (nam is proprius eius finis est) efficiat, in quam rem omnibus vitibus ac conatibus incumbit; Tyrannus ac Sophista contrà ad potentiam & commodum suum, quod animi errore sibi finxit, omnia reuocans, iisque cuncta dimetiens, nullam iustitiæ in populo, nisi quatenus sibi fructuosum putat, rationem habet: sed hoc solum toto conatu dat operam, vt cunctos quam deterrimos effectos, animique robore ac virtute spo-

liatos,

liatos, feruitute opprimat, omnesque omnium copias ac facultates ad se traducat. S. Probè narras. G. Et verò cum hæc sint duo extrema, vnum bonum, quod Nomothetarum ac Dicastarum est; & alterum malum, quod prauorum Sophistarum ac Rhetorum; (nam & in bonam partem vtrumque nomen accipitur) medijs inter eos interiecti sunt, vt dixi Legulei, & Pragmatici, qui in vtrorumque vicinitate versantes, cum bonis ferè sunt boni, cum ad Nomothetas ac Dicastas se applicant; cum malis autem mali, cum ad prauos istos Sophistas ac Rhetores. qui equidem nihil ferè tam absurdum & à ratione alienum, pro re ac potentia sua stabilienda amplificandaque proponere possunt, quod non aliqua legum contortione Legulei eorum ac Pragmatici comprobent ac defendant, vt quotidie videmus. S. Reuera dicis. sed visne de comparatione perfecti Iurisconsulti ad vulgarem & assimulatum, secundum institutum ordinem nunc dicere? G. Sanè volo, & quidem eo facto ipsum quoque perfectum Iurisconsultum describam, & quo pacto in talem quiseuadat demonstrabo: in quo finem huic instituto sermonique imponam.

De comparatione perfecti, vulgaris, & assimulati Iurisconsulti.

TITVLVS XXX.


S.  R E O comparatio perfecti Iurisconsulti, vulgaris, & assimulati, quænam est? G. Eam autem rectius percipies, si imaginem ac similitudinem quandam tanquam ænigma ob oculos ponas, in eamque tota cogitatione inspicias. S. Quamnam autem? G. Finge animo locum quendam pulchrum & amœnum, arboribusque consitum, & limpidis fontibus irriguum, vbi solis claro lumine fruente, & res, ita vti sunt, intuentes nonnulli homines, sed pauci tamen, degunt, hilaresque & amicè inter se viuunt. S. Sit ita. G. In proximo autem sit specus, non omnino quidem subterranea, sed lumine dubio, vbi non arbores, montes, fontèsue sint; sed eorum & aliarum rerum quæ supra terram exstant, simulachra, ex argilla, ligno, marmore ficta, circa quæ homines multo plures quàm superiores versentur, ardentes faces manibus gerentes, quibus ad simulachra admotis, ea contemplantur, & vti quisque maximè circa eorum cognitionem versatus est, ita præ cæteris in honore habetur. S. Fiat. G. Post deinde autem sit antrum subterraneum penitus, obscurum & vacuum, vbi nullæ aliæ res sint quàm vmbre supradictorum simulachrorum & hominum, quæ in oppositos muros & parietes à facibus, quas dixi, iaciuntur; circa has autem magna versetur hominum multitudo, qui quid supra terram, aut in media regione sit, prorsus ignorent, sed vmbas illas simulachrorum, pro veris rebus ducant; quas qui ex illis in obscuro illo lumine quod à facibus procul proiicitur, aut in laternis à quibusdam circumfertur, acutissimè vident & celerrimè diiudicant; in magna apud eos sunt gratia & gloria sapientiæ. S. Miram rem fingis: sed perfice quam instituisti fabulam. G. Ex his hominibus in antro degentibus finge aliquando fieri, vt aliqui animaduertentes quoddam supra se esse lumen, eò recta via contendant; quid, vbi ad faces ipsas appropinquare cœperint, anne fore existimas, vt cum tenebris assueti sint, lumen id oculis non ferant; & ideo plerique ex illis rursus in antrum se recipiant, narrantes fociis locum illum superiorem esse inhabitabilem, nec vsquam rectius quàm in ipso antro degi? S. Omnino certè. G. Sed qui in media regione fortè manserint, vbi lumini illi nonnihil assucuerint, & caliginem ab oculis semouerint, quid? anne contra omnino eos iudicaturos existimas, nempe homines ibi degentes haud paulo suis esse feliciores, cum in claro luminis splendore, circa res veras (nam eiusmodi simulachra esse putabunt) non autem circa obscuras & caliginosas vmbas versentur? S. Nihil est dubium. G. Quin & sic finge. S. Quonam modo? G. Nempe nonnullos ex iis qui ex infimo antro in mediam specum venerunt, & alios, animaduertentes dubium quoddam lumen supernè infundi, eò recta proficisci: de his ergo quid? vbi primum caput supra terram extulerint & clarum lumen solis aspexerint, anne futurum putas vt magnam oculorum lèbetudinem, & capitis vertiginem, ob insolitum splendorem patiantur? Quem plerique non ferentes, quàm poterunt ocysimè in mediam specum reuertentur; nonnulli etiam non antè fugere cessabunt, quàm in infimum antrum redierint, commemorantes sua quique in regione quàm intolerabilis illa superior sit regio & minimè ferenda. S. Non queat fieri aliter. G. Cæterum qui illic manserint, vbi nonnihil se colligerint, & caliginem quàm ob splendorem patiebantur, nonnihil detererint; iam credo perspicias, quàm se felices iudicabunt, quod è tenebris & caligine emerferint, & ab vmbis ac simulachris rerum ad res ipsas peruenerint; quastum quidem ex vmbra- rum & simulachrorum similitudine quoquo modo agnoscent, tum autem maximè mon-

stratū eorum quos ibi reppererint. S. Sic est G. Cum quibus suauiter degentes & vitam beatam ducentes, vti que miseros & infelices eos iudicabunt à quibus discesserint, dum tenebris & caligine oppressi res fictas pro veris, vt in somnis, amplectuntur, magnisq. contentionibus inter se (quod in suprema regione non fit) super iis certant, & tandem errore & ignorantia, vanaque cupiditate pleni, e viuus excedunt. S. Reuera dicis. G. Itaque quid ais? ane quosdam ex illis misericordia motos, sub terram redituros existimas, vt quos ibi reliquere homines, ad superiora ducant, secumque beatos faciant? G. Existimo sane: nam ad hoc vel maximè obligatos se sentient, vt non minùs in alios quàm se, sint animati. G. Vbi ergo eò venerint, vno aut altero ex iis qui in superiori regione semper vixerint fortasse comitati, & institutum vrgere ceperint, dicentes non veram illam esse vitam quam degunt, sed somnolentam; nec res veras circa quas versantur, sed insomnia, quibus tanquam vmbri & simulachris ludificantur; veram autem vitam & res veras supra terram exstare: quid? illis hæc dicentibus, an homines illos in dubio illo lumine & tenebris natos & educatos, iisque assuetos, statim iis fidem adhibituros existimas; an verò contrà pro stolidis & ineptis habituros? S. Habituros certè. G. Ac maximè quidem si non nihil caligantes illos cespitantesque videant, quod ob subitam à luce ad tenebras mutationem vti que fieri necesse est; sed vbi non nihil se collegerint, non solùm multo acutiùs quàm alij, cernent; sed & de simulachris illis & vmbri haud paulo rectiùs iudicabunt: quoniam res ipsas viderunt, quarum imagines ac similitudines partim bene, partim malè factas, eas dumtaxat esse referent. S. Verum. G. Cæterùm hoc alij minimè credent, vtpote erroribus suis iam assuefacti, ac potissimùm quidem cum id ij quos superiori lumine attonitos statim intrò rediisse diximus, suo exemplo confirmabunt, sibi que id ipsum accidisse commemorabunt. S. Verum. G. Quibus accedentes alij qui simulachrorum & imaginum præ cæteris periti inter eos habentur, ea que de causa in magno apud eos nomine sunt & gloria, dicentes mera insomnia esse, quæ de rebus superis homines illi adferunt, & de vero lumine, rebusque veris tradunt; quid, ane illos plerique omnes sequentur, idemque quod ipsi statuent? S. Omnino. G. Qua re non commoti, si tamen viri illi in instituto suo pergant, & non solùm vulgus, sed & maiores illos non de errore modò & ignorantia, verumetiam de ambitione, cupiditate, avaritia, & aliis vitiis liberè reprehendant, quid? ane tandem futurum existimas, vt non tantùm pro stolidis & imperitis, sed & pro improbis & iniustis, atque aded nephariis ac seditiosis hominibus habeantur, atque vt eiusmodi, alij cum probro eiiciantur, alij infamia noentur, alij flagris cædantur, alij denique morte mulcentur? S. Maximè. G. Qua quidem re fiet, vt optimis illis viris plerisque sublatis, homines illi in tenebris suis vmbri que maneat, nec quemquam qui secus suaserit, admittant. S. Verum. G. Nisi fortasse pauculi aliqui reperiantur, qui aurem illis præbentes, ad meliora se referant, eorumque ductum sequentes, à simulachris & imaginibus vel penitus se abducant, vel certè non pro veris rebus eas habeant, quas apud solos supero exstare censeant, quò vt perueniant, omni conatu adnitantur. Quod quidem qui faciunt, primùm vel eo ipso sunt felices, quòd ita sentiunt, viamque illam insunt; tum autem felicissimi efficiuntur, cum ad res ipsas superas ipsumque lumen superum eos euadere contingit. an non? S. Maximè. G. Ergo cum ænigma ita se habeat, iam ad rem propositam, si placet, breuiter (nam cætera tacitæ cuiusque cogitationi relinquenda sunt) accommodemus. S. Placet. G. Et quidem cum ea de causa in hunc sermonem digressi simus; vt quæ inter veram & vulgarem assimilata que iurisprudentiam comparatio sic demonstramus, quid? veram vbinam potissimùm ponemus, ane ea in parte supra terram, vbi clarissimo lumine omnia circumfundi diximus? S. Ibi sanè. G. Vulgarem autem an alibi, quàm ea in regione quam mediam vocauimus? S. Non alibi. G. Et assimilata denique nunquid alio loco quàm in infima? S. Non alio. G. Ergo certè nobis statuentum est, quemadmodum hæc regiones, ita & gradus istos iurisprudentiæ se habere inter sese. S. Verum. G. Sic vt primo loco sit vera iurisprudentia, secundo vulgaris inde dependens, & tertia assimilata, ordine vltima: nunquid? S. Maximè. G. Qui quidem ordo si mutetur, & inferiores à superiore se dependere non solùm non agnoscant, sed quòd deterius est, superiores se esse contendant; quid? an aliud euenturum existimas quàm quòd iam commemorauimus? S. At quidnam autem? G. Nempe quòd dictata superioris, non modò non admittent, verùm etiam ridebunt & e ciuitate eiicient, planeque extirpabunt, si poterunt. S. Verum. G. Quòd quidem vult Euangelium, cum dicit, Lucem in tenebris lucere, & tenebras eam non comprehendere, hominesque tenebras magis amare quàm lucem: vnde & potestas tenebrarum dicitur, cum superiores ab inferioribus opprimantur, eorumque quasi tempestate obruantur. S. Intellego. G. Cæterùm si verò oportet

oportet inter se conueniant, & inferiores à superiore se dependere agnoscant, eiusque di-
 ctatis pareant, quid? àne è contrà eueniet, vt omnia quam rectissime se habeant? S. Ni-
 hil est dubium. G. Nam hac ratione fiet, vt non modò superiora, sed & inferiora, &
 media, ritè administrantur, & secundùm eius præscriptionem, quatenus cuiusque regio-
 nis natura ferre potest, dirigantur. S. Sic est. G. Quod quidem cum sit, plena demum
 & perfecta, omnibusque numeris ac partibus absoluta iurisprudentia in republica consti-
 tuta esse dicetur; quæ tum quidem tribus istis sub quaternario, tum autem ter binis sub
 septenario continetur. S. Præclare. G. Qua quidem qui instructus & imbutus est,
 enimvero is est in quo veri Iurisconsulti nomen meritò ponatur: de cuius descriptione
 nunc nobis est dicendum.

De descriptione perfecti iurisconsulti.

TITVLVS XXXI.

S.  A autem quænam est? G. Aio perfectum Iurisconsultum virum esse bo-
 num, vera iurisprudentia instructum: vnde & Philosophus, & Sacerdos,
 & Iurisconsultus appellatur. S. Cur virum bonum? G. Quoniam prin-
 cipium sapientiæ timor Domini: & in cor maleuolum non intrat sapien-
 tia. Estque hoc discriminis inter hanc principem disciplinam & alias in-
 feriores; quòd cum in illis nihil impediatur quo minus bonus quis Medicus sit, & tamen
 malè sanus; & bonus calcifex, & tamen sine calceis; in hac vtrumque necessariò debet
 esse coniunctum; sic vt nemo verè iuris ac iustitiæ possit esse consultus, nisi idem sit & iu-
 stus: absque quo non prudentem iuris & consultum, sed callidum & astutum vstrumque
 vocamus. Et quidem cum ex iis circa quos Medicus versatur, alij ægri sint ad curandum,
 alij discipuli ad docendum; circa quos iurisconsultus versatur, omnes eiusdem ferè sunt ge-
 neris, nempe vt iustitiam cum prudentia in eos inducat (quamquam hoc interest, quòd
 alij ad parendum dumtaxat se parant, quod minoris operæ est; alij ad imperandum etiam;
 quod maioris) quod nisi primùm circa se præstet, non est idoneus vt circa alios id efficiat:
 sic vt fundamentum huius rei ea in re sit positum, vt qui bonus iurisconsultus est dicen-
 dus, primùm ipse bonus sit & iustus. S. Cur vera iurisprudentia dicis debere esse instru-
 ctum? G. Quoniam ea sola perfecta cum sit, perfectum iurisconsultum efficere potest:
 cæterum vulgaris autem & assimilata, non perfectos, sed imperfectos efficiunt, quos Pra-
 gmaticos, & Leguleios, Sophistasque, & Rhetores vocari suprà audiuimus; cum perfecti
 Nomothetæ & Dicastæ nomen haberent. S. Cur denique tribus nominibus, Philoso-
 phi, Sacerdotis, & Iurisconsulti. eum vocari ais? G. Vt doceam perfectum iurisconsultum
 verè trimegistum esse, siue ter maximum, & ter vnum in republica. S. At quid ita? G. A
 scientia nempe, bonitate, & auctoritate siue potentia. S. Quomodo à scientia? G. Qua-
 tenus verus est sapiens, vnde iurisprudentia ciuiliis sapientia, & vera minimeque simulata
 philosophia, apud Vlpianum dicitur, & Sempronius Iurisconsultus apud Romanos So-
 phos cognominabatur. Et quidem inter Philosophiam & Iurisprudentiam non nisi so-
 num nominis interesse, iam suprà demonstratum est. nam quemadmodum Philosophia;
 ita & Iurisprudentia partim sapientia constat, ad se, iuxta Delphicum oraculum foris in in-
 gressu templi positum, noscendum; partim iustitia, ad se regendum ac gubernandum, iu-
 xta alterum Delphicum intus in eodem templi ingressu collocatum, quod est: Ne quid
 nimis. Nec verò inter vtrumque hominem, Philosophum nempe, & perfectum Iuriscon-
 sultum, aliud interest, quàm quòd ille secum potissimum agit, alios non negligens, quod
 vitæ contemplatiuæ est: hic autem alios præcipuè curat, se minimè omittens, quod actiuæ.
 Estque res haud aliter, atque si eundem Ioannem Baptistam nunc in deserto agentem spe-
 ctes, quod Philosophi est; nunc populum docentem ac baptizantem, quod Iurisconsulti
 siue hominis politici. S. Quomodo à bonitate? G. Quatenus Iurisconsultus vir verè bo-
 nus ac iustus est, & sanctus, vt modò diximus; vnde Sacerdos apud Vlpianum appellatur,
 ab illo nempe sacrificio omnium sacrificiorum maximo, quod sacrificium iustitiæ in
 psalmis vocatur, in quo non oues aut boues, sed homines, & quidem optima eorum pars
 voluntas, Deo offertur, & in Dei voluntate collocatur. Quod quidem sacrificium verus
 Iurisconsultus tum in se procurat, ad se iustum probandum; tum in republica, ad iustitiam
 in ipsam infundendam; tum in singulis in ea hominibus, ad eos bonos & iustos efficien-
 dos. Atque hoc est quod vult Vlpianus Iurisconsultus, cum Ius artem boni & æqui esse
 dicit. vnde meritò quis nos Sacerdotes appellet. nam quod mox subiicit, primùm: iusti-
 tiam namque colimus, boni & æqui notitiam profiteamur, ad ipsosmet iurisconsultos per-
 tinet,

tinet, vt se iustos pariter & prudentes præsent: deinde, æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes, ad ipsam rempublicam & res diuinæ & humanas, vt quemadmodum iustum est, aut certè non iniustum, hoc est, licitum, describantur, & denique bonos non solum metu pœnarum, verumetiam præmiorum exhortatione efficere cupientes, ad homines qui sunt in republica, vt quàm optimi sint ac iustissimi. S. Quomodo tandem ab auctoritate siue potentia? G. Quatenus non modò consulentibus tanquam ex oraculo de iure respondet, quod minus est; sed & toti reipublicæ, iure ac legibus constituendis tuendisque consulit, quod maius; vnde & Iurisconsulti nomen propriè est deductum. Et apud veteres Romanos idem & Consulum & Prætorum erat nomen, inde deductum, quòd & consulendo, & iudicando, & iudicari iubendo præbant. Nec verò ad rem pertinet vtrum reipsa ad rempublicam accedat, nec ne. nam id neque pecuniæ causa faciet, quod auari est; neque honoris, quod ambitiosi; sed necessitate coactus, pœnæ vitandæ causa dumtaxat, ne malis omnia occupantibus, illis parere cogatur, quod solum boni viri. quoniam facultas ipsa per se hanc vim habet, vt qui ea præditus est, ea ipsa re tum quidem sibi præsit, vt Philosophus; tum autem reipublicæ, vt Iurisconsultus; tum autem sibi & reipublicæ, vt Sacerdos. S. Optimè profectò. G. Atque hæc quidem res cum ad Dei ipsius vim ac numen proximè accedat, eiusque viuum quoddam exemplar ac similitudinem in terris referat; fit vt hoc genus homines etiam Dij in sacris literis vocentur.

Quo pacto in verum iurisconsultum quis euadat.

TITVLVS XXXII.

S. **R**ESTAT quo pacto in verum iurisconsultum quis euadat, & quænam ad eam rem requirantur, vt exponas. G. Ea autem tria sunt numero. S. Quod est primum? G. Vt naturam huic principi studio cognatam quis habeat. nam si quis malè, inquit Plato, affectus est natura (qualis naturaliter animi habitus inest multis) tum ad illa quæ discenda sunt, tum ad mores, eosque corruptos habeat; ne Lynceus quidem, vt eiusmodi animus videat, efficere possit. Atque vt summatim dicatur, neque acumen, neque memoria faciet vnquam, vt qui rei ipsius qua de agitur non est cognatus, ipsam inspiciat. principium enim in habitibus alienis non sortitur. Quamobrem qui iustis aliisque quæcumque sunt pulchra, non sunt apti natura atque cognati, licet alij ad alia ingeniosi simul sint & memores; rursus quicumque cognati sunt quidem, sed hebetes & memoria parum validi; nunquam ad summum discendi veritatem peruenient, vel virtutis, vel vitij. Neesse enim est ea simul perdiscere, & falsum simul & verum totius essentia. S. Quod secundum? G. Labor ingens & studium immensum, quo proposito statim perspicitur vtrum natura quis verus Iurisconsultus ac Philosophus sit, nec ne. Nam si cui ostendatur, inquit Plato, quàm magna ea res sit, quantòque studio & quantis laboribus comparetur; si verè sapientiam amat, eique natura cognatus atque ipsius possessione dignus est, quasi qui diuinus sit, viam sibi mirabilem putat esse ostensam, perque eam sibi omni conatu existimat gradiendum, aliterque facienti viuendum esse non censeat. Itaque se ipsum atque etiam huius rei ducem impensius hortatur, neque prius desinit quàm vel finem omnium fuerit consecutus, vel saltem eam sibi comparauerit facultatem, per quam ipse se iam sine duce ad terminum perducere valeat. Hæc igitur atque eiusmodi rationibus rem illi considerant: per vniuersam vitam, quiquid omnino agat, ante omnia est philosophiæ intentus, victuque quotidiano vitur, quo maximè queat ingenium, & memoriæ, & iudicium conseruare, seque sobrium præstans, contrariumque huic victum semper odio habens. At verò qui non sunt reuera sapientiæ amatores, sed opinionibus dumtaxat extrinsecus colorati, instar eorum qui sub sole vruntur atque colorantur; cum audierint quot discenda sunt, quanto labore, qua quotidiani victus temperantia, philosophicis studiis necessaria; rem protinus sibi duram impossibilemque rati, vt operam ei dent, adduci non possunt. plerique verò sibimet persuadent, sufficienter se omnia iam audiuisse, neque studio prorsus vllò vltèrius indigere. S. Quod tertium? G. Vt ad bonitatem naturæ, & laborem studiorum, simul & Dei numen accedat, musaq. politica diuinitus afflet: quæ restorum demum absoluit, & ad suam perfectionem adducit. Sed id, vt præclare Plato ait, verbis nullo pacto exprimi potest, quemadmodum cæteræ disciplinæ; sed ex diuturna circa ipsum consuetudine, vitæque ad ipsum coniunctione, subitò tandem quasi ab igne scintillanti, lumen refulgens aduenit, & in anima seipsum iam alit. S. Pulcherrimè profectò. G. Et quidem vt bonitas naturæ per se infra artem est, studium autem humanum, ita vt oportet institutum, in ipsa arte; ita hoc diuinum,

diuinum, supra artem est positum, & tam per se plenum & perfectum, vt neque arte humana, neque bonitate naturæ indigeat; cum sit doctrina ipsa Dei, à qua homines qui ea ita diuinitus afflati & imbuti sunt, à Deo docti appellantur, & sine natura & arte ipsi sibi in Deo sufficiunt. Quod secus est, si quis afflatu numinis & arte destitutus, sola naturæ bonitate nititur, quod non est satis; nec etiam si ad naturam ars sine numinis adspiratione accedat quoniam omnis ars humana per se manca, & mutila est, nisi Dei afflatu adiuuetur; nec ferè tam ea quæ artem ipsam continent, quàm quæ illam præcedunt, certa via tradi, & in præcepta includi possunt. Nam quemadmodum in arte medica, per facile est ostendere, quo pacto sanguis mittatur, vomitus cieatur, vrina moueatur, corpus purgetur, & alia eiusmodi, quæ artem præcedunt; cæterum quândo & quousque ad sanitatem in corpus inducendam id facere oportet, hoc opus, hic labor est, & supra omnia præcepta magna ex parte positum: ita & in hac scientia ciuili, non admodum difficile est, de doctrina, disciplina, vsu; item de sacramentis, sacris, sacrificiis; ad hæc de legibus, magistratibus, iudiciis, & aliis eiusmodi, ad iustum, hominem, legem pertinentibus, quæ omnia substantiam ipsam artis præcedunt, differere. Cæterum quandonâ, & quousque iis vti oporteat, ad iustitiam in hominem & rempublicam inducendam, in quo substantia ipsa artis consistit, hoc verò supra omnes ferè regulas expositum, & ab vna Dei gratia maxima ex parte dependet. S. Optimè sanè. G. Et ideo nisi singulari Dei numine quis affletur, quod supra omnia est, & reliquis non indiget, vt iam dictum est, vera ratio ordinaria, qua in perfectum iurisconsultum quis euadere possit, est, vt ad naturæ bonitatem, quæ primùm omnium adesse debet, laborem studiorum, & longi temporis vsu, & exercitium adiungat, easque res addiscat, quas tum quidem generaliter, ad sapientem & bonum efficiendum; tum autem specialiter, ad politicam doctrinam, veramque iurisprudentiam percipiendam, supra diximus esse necessarias. Quibus tribus quarto loco continuè ad Deum preces, & alia pia sanctaque exercitia accedunt, sic vt quæ naturæ plantanti, arti riganti, & exercitio colenti defunt, ille sua diuina gratia, quæ sola in incrementum dat, suppleat, & ad suam perfectionem perducatur, quatenus humana natura patitur, post diuinam & mixtam. S. Quo pacto id ais? G. Etenim cum hæc sint tria, Deus creator, supra; homo creatus, infra; & Deus homo, medius, qui vtrumque coniungit: triplicem quoque iurisprudentiam, & tres iurisconsultos constituere oportet. S. Qui sic verò? G. Nempe vnam iurisprudentiam diuinam, in Deo ipso inclusam, non alij quàm vni iurisconsulto Deo cognitam, ad quam omnia quæ intelligentiâ non percipimus, referre debemus, & in ea tamquam summo lumine acquiescere. S. Audio. G. Deinde alteram iurisprudentiam humanam, homini inditam, qua res externæ humanæ ad imaginem ac similitudinem diuinarum diriguntur, vbi vmbrae intelligentiam sæpe obscurant, vt in diuinis lumen efficit. S. Intelligo. G. Tum tertiam mediam, diuinam & humanam, quæ Christi est Dei & hominis, qui à Patre luminum vsque ad imas vmbas descendens, & rursum ex infimis ad summa rediens, per omnia quæcumque sunt, supera, infera, & medioxima, peruadit. Estque solus Christus, ipsa vera perfectaque iurisprudentia, nec non ipse verus perfectusque iurisconsultus, & item omne id quod inde promanat. S. Quo pacto ipsa iurisprudentia? G. Nam est verbum Dei & veritas, quod iuris est, ac legum; & sapientia, quod prudentiæ. S. Iurisconsultus autem? G. Quoniam cum secundùm substantiam sit iurisprudentia ipsa; secundùm personam vtique iurisconsultum eum esse oportet. S. Ea denique quæ inde promanant? G. Quia cum iurisprudentiæ & iurisconsulti tria propria sint opera, sacris literis prodita, vnum infimum executionis legis, quod legisperitorum est; alterum superius, interpretationis legis, quod legis doctorum; & tertium supremum rationis legis, quod legislatorum: omnia tria à Christo præstata fuisse in Euangelio est proditum, vocatque eum nominatim Iacobus legislatorem nostrum. in quo vno omnia quæ hætenus dicta sunt, concluduntur.

LIBER QUINTVS.




V M ad hunc modum adolescentes differuissent, & è fossa Vagebrugensi Hagam versus suauis vento impulsis flecteremus; quoniam, in quibus ego, de prima & vniuersali iurisprudencia, ipsaq. aded arte legali, qua iura legesque apud omnes vtrique nationes conduntur, & in republica constituuntur, iam satis, vt videmus, diximus (quam quia tam probe memoria tenetis, spes est vt maiores facti re ipsa aliquando intelligatis) quid? anne sequitur vt ad specialem iurisprudenciam transeamus; & quo pacto ex vniuersali manarit, indeque tanquam ex proprio fonte suo deducta sit,

videamus? Sequitur verò, inquit Gregorius, & quidem minimè id nobis est omittendum, partim vt totam hanc doctrinam paternamque disciplinam, quantum in nobis est, complectamur; partim vt quis vsus vniuersalis iurisprudencie sit, & quomodo in res singulas influat, & rursus ad eam, tanquam ad caput suum, omnia reducantur, demonstremus. Nam id demum verum ac perfectum iurisconsultum ostendere, supra tactum est. cuius munus est, supera cum inferis, & infera cum superis connectere. Bene mehercule narras, dicebam. Et verò quoniam nouum dicendi sumendum est exordium, & consentaneum est, vt quotquot estis fratres, omnes huius de doctrina paterna colloquij participes sitis; censeo, vt quemadmodum tu haec Seduardo, ita tibi deinceps interroganti Tydemannus, qui ætate tibi proximus est (quem à tritauo paterno Præses ita nominauit) respondeat, & quænam specialis iurisprudencia sit, & quas partes habeat, demonstrat: nam inde ad reliqua progredietur oratio. Fiat vt iubes, inquit Gregorius. Quid autem ait Tydemannus? inquam. nihil verò magis, inquit, quam vt tibi morem geram. Igitur, quod felix faultumque Deus esse iubeat, ad rem, inquam, accedite, & paternæ doctrinæ æmulos vos esse ostendite. Quod cum dixissem, ad hunc modum sunt exorssi.


De iurisprudencia speciali.

TITVLVS I.

G.  VONIAM ergo de iurisprudencia speciali, mi frater, habendus est nobis sermo; eam autem quamnam esse ais? cedo. T. Aio iurisprudenciã specialem esse, quæ circa vnius alicuius populi, vt Atheniensium, Lacedæmoniorum, Romanorum, iura legesque versatur. Quæ quidem tum plena perfectaque, & verè liberalis, magnoque homine digna est, quando cum vniuersali coniungitur, & ad eam reuocatur: tum verò mutila, & manca, imperfectaque, & quasi mechanica, cum ab ea separatur. G. Nobis autem cuiusnam iuris specialis descriptio tractanda est? T. Romani. nam præterquam quòd id ius omnibus Christiani nominis hominibus ac gentibus ferè commune est, tum Frisii nostris tam est proprium, vt nullo propemodum alio iure, quam Romano puro & puro vtantur.

De iure ciuili Romanorum.

TITVLVS II.

G.  VID? ius ciuile Romanorum quod vocas? T. Quod Iustinianus Imperator ex omni antiquitate, veteriq. iure ciuili Romano collectum (quod Dicasticæ facultatis esse supra probatum est) partim recens conditum (quod Nomotheticæ) tribus generibus librorum, vt antè traditum est, descripsit: quorum vnum Isagogicum est, Institutionum, quas ex Caij & aliorum Iurisconsultorum institutionibus colligi ac componi iubebat: Alterum ipsius iuris ciuilis, cuiusmodi sunt Pandectæ siue Digesta, quibus inde nomen est, quòd omnia veteris prudentiæ capita, eaque ordine digesta continent; & Codex Iustinianus, qui eodem ferè ordine, quo Pandectæ, ex principum rescriptis ac constitutionibus est conflatus: Et tertium Nouellarum, vbi quæ nouè à Iustiniano postea constituta sunt, ponuntur. Nam emendatione & correctione, nouisque legibus subinde opus esse, idoneo loco est demonstratum. G. De iure hoc ciuili Iustiniano quidnam autem tractabis? T. Eius summa capita

capita siue genera proponam, & in vnum quasi conspectum constituam. Quibus bene cognitis ac perceptis, & ad principia artis vniuersalis reuocatis, haud difficile est ad species inferiores, quæ in communi vita se offerunt, descendere, & ex iis diiudicare, vbi scias à quo sint capite repetenda. Quod non satis perspicientes vulgares Iurisconsulti, sæpe quod positum est in vna cognitione, id in infinita dispartiuntur, quo plura & difficiliora scire videantur, quod erroris & ignorantiae est proprium, cum contra verà rerum cognitio & scientia breuis sit, & certis terminis circumscripta. G. Quonam autem ordine progredieris? T. Primum de origine iuris ciuili dicam: tum de diuisione siue positionibus: vnde ad cætera paulatim progrediemur. G. Originem autem quam dicis? T. Eam triplicem statuo, diuinam, naturalem, & humanam, haud secus atque tu superiori sermone legem ipsam in diuinam, naturalem, & humanam es partitus. quod ideo admoneo, quoniam hoc nobis, vt dico, semper danda est opera, vt quo pacto inferiora hæc ex superioribus illis manant, eoque reuocentur, intelligatur.

De diuina iuris Romani origine.

TITVLVS III.

G. **D**IUINAM iuris ciuili originem in quo ponis? T. In sacris literis, & aliis diuinis scriptis inde manantibus, vnde magna pars iuris ciuili est deducta, idque per quatuor quasi gradus. G. Quos autem illos? T. Veteris testamenti, noui, Ecclesiae, & piorum Imperatorum. G. Quæ sunt scripta veteris Testamenti? T. Libri legis Mosaicæ, & Prophetarum, qui interpretes sunt ipsius legis, cum quibus & alij libri historici coniunguntur, ex quibus omnibus multa passim decerpta, & in ius ciuile translata sunt. G. Quæ noui? T. Sacrosancta Christi Euangelia, & Acta scriptaque Apostolica cum iis coniuncta, quorum frequens in iure ciuili est mentio. G. Quæ Ecclesiae? T. Summorum Pontificum & conciliorum decreta, quæ instar Euangeliorum esse, Iustinianus ait; nec non sanctorum Patrum varia monumenta, literis prodita, cum multis aliis in more factos sanctæ Ecclesiae positis, quorum omnium leges ciuiles sæpe meminerunt. G. Quæ denique piorum Imperatorum? T. Leges ac constitutiones Principum, ad res ecclesiasticas pertinentes, quæ sacris obsequuntur canonibus, ad eos pro bono ecclesiae executioni mandandos, & ad effectum deducendos, cuiusmodi plurimæ iam inde à Constantino vsque ad Iustinianum in iure nostro ciuili exstant. G. Optimè sanè. T. Cui & hoc adde, quod totum ius ciuile sic est compositum, vt non modò nihil Christianæ religioni aduersum habeat, sed & eius fermento omni ex parte sit imbutum, vti in omni latione legum fieri oportere, tu antè docuisti, sitque ea de causa, quòd in nomine Domini nostri Iesu Christi Iustinianus plerosque libros suos orditur.

De naturali iuris Romani origine.

TITVLVS IIII.

G. **N**ATURALEM iuris Romani originem quam vocas? T. Quæ à mundi vniuersitate ad nos manauit: vnde omnia iura, ex quibus ius Romanum constitutum est, vel diuina, vel naturalia, vel gentium, vel ciuilia dicuntur. G. Quæ sunt iura diuina? T. Quæ ex supræma mundi parte deducta, cum superis nobis sunt communia, vt etga Deum religio, vt patriæ & parentibus pateamus, & alia eiusmodi quæ passim in iure ciuili se offerunt. G. Quæ naturalia? T. Quæ è media mundi regione decerpta, cum beluis nobis sunt communia, vt maris & feminae coniunctio, liberorum procreatio & educatio, & alia de genere eodè, quæ in libris iuris ciuili vbiq; exstant. G. Quæ gentium? T. Quæ post peccatum orta, & ex infima mundi parte ad homines delata, communi propè omnium gentium consensu, quasi per transactionem quandam, vt Plato ait, fuere constituta, ad dissentiones vitandas, vnde distinctiones dominiorum, commercia, testamenta, iudicia, & alia eiusmodi, quorum iura Iustiniani passim meminerunt, originem sumpserunt. G. Quæ denique ciuilia? T. Quæ ex tribus suprædictis generibus deducta, & ad formam reipubl. Romanæ accomodata, eius ciuitatis sunt propria, vt patria potestas, iustæ nuptiæ, cum similibus, quorum pleni sunt libri iuris ciuili. G. Rectè sanè. T. Atque ex hac quidem diuisione profectum est, quòd Iustinianus vniuersum ius ciuile, tum quidem ex naturalibus præceptis collectum esse ait, tum autem ex gentium, tum verò ex ciuilibus. Nam iur-

ris gentium nomine, & diuinum intelligitur, quod ius gentium primarium vocatur, & humanum vniuersale post peccatum ortum ac constitutum, quod ius gentium secundarium vulgo dicitur. Ac nominatur etiam vtrumque ius naturale, quoniam hominis naturæ proprium est, integræ quidem & incorruptæ, quantum ad ius gentium primarium attinet, corruptæ verò, quantum ad secundarium.

De ciuilibus iuris Romani origine.

TITVLVS V.

G. **D**E HINC ciuilibus iuris Romani origo quænam est? **T.** Quæ à quatuor vrbis Romæ formis est profecta: Monarchia nempe, sub Regibus & Imperatoribus; Aristocrata, sub patribus; Democratia, sub plebe; & mixta, sub vniuerso populo. **G.** Quid? à statu Monarchico quænam autem iura legesque manarunt? **T.** Placita & constitutiones, aliæque sanctiones Principum, de quibus posterius dicitur distinctius: quarum pleni sunt libri Codicis & Nouellarum. **G.** Ab Aristocratico autem? **T.** Senatusconsulta, quæ sunt quæ senatus iubet, atque constituit: vnde Senatusconsultum Velleianum, Macedonianum, Tertullianum, Orphitianum; & alia eiusmodi libris nostris sunt inserta. **G.** A Democratico verò? **T.** Plebiscita, quæ sunt quæ plebs, plebeio magistratu interrogante (veluti Tribuno) constituit: Atque hinc quidem profecta est lex Aquilia, in libris nostris posita, quam plebiscitum esse constat. **G.** Mixta denique? **T.** Leges speciali nomine: nam lex est, quod populus Romanus senatorio magistratu interrogante (veluti Consule) constituit. Ac differt quidem populus à plebe, quo genus à specie; nam appellatione populi, vniuersi ciues significantur, connumeratis etiam patriciis & senatoribus: plebis autem significatione, sine patriciis & senatoribus, cæteri ciues significantur. **G.** Probè. **T.** Atque hæc quidem cum quatuor primariarum legum sint genera, à primariis legislatoribus profecta, cum quibus & diurna consuetudo numerari potest, sub genere mixto comprehensa, quoniam ex totius populi vsu & frequentatione originem habet: duo sunt genera legum secundariorum, quæ à duobus generibus veterum legislatorum, quos secundarios supra vocasti, proficiscuntur: edicta nempe Prætorum siue Ædilium, quæ plurima in iure nostro ciuili existant, & responsa prudentum, quæ sunt sententiæ & opiniones eorum quibus permissum erat de iure respondere: vnde Pandectæ magna ex parte sunt constata. **G.** Scitè. **T.** Ad eò ut nihil sit in toto nostro iure ciuili, quod non ex aliquo de supradictis, diuinis, naturalibus, vel ciuilibus principiis, vno vel pluribus, originem trahat.

De diuisione siue positionibus iuris ciuilibus.


TITVLVS VI.

G. **A** CCEPTI de origine iuris ciuilibus Romani: de diuisione, siue positionibus eius nunc reddito. **T.** Hæ sunt quas theses Græci vocant, quia sunt tanquam cardines, circa quos omnis latio legum, siue iuris constitutio voluitur. **G.** Quot autem sunt numero? **T.** Duo, publicum, & priuatum, vt apud Iustinianum ex Vlpiano traditur. Nam hoc naturaliter secundum principia Phytica vsu venit, vt, quemadmodum in homine, ita & in republica quædam sint quæ vniuersum quasi corpus contineant, quædam quæ singula membra. Cui accedit, quod cum supra traditum sit, homines vel singulos spectare, vel vniuersos; inde ius priuatum, hinc publicum oritur. **G.** Quid ergo? visne vt de singulis separate distincteque te interrogem? **T.** Volo sanè. Nam tamen quidem ius ciuile Iustinianum ita compositum est, vt non seorsim, sed permixtim de iis tractet: pater tamen, clarioris doctrinæ causa, ea separauit, & tum quidem ius ciuile publicum, quod hætenus desideratum est, suis partibus ac membris descripsit, & in certam formam ordinemque redegit, quatenus quidem libris iuris ciuilibus (nam hos cancellos ipse sibi circumdedit) est proditum: tum autem ius ciuile priuatum, in quo Pandectarum elegantissimum ordinem est secutus, vt post dicitur. **G.** Intellego. **T.** Sed prius dicemus de publico, quod dignitate præstat, quid sit, quæ eius origo, quomodo diuidatur: vnde reliqua ordine necentur, & qui iuris ciuilibus tituli, quibus rebus, de quibus agitur, conueniant, demonstrabitur.

De


De iure civili publico.

TITVLVS VII.

G.  **V**s civile publicum quod vocas? **T.** Quod ad statum (vt inquit Iustinianus ex Vlpiano) rei Romanæ spectat. nam quemadmodum in corpore aliz sunt ægriitudines quæ totum corpus afficiunt, vt febris; aliz quæ partem aliquam, vt calculus: ita in ciuitate alia sunt quæ ad totius ciuitatis statum conseruandum pertinent; alia quæ ad partem aliquam. **G.** Intellego. **T.** Quamquam illud non est ignorandum, ferè quicquid publice vtile est, priuatim quoque prodesse; nam salus singulorum ex vniuersi conseruatione dependet; & è contra, quod priuatim est vtile, sæpe ad commune bonum quoque redundare. nam sic publice interesse dicimus, mulieres dotatas esse, ad replendam prole ciuitatem.


De origine iuris publici.

TITVLVS VIII.

G.  **R**igo autem iuris publici vnde ducitur? **T.** Non aliunde profectò quam tu antè dixisti, nempe Deum ita hominem condidisse, vt naturâ suâ non soliuagum, sed sociale sit animal, quod & Aristoteles scriptum reliquit: idque non modò communis opis gratia, quod ex principiis necessitatis (quæ vocastis) fertur, verùm etiam ad communem patrem Deum communi voce laudandum ac prædicandum, quod ex principiis pulchri est, cuius causa homo potissimum conditus, & in hanc lucem editus est. **G.** Probissimè. **T.** Atque hoc quidem studium societatis vsque adedò nobis est insitum, vt etiam post peccatum contractum, quo totum genus humanum dissipatum, & in montes ac siluas dispersum erat, homines paulatim se iungere, & loco primæ illius magnæque reipublicæ, quæ omnes vbi que mortales sub vno principe Deo complectebatur, alias minores vrbes ciuitatesque moliri cœperint: vnde & hæc exstitit Romana, à Romo & Remo fundatoribus constituta, cuius nunc iura persequimur.

De diuisione iuris publici.


TITVLVS IX.

G.  **Q**uomodo partiris ius publicum? **T.** In diuinum, & humanum. **G.** Quod est diuinum? **T.** Quod ad Deum & eius cultum pertinet. **G.** Humanum autem? **T.** Quod ad hominem, & vitæ humanæ societatem. **G.** Intellego. **T.** Atque hæc quidem diuisio inde oritur, quod supra audiuius, hominem tum quidem partim ad Dei imaginem ac similitudinem factum esse, vnde res diuinæ manarunt: partim ex mundo detractum ac liberatum, vnde humanæ: tum autem ab summo rerum omnium opifice Deo sic in hoc mundo tamquam teatro esse collocatum, vt supra Deum habeat, & res diuinæ, vnde ius diuinum exsistit; infra autem animantes, & alia res humanas, vnde ius humanum. Quod vtrumque Vlpianus complectitur, cum dicit, Ius publicum in sacris, in sacerdotibus, in magistratibus consistere. **G.** Scitè. **T.** Sed prius dicemus de rebus diuinis, quænam sint, vnde originem habeant, & quomodo diuidantur, cum reliquis quæ inde consequuntur. Quibus tractandis, tum quidem pulcherrimam sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ, sub Imperatore Iustiniano, descriptionem ob oculos ponemus: tum autem quo pacto à Christo ipso, & eius Apostolis, Pontificibusque, & Imperatoribus, qui ante eum fuerunt, profecta, & quasi per manus tradita sit, ostendemus: tum verò quonam modo hæc præsens nostra Catholica & Apostolica Ecclesia Romana cum ea congruat, eademque cum ea sit, re ipsa demonstrabimus. Quibus pertractandis primùm hoc consequemur, vt neglectam hæcenus, & in vulgus minimè cognitam, partem hanc elegantissimam scientiæ civilis in lucem proferamus: deinde vt opinionis errore deceptos circa hanc rem homines, cuiusmodi (proh dolor) his calamitosissimis temporibus sunt plurimi, in viam, quantum in nobis est, reducamus: tum vt eos qui licet non opinione, vita tamen & moribus à

lacrofanctis Ecclesie institutis planè sunt alieni, & non solùm vitia concipiunt ipsi, sed & ea infundunt in ciuitatem, plusquè exemplo quam peccato nocent, admoneamus, & ad meliorem mentem pro virili traducamus. Quod vt ita fiat, Deum omnibus votis ac precibus oramus.


De rebus diuinis.

TITVLVS X.

G.  VAS igitur vocas res diuinas? T. Quæ ad fidem orthodoxam in Iesum Christum Dominum nostrum, eiusque Ecclesiam Catholicam pertinent. G. Fides orthodoxa quænam est? T. Qua, secundum Apostolicam disciplinam, Euangelicamque doctrinam, Patris, & Filij, & Spiritus sancti vnâ deitatem, sub pari maiestate, & sub pia trinitate credimus. G. Quæ Ecclesia Catholica? T. In qua omnes beatissimi Patriarchæ vrbis Romæ, Constantinopolis, Alexandriæ, Theopolis, & Hierosolymorum, iisque subditi sanctissimi Episcopi ac Sacerdotes, vno ore Apostolicam fidem ac traditionem prædicant, vnâque conspiratione ac concordia, sancta quatuor Concilia, Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum primum, & Chalcedonense (quæ Euangeliorum instar sunt) continentur. G. Optimè. T. Atque hæc quidem est illa Ecclesia, de qua Dominus ipse loquitur, cum ait: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam. Cuius quidem fidem qui sequuntur, Christianorum catholicorum nomen habent: qui verò minùs, dementes vesaniqûe, cum hæretici nominis infamia, iudicantur.

De origine & successione rerum diuinarum.

TITVLVS XI.

G.  RIGINEM autem harum rerum diuinarum vnde ducis? T. A capite ipso Christo, qui de cælo descendens, solus veras res diuinas in hunc mundum intulit (vt supra demonstratum est) idque per quatuor quasi gradus. G. Primus quisnam est? T. Ipsius Domini nostri Iesu Christi, qui Ecclesiam suam fundando, & personis & rebus eam distinxit, vt abs te generaliter antè tactum est, & nos particulatè post explicabimus. Et verò cum vitæ illius tres sint partes, natiuitas, prædicatio, & mors, quæ in singulis obseruari, & pro lege teneri debent (nam omnis Christi actio, nostra est institutio) sunt, miracula, doctrina, & vitæ exempla: in quibus admirabilis vis, inest ad fidem, spem, & charitatem in nobis confirmandam & augendam. G. Alter autem? T. Apostolorum, qui Christi vestigiis insistentes, formam ab eo datam, crescenti Ecclesie, per scripta, & traditiones suas (omnia enim literis mandari nequeunt) accommodabant, nam quæ rebus paruis à pauperis administrantur, iisdem auctis pluribus indigent, vt in actis, epistolis, & canonibus eorum videre licet. G. Sequens verò? T. Sanctorum Pontificum, & Conciliorum, ac Patrum, qui semper ab Christo & Apostolis acceptis, reliqua quæ opus erant, superædificabant, vt in omnibus rebus opus esse, tu antè docuisti. Vnde in Constitutione nouella, *de ecclesiasticis canonibus*, sancitur, vt sanctorum Conciliorum decreta perinde vt sacræ scripturæ suscipiantur, Ecclesiastici autem canones vt leges custodiantur. Porro si leges, inquit, ciuiles, quarum potestatem, fidei nostræ, Deus, pro sua erga hominès amore, concedidit, per omnia firmas ac stabiles conseruari, ad subditorum securitatem studemus; quanto plus studij debemus circa sacrarum regularum, & diuinarum legum obseruationem reponere, quæ pro salute animarum nostrarum definitæ & constitutæ sunt? Qui enim sacros obseruant canones, hi Domini Dei potiuntur auxilio: & qui in hosce præuaricantur, ij seipos condemnationi subiiciunt. G. Vltimus denique? T. Piorum Imperatorum, qui decreta Ecclesie exsequi cupientes, suis ea constitutionibus firmarunt; vt hoc modo iustitia Christiana non modò per disciplinam ecclesiasticam, sed & ciuilem, in rempublicam inducatur: nam varias formas esse, per quas iustitia in hominem ac rempublicam infundatur, iam antè audiuius. G. Bene narras. T. Et quidem, quod olim quæsitum est, quam linguam sacras literas (quas qui aut negligendo violarit, aut nesciendo omiserit, in crimen sacrilegij incurrit) tractare, per Hebræos oporteat, Iustinianus, ea de re differens, sic ait: Nos de hac controversia edocti, rectius eos sentire iudicamus, qui præter Hebræam, Græcam etiam & Latinam in sacrorum librorum lectione voluerunt assumere, nec non simplici-

ter om-

ter omnem linguam quam locus accommodatiorem, & magis familiarem reddit auditoribus. Sancimus igitur, in quibuscumque locis Hebræi sint, Hebraicis qui volunt permiffum fit in suis synagogis, Græca etiam, itemque patria (veluti hac Italica fortasse) lingua, aut quacumque alia pro loci ratione, sacros libros, his qui eius linguæ gnari sunt, interpretari, quo magis per eorum lectionem intelligentibus tota dictorum series ordine manifesta fit, & secundum ea vitam suam instituunt, inque republica se gerant, neque eam licentiam eorum interpretes sibi assumant, vt sola lingua Hebraica videntes, eam pro sua libidine malitiosè tractent, & sub vulgi ignorantia, suam malignitatem tegant.] Hactenus ille, constitutione nouella, *De Hebræis, quomodo oporteat eos sacras scripturas legere.* G. Rectè. T. Quamquam hæc non eò dicuntur, quasi pro ratione locorum, personarum, ac temporum, non possint aliter statui (id enim non solum licet, verum etiã omnino subinde necesse est) sed vt quæ in libris nostris Iustinianeis, quos solos nobis proposuimus, iis de rebus traduntur, bona fide referamus. G. Teneo. T. Et quidem si quid fortasse se offerat, quod supradictis quatuor generibus scriptorum ac traditionum non inuenitur definitum, vltimum refugium est, vt ad concilium res redeat, & dubitatio quæ emerfit, Pontifici, & eius conuentui sacerdotali, sanctoque iudicio referuetur. Verba Imperatorum Gratiani, Valentiani, & Theodosij sunt: Omni nouatione cessante, vetustatem & canones pristinos ecclesiasticos, qui nunc vsque tenuerunt, & per omnes Illyrici prouincias seruari præcepimus, vt si quid dubietatis emerferit, id oporteat non absque scientia viri reuerendissimi sacrosanctæ legis antistitis vrbs Constantinopolitanæ (quæ Romæ veteris prærogatiuâ letatur) conuentui sacerdotali, sanctoque iudicio referuari.]

De diuisione rerum diuinarum.

TITVLVS XII.

G. **N**AM diuisio rerum diuinarum quænam est? T. Hæc in personas ecclesiasticas deducitur, & res. G. Quid ita verò? T. Nam quemadmodum in omni republica, ita & in rebus diuinis omnia huc redeunt, vt vel personarum sint, quæ pro anima sunt, vel rerum, quæ pro corpore. G. Audio. T. Cui & hoc adde, quod cum supra dictum sit, omnem rem Christianam tum quidem in regno Dei consistere, tum autem in iustitia eius; descriptio regni Dei ad personarum qualitatem ac differentiam propriè pertinet, iustitia autem eius ad res & facta, cuiusmodi sunt doctrina, instituta, iudicia, & alia eiusmodi: vt post demonstrabitur. G. Probè. T. Accedit, quod cum post Deum homo sit, & mundus; ab homine personæ, à mundo res quæ homini subiectæ sunt, procedunt. G. Verum. T. Sed primum dicendum est de personis, in quarum descriptione hierarchia ecclesiastica, quæ ad cælestis hierarchiæ imitationem facta est, consistit. pertinetque tam ad res quàm personas ecclesiasticas generalis constitutio nouella: *De diuersis capitulis ecclesiasticis.* vnde pluri-
ma in hoc sermone desumentur.

De personis Ecclesiasticis.

TITVLVS XIII.

G. **E**CCELESTICAS autem personas quas vocas? T. Quæ Ecclesiæ Dei seruiunt, illique administrandæ ac gubernandæ præsumt. Nam cum omnes qui veram Christi religionem colunt, vno communi nomine Christiani appellentur, quo quidem modo primùm Antiochiæ cognominatos eos fuisse, in Actis Apostolorum est proditum; ipsique inter se, secundum Christi ipsius optimùm ac sanctissimum institutum, fratres & proximi vocentur, quorum corpus & respublica Ecclesia nominatur: summa omnium Christianorum diuisio est, vt alij eius Ecclesiastici, alij laici dicantur. Ex quibus quidem cum laici, homines sint prophani, imperio Ecclesiæ subiecti, quasi populares dixeris: Ecclesiastici sunt homines Deo dedicati, qui ministerio Ecclesiæ addicti, illi regendæ, vt dixi, moderandæque præsumt. G. Intellego. T. Atque hæc quidem diuisio inde originem trahit, quod Christus ipse alios pastores in Ecclesia constituit, alios autem oues sub pastoribus, dicens Petro; atque ad eò ter. repetens; Pisce oues meas. G. Teneo. T. De quibus quidem pastoribus loquens, Qui vos audit, inquit, me audit: qui vos spernit, me spernit, ostendens suos eos esse vicarios, sic vt personam ipsius gerant ac repræsentent. G. Rectè. T. Ac cum primum summos magistratus Apostolos creasset duodecim numero, pro numero duodecim tri-

uum Israel; nam ex huiusmodi civilibus principiis multa constitui, suprâ traditum est: pòst minores magistratus, discipulos constituit septuaginta duos, hoc est, sexies duodecim; nam minores magistratus, cum circa singula versentur, plures esse oportere numero quàm maiores, qui non tam singula quàm vniuersa obeunt, res ipsa ostendit. G. Verum. T. Atque ab hoc quidem diuino Euangelicoque principio manarunt, quæcumque de personis ecclesiasticis, tota que ad eò hierarchia ecclesiastica, quam cælestis speciem ac similitudinem gerere dixi, in libris nostris Iuris civilis tractantur. In quorum descriptione hoc semper operam dabimus, ut à quibus sacrarum literarum, & Ecclesiæ Catholicæ principiis manarunt, breuiter ac strictim attingamus.

De diuisione Ecclesiasticorum.

TITVLVS XIII.

G. **D**E HINC Ecclesiasticos quomodo partiris? T. In clericos, monachos, & lecticiarios: qui tum quidem ministros suos habent, tum autem leges. G. Clerici qui sunt? T. Qui rei diuinæ faciendæ præsumt: quibus hoc nomen inde tributum est, quòd Deum sortem hæreditatis nacti sunt. G. Qui monachi? T. Qui ob vitæ morumque confirmationem vitam solitariam profèquuntur, vnde & nomen habent. G. Lecticarij autem? T. Qui corporibus mortuorum efferendis se præstant; dicti à lecticis, quibus corpora imponuntur. G. Bene narras. T. Atque hæc quidem diuisio inde originem habet, quòd quæcumque agimus, vel ad superos, nempe Deum colendum pertinent; vel ad mediocimos, hoc est, nos ipsos, & alios mortales; vel ad inferos, hoc est, vita functos: vnde fit ut & res aliæ sacræ sint, quæ Deo ritè dedicatæ sunt; aliæ sanctæ, quæ inter homines inuiolatæ habentur; & aliæ religiosæ, quæ ad defunctos pertinent. Quibus accedit, quòd ex mundi regionibus vnam supremam statuisti, vbi cælestium est sedes; aliam mediam, vbi homines degunt; & aliam infimam, vbi vmbrarum est locus. G. Probè. T. Et verò habent hi omnes & ministros suos; nam quemadmodum in corpore humano, ita & in Ecclesia diuersa sunt membra, ut scribit Apostolus, alia aliis superiora: & leges; nam suam cuique magistratui legem dandam esse, ut quid officij sui sit intelligat, iam antè docuisti. Sed dicamus ordine de singulis.

De clericis.

TITVLVS XV.

G. **D**E clericis ergo primùm quid ais? T. Horum proprium munus est, tum quidem rei diuinæ faciendæ, tum autem populo docendo regendoque, & sacramentis administrandis præesse. quòd præcipit Dominus ipse, cum ait: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & docentes eos seruare omnia quæcunq; mandauj vobis. Et quidem ut clerici per se ipsi ista obeant, non autem per alios, constituit Iustinianus his verbis: Præterea sancimus ut omnes clerici, per singulas Ecclesias constituti, per seipsos psallant, nocturna, & matutina, & vespertina, ne ex solâ ecclesiasticarum rerum consumptione appareant; nomen quidem habentes clericorum, rem autem non impendentes clerici circa liturgiam Domini Dei. Si enim multi laicorum, ut suæ animæ consulant, ad sanctissimas ecclesias confluentes, studiosi circa psalmodiam ostenduntur: quomodo indecens non fuerit, clericos ad id ordinatorum non implere suum munus? Quapropter omni modo clericos psallere iubemus, & ipsos inquiri à Deo amantissimis pro tempore Episcopis, & duobus Presbyteris in singulis ecclesiis, & ab eo qui vocatur Arches, vel Exarches, & ab Ecdico siue defensore cuiusque sanctissimæ ecclesiæ, & eos qui inuenti non fuerint in liturgiis perseverantes, extra clerum constitui. G. Hos clericos quomodo partiris? T. In tres gradus siue ordines. G. Quos autem illos? T. Maximum, medium, & minimum. G. Quis est maximus? T. Dignitatis eorum apud quos summa rerum est in Ecclesia: qui sunt Pontifex maximus Romanus, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi. G. Quis medius? T. Ordinis eorum qui sacris faciendis, & populo regendo, sacramentisque administrandis se præstant: ut Episcopi, qui duplicem personam gerunt, presbyteri, diaconi, hypodiaconi. G. Quis minimus? T. Ministerij eorum qui sacra facientibus, & alia munera ecclesiastica obeuntibus seruiunt: ut acolythi, exorcistæ, lectores, ostiarij. G. Intelligo. T. Atque hæc quidem

dem distinctio, quæ ter quatuor, hoc est, duodecim (quem perfectissimum iustitiæ numerum esse ostendisti) gradibus Apostolicis constat, inde manavit, quod, quemadmodum in homine caput est, corpus, & pedes: ita & in republica alij esse debent, qui ipsa quotidiana Ecclesiæ negotia obeant, quod corporis est; alij qui gerentibus præsent, ut officium faciunt, quod capitis; alij qui seruiant, quod pedum: prout superiore sermone luculenter esse demonstratum. G. Reuera dicis. T. Atque hinc quoque proficiscebatur, quod qui tabernaculo apud Moysen seruebant, alij pro capite erant, ut Pontifex, qui solus ad sancta sanctorum intrabat; alij pro corpore, ut sacerdotes, qui in ipso tabernaculo versabantur; alij pro pedibus, ut leuitæ, qui in atrio tabernaculi. G. Sic est. T. Nec aliud pertinebat quod Ietro socer Moysi auctor ipsi erat, ut inferiores quosdam ordines iudicium sub se constitueret, solis maioribus negotiis sibi reseruat. Nam cum vnus, inquit Philo, non sufficiat, quantumuis alacris fortisque corpore simul atque animo, in tanta mole negotiorum, ac multitudine, quotidie aliis affluentibus super alia; assumendi sunt optimates selecti, spectatæ prudentiæ, fortitudinis, iustitiæ, pietatisque, incorrupti, & ante omnia infensi superbiæ. nam huiusmodi viri maximè idonei sunt ad subleuandum opè sua bonum honestumque principem. Præterea cum aliquando res magnæ, aliquando minores tractandæ sint, ne in exiguis conterat operam princeps, subpræfectis eas delegabit; maiores verò ipse examinabit diligentissimè. Hæc ille. G. Probè narras. T. Ac pertinent quidem ad clericos in genere hæc nouellæ constitutiones: *Vt determinatus sit numerus clericorum sanctissima maioris ecclesie, neque non caterarum sanctissimarum ecclesiarum huius augustissima urbis, Constantinopolis, ne in infinitum res excreseat, sed ad certum numerum, paucitatemque redigatur, ut post dicetur. Vt clerici ex vna ecclesia in aliam transferantur, ad supplendum deficientium statutum numerum.* Nam quemadmodum ea quæ abundant, amputare; ita quæ deficiunt, supplere oportet. *De clericis qui a suis destiterunt ecclesiis, quos annonariis perceptionibus priuari, & alios in eorum locum ab Episcopis subrogari, qui eas percipiant, placuit, ne Ecclesia suo legitimo ministerio destituatur, & qui oratoria ædificando certis redditibus ea fundant, sua spe frustrentur; quod pertinet posterior pars rubricæ, quæ est: Item de his qui oratoria ædificans.* Sed videamus nunc de singulis ordinibus.

De maximo ordine clericorum.

TITVLVS XVI.

G. **D**E maximo autem ordine quid ais? T. In hoc principem locum tenet Pontifex Maximus Romanus, ut dictum est, qui Patriarcha etiam, & Præsul, & Archiepiscopus, & Episcopus vrbis Romæ appellatur, nec non Papa, quasi patrem dixeris. Quod quidem nomen omnibus olim Episcopis commune (ut apud Cyprianum, & alios Ecclesiasticos auctores videre licet) in solo Romano Pontifice tandem remansit, vsu inde ducto, quod apud Græcos liberi parentibus nomine Papæ ablandiri solent, ut apud Homèrum exstat: quoniam veteris Ecclesiæ Christiani in antistitibus suis ecclesiasticis colendis paternam constituebant sanctitatem, quemadmodum illi è contrà in suis complectendis, filiorum eos loco ducebant: vnde Pontifex Romanus Imperatores sæpe hoc nomine compellat. G. Intellico. T. Planè. G. Obtinet autem Pontifex Romanus sedem sancti Petri primi Apostolorum, secundum Christi institutionem, quem omnium ecclesiarum esse caput, & Patrum regulæ iam inde ab Anacleto Pontifice, anno centesimo decimo post Christum, & Principum statuta à Constantino vsque deducta, declarant. vnde Ioannes Papa ad Iustinianum Imperatorem scribens, nihil in Principe prælatum esse ait, quam Romanæ sedis reuerentiam conseruare, eique cuncta subdicere, & ad eius vnitatem cuncta ducere, ad cuius auctorem, hoc est, Apostolorum primum, Domino loquente dictum est, *Pasce oues meas.* Et Iustinianus his vestigiis insistens, non semel monet ac mandat, ut secundum regulas quatuor Conciliorum, veteris Romæ Papa, primus omnium sacerdotum sit, eique omnes ecclesiæ, tam orientis quam occidentis, pareant: & quemadmodum legum origo è Roma ducitur, ita & Pontificis Maximi honor, eius vrbis Episcopo deferatur. addens porro, eam demum fidem rectam veramque censendam esse, quam ille approbauit, illamque constitutionem ecclesiasticam legitimam habendam, quæ per reliquos sacerdotes condita, illius auctoritate confirmata sit. G. Rectè. T. Et quidem cum duæ sint summæ potestates, quas generi mortalium Deus Optimus Maximus contulit, sacerdotium, ad res diuinas; & imperium, ad humanas: quæcumque ab Imperatore circa res diuinas

constituuntur, non tamquam ab illa primario profecta, sed ex sacris rationibus secundario deducta, & ad eorum executionem defensionemque comparata habentur, sic ut pro Nomothesa, Pontifex, pro Dicaſta autem, Imperator hac in parte habeatur. Vnde Iuſtinianus nihil ſe glorioſius ducere ait, quam pace in Eccleſia conſtituta, ſub Romani Epifcopi imperium, quicquid eſt in orbe Romano populorum aggregare, nec minus quam ipſam vitam charam ſibi eſſe rectam de Deo doctrinam, honeſtatem clericorum, & obſervationem ſacrarum regularum, quas veri Dei cultores Apoſtoli tradiderunt, ſancti autem Patres cuſtodierunt & explanauerunt. G. Probè narras. T. Qui poſt ſummum Pontificem, ſequentem locum in Eccleſia tenent, ſunt Patriarchæ. inde dicti, quòd inter Patres principem locum obtinent, ad ſimilitudinem eorum quibus in veteri Teſtamento idem nomen tribuitur. Ac ſunt quidem toto orbe Chriſtiano numero quinque, quorum primus eſt Papa veteris Romæ, ſecundus Conſtantinopolitanus, tertius Alexandrinus, quartus Theopolitanus, & quintus Hieroſolymorum. Ex quibus Conſtantinopolitanus, licet veteris Romæ Patriarchæ prærogatiuâ utitur, quod propter urbis Imperialis ſit dignitatem, iure quodam ſingulari, quo ſæpe utendum eſſe, ſuprà dictum eſt; ſedis tamen Apoſtolicæ auctoritatem ſequi ſe velle (quod gradu diſſerte à neceſſaria obedientia, ſuprà probatum eſt) profiteretur. Porro ſolent autem Iudæi, & eorum primates Patriarchis certum annuum canonem pendere, auri coronarij nomine: & ipſi cum primùm ſedem ſuam capiunt, clericis ſuæ Eccleſiæ certi aliquid pendunt pro introitu, quod entroniaſticum, à ſede in qua collocantur, & conſuetudo (quia veteri modo penditur) vocatur. quamquam quoad minores clericos, conſtitutio nouella eſt: *Ut ea qua vocantur inſinuatiua ſuper clericis in maiore quidem eccleſia dentur, in aliis autem eccleſiis penitus non dentur.* grauiſſimâ pœnâ conſtitutâ aduerſum eos qui ſecus fecerint. Socrates Eccleſiaſticæ hiſtoriz ſcriptor, refert paulo poſt Nicenum concilium celebratum, Patriarchas fuiſſe conſtitutos, qui ſinguli ſuis diœceſibus præſent, certumque numerum Archiepiſcoporum ſub ſe haberent. G. Rectè. T. Poſt hos ſunt Archiepiſcopi, qui ſub Patriarchis Epifcoporum ſunt principes, quorum ſub Aniceto Pontifice, ſub annum Chriſti centeſimum ſeptuagelimum, ſit mentio. Ac cum primùm ad Eccleſiæ ſuæ rectionem perueniunt, ſiquidem fructus Archiepiſcopatus non minus reddunt in ſingulos annos, quam triginta auri libras, ſoluunt pro entroniaſtico ſolidos centum, qui pro portione eius quod minus quis habet, decreſcunt; ad cò ut ſi ad duas auri libras annuus redditus non adſcendat, nihil debeat. Dicuntur autem Archiepiſcopi, etiam Metropolitani, conuſo vulgo nomine: ſed reuera hoc intereſt, quòd Archiepiſcopi iure eccleſiaſtico auctoritatem habent in Epifcopos ſibi ſubiectos, ſiue ipſi Archiepiſcopi in Metropoli degant, ſiue non: Metropolitani autem id quod habent, non iure eccleſiaſtico habent, ſed iure Metropolis in qua viuunt, ut quemadmodum ipſa Metropolis oppidis ſibi ſubditis imperat, ita & Epifcopus eiufdem urbis, in eorundem oppidorum Epifcopos, ſi non eccleſiaſticum, aliquòd certè imperium habeat. Atque ita plus eſt Archiepiſcopum eſſe, quam Metropolitanum. Nam præterquam quòd Metropolitanus in ius ad Epifcopum vocari, & cauſam apud eum dicere inuenitur: tum Iuſtinianus ſe ſedem Iuſtiniæ primæ patriæ ſuæ, non modò Metropolitanam, quod minus eſt, ſed & Archiepiſcopalem feciſſe ait, quod maius. Cæterum horum nominum conuſio inde orta eſt, quòd Archiepiſcopi in Metropoli ſerè conſtitui ſolent, vnde ex iis quæ communiter accidunt, iidem & Archiepiſcopi, & Metropolitani vocari cœperunt. Creantur autem Archiepiſcopi, vel à Patriarchis quibus parent, vel ab Epifcopis ſuæ ſynodi, quod priuilegij loco habetur. Atque ad hunc quidem tractatum de Archiepiſcopis pertinet conſtitutio nouella: *De priuilegiis Archiepiſcopi Iuſtiniana prima, & ſede P.P. Illyrico in Pannoniam ſecundam, id eſt, Iuſtinianeam primam transferenda.* ſiue, *Ut qua circa Viminacium ſunt, ſub Romanis ciuitates ſub proprio Archiepiſcopo ſint, non autem ſub Theſſalonica.* Vbi Iuſtinianus primæ Iuſtiniæ patriæ ſuæ Antitiſtem non ſolum Metropolitanum, ut dico, ſed etiam Archiepiſcopum facit, & certas prouincias ſub eius auctoritate eſſe iubet. G. Optimè. T. Dehinc ſunt Epifcopi, qui Archiepiſcopis ſubiecti, inde nomen habent, quòd tamquam ſpeculatores ſunt gregis Domini. Vnde & Epifcopi maris apud veteres appellantur, & Epifcopi panis apud Arcadium Iuriſconſultum, qui pani præſunt, & cæteris rebus venalibus, quæ ciuitatum populis vitum quotidianum ſuggerunt. Nec aliò pertinet quod Paulus ait: Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epifcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiſt ſanguine ſuo. G. Bene dicis. T. Habent autem ſub ſe Cœrepiſcopos, quos in partes laboris ſubinde vocare, & certæ alicui regioni urbis vel agri (vnde & nomen habent) præponere ſolent. G. Præclare. T. Atque hos quidem ab Apoſtolis ipſis, & Spi-

ritu sancto institutos fuisse, & successores Apostolorum esse, tum quidem ex illo, quem recitavi, Pauli loco intelligi potest: tum verò quòd Petrus Apostolatum Episcopatum vocat, cum de Iuda proditore illud Psalmi adfert: Et episcopatum eius accipiat alter. Et verò ipsius Domini vicarios eos esse, inde perspicitur, quòd diuus Petrus Christum Episcopum vocat, cum ait: Eratis sicut oves errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem & episcopum animarum vestrarum. vnde quoque fit, vt nomen hoc Episcopi omnibus quatuor supradictis ordinibus sit commune. G. Pulchrè. T. Atque de his quidem scribens Paulus ad Timotheum, Si quis episcopatum desiderat, inquit, bonum opus desiderat. Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, vnus vxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitem, doctorem, non vinulentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos, cum omni castitate. Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei curam habebit? & alia quæ sequuntur. Vnde inter cætera colligitur, id quod tu antè dixisti, eiusdem hominis esse, & sibi, & domui, & reipublicæ præesse, ad iustitiam in eam inducendam. G. Scitè. T. Et idem Paulus in epistola ad Titum eodem ferè modo Episcopum describit, cum ait: Oportet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non iracundum, non vinulentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem, complectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sua, & eos qui contradicunt arguere. G. Probè. T. Quæ quidem ideo huc adferre volui, vt quoniam pacto ea quæ post dicentur, hinc tanquam ex perenni fonte deriuata sint, intelligatur. Tractaturque de Episcopis, & aliis, de quibus idoneo loco tractabitur titulo Codicis: *De Episcopis & clericis, orphanotrophis, & xenodochis, & prochorrophis, & ascetis, & monachis, & privilegiis eorum, & castrensi peculio, & de redimendis captiuis, & de nuptiis clericorum vetitis seu permisis.*

De medio ordine clericorum.

TITVLVS XVII.

DE HINC de medio ordine clericorum expecto vt dicas. T. Hunc in Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & Hypodiaconis me posuisse, credo meministi. G. Memini verò. sed de Episcopis an amplius habes quod dicas? T. Habeo sanè, nempe qualisnam eligendus sit Episcopus, qui & Præsul & Antistes dicitur; quomodo creandus ordinandusque, quod eius sit officium, & quæ habeat priuilegia. G. Qualis autem eligendus est Episcopus? T. Qualem ex Paulo modo descripsimus. qua de re quoniam Leonis & Anthèmi exstat constitutio propè singularis, e re erit, vt verba eius in medium proferamus. Sunt autem hæc: Si quemquam vel in hac regia vrbe, vel in cæteris prouinciis, quæ toto orbe diffusæ sunt, ad episcopatus gradum prouehi Deo auctore contigerit, puris hominum mentibus, nuda electionis conscientia, sincero omnium iudicio proferatur. Nemo gradum sacerdotij pretij uenialitate mereatur. quantum quisque mereatur, non quantum dare sufficiat, aestimetur. profectò enim quis locus tutus, & quæ causa esse poterit excusata, si venerandæ Dei templa pecuniis expugnentur? quem murum integritatis, aut vallum fidei prouidebimus, si auri sacra fames in penetralia veneranda proserpit? quid denique tutum esse poterit, aut securum, si sanctitas incorrupta corrumpatur? Cesset altaribus imminere profanus ardor auaritiæ, & à sacris adytis repellatur piaculare flagitium. Itaque castus & humilis nostris temporibus eligatur Episcopus, vt quocumque locorum peruenerit, omnia propriæ uitæ integritate purificet. non pretio nec precibus ordinetur Antistes. tantum ab ambitu debet esse sepositus, vt queratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi: profectò enim indignus est sacerdotib, nisi fuerit ordinatus inuitus. Et sanè si quis hanc sanctam & venerandam Antistitis sedem pecuniæ interuentu subnisse, aut si quis, vt alterum ordinet, vel eligeret, aliquid accepisse detegitur, ad instar publici criminis, & læsæ maiestatis accusatione proposita, à gradu sacerdotij retrahatur. Nec hoc solum deinceps honore priuari, sed perpetuè quoque infamiae damnari decernimus: vt eos quos par facinus coinquinat & æquat, utrosque similis poena comitetur. G. Quomodo autem creatur Episcopus? T. Enimvero hac de re & aliis constitutio est nouella: *Quomodo oporteat Episcopos & ceteros clericos ad ordinationem produci, & de expensis ecclesiarum. siue: Quomodo oporteat creari Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, siue Diaconissas, siue Subdiaconos, & cuiusmodi poenam transgressores eorum, qua in hac constituta sunt,*

sunt, mercantur. Et primùm quidem clerus & primòres vr̄bis vnum in locum conueniunt ad Episcopum eligendum, qui prolatis sacrosanctis Euangeliis, dant inter se iusiurandum (quod ex cautionalibus principiis originem trahit, ad malum vitandum) se illum pro se quemque electuros sine fraude, quem ad eam rem maximè idoneum iudicabunt. Inde duos aut tres, si tot fortè reperiuntur, spectatæ fidei & virtutis eligunt (quemadmodum ab Apostolis in electione Matthiæ fiebat) quos ad Archiepiscopum deducunt, vt quem velit inde sumat, & Episcopum creet. Ille antequam id faciat, primùm vitam & mores eorum inquirat, ecquid eiusmodi sint quales ab Apostolo describuntur, ne fortè in electione erretur: deinde in doctrinam eorum; nam nemo sacrarum literarum ignarus Episcopus capi potest: & ætatem; nam trigessimum quintum annum impleuisse oportet, ne sit neophytus: & statum ac conditionem; nam neque maritus, neque idiota, neque laicus, neque curialis, officialisue, vel cohortalis fortunæ homo, ob muneris dignitatem Episcopus creari potest, nisi laicus (si fortè ob vitæ, ac morum, vel doctrinæ præstantiam electus sit) tres menses ante electionem clericus fuerit; vel curialis, cohortalisue, ab ineunte ætate, vel certè quindecim antè annis monachus: tum in rationem ac formam qua ad electionem peruenerint; nam si per fordes id fortè factum sit, non solum non creandi, sed etiam creati mouendi sunt, pecuniis quæ datæ sint, ipsi ecclesie, quæ iniuria affecta est, addictis, in simplum quidem, si clericus sit quiesce acceperit, in duplum verò, si laicus. Atque huius quidem rei gratia Archiepiscopus omnibus, qui volent, potestatem facit criminandi & accusandi eum qui creandus est Episcopus: ad eò vt si quis existat accusator, nulla creatio legitima fieri possit ante iudicium finitum. Et quidem si is qui accusat reum peragat eum qui nominatus est, siue legibus, siue canonibus; perit, & pro nihilo ducitur electio. Si verò contrà vel deferat accusationem, vel cognita causa calumniator appareat, pœna falsi commissi est, vt, si clericus est, gradu moueatur; si laicus, pœnis legum puniatur. Nam quemadmodum bonum nomen in eo qui creandus est, exigitur: ita calumnia in his qui falsò accusant, punitur; accusatoque per iniuriam, præmium integritatis & innocentie datur, vt in Episcopum sumatur. Et verò cum suprà per te demonstratum est, non minùs ad iustitiam pertinere, malum odisse, quàm bonum amare; ideo Iustinianus ad Imperatoris officium vel maximè pertinere ait, vt per legitimos tramites calumniarum iniquitates expellantur, & Orpheus iustitiam stridentis in morem inuidiam & sycophantiam prosequi ait, & David de iusto rege loquens, iudicabit pauperes populi, inquit, & saluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem. G. Sic est. T. Porro conuenit, inquit Iustinianus, huiusmodi eligi & ordinari sacerdotes, quibus nec liberi sint, nec nepotes. Etenim fieri vix potest, vt vacans huius quotidianæ vitæ curis, quas liberi creant parentibus maximas, omne studium, omnemque cogitationem circa diuinam liturgiam, & res ecclesiasticas consumat. Nam cum quidam summa in Deum spe, & vt animæ eorum saluæ fiant, ad sanctas accurrant ecclesias, & eis omnes suas facultates adferant, & derelinquant, vt in pauperes & egentes, & alios pios vsus consumantur: indecens est, Episcopos in suos illud auferre lucrum, aut in propriam sobolem, & cognatos impendere. Oportet enim Episcopum, minimè impeditum affectionibus carnalium liberorum, omnium fidelium spiritualem esse patrem. Has igitur ob causas prohibemus habentem natos aut nepotes ordinari Episcopum. Hæc ille.] G. Iam ordinatio autem Episcopi quonam modo fit? T. Hac ferè formula, prout exstat ea de re Nouella: *De ordinatione episcoporum & clericorum.* Primùm is qui ordinandus est, fidem suam, iussu Archiepiscopi, claris & apertis verbis profiteatur, quam propria manu scriptam & signatam tradit Archiepiscopo custodiendam, ne qua in posterum fraus subesse possit. Deinde exquiratur ecquid verba concepta, & preces sacræ communionis & baptismatis teneat. Tum iureiurando affirmat, se nullis malis artibus aut sordibus ad eam dignitatem peruenisse. Post, prælectis sacris regulis, quas certa fides suscepit, & Catholica Dei Apostolica Ecclesia disposuit, interrogatur in conspectu populi, ecquid eas potis sit seruare, additis execrationibus, ni ita fecerit, à Deo alienum, & honore potito exuendum, & legibus, quæ sacris obsequuntur canonibus, puniendum fore. ad quod si respondeat, se, quatenus humana fragilitas patitur, aduersum (absque eo enim non ordinatur) quod bonum, felix, faustumque ecclesie ipsique sit, manibus capiti impositis Episcopus ordinatur. Tantæ molis tantæque momenti rem sancti Patres & Imperatores iudicabant, Episcopum, qui populum Dei pascendum & gubernandum suscepturus sit, ordinare. G. Præclare. T. Atque hac quidem re diuinam gratiam conferri, ex eo liquet, quod Paulus ad Timotheum scribit, in hæc verba: Propter quam causam admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum. Et tu iam suprà docuisti diuinis Christi sacramentis, in

tis, in quibus est & sacramentum Ordinis, eam vim inesse, vt gratiam, & iustitiam Dei in hominem inducant, & virtute Spiritus sancti eum perfundant. G. Sic est. T. Ac formulam quidem ordinationis tradit Dionysius his verbis. G. Cedo quibus? T. Præful igitur qui sacrandus offertur, vtroque genu posito ante altare, supra caput habet à Deo tradita Euangelia, manumque Pontificis, atque hoc modo à consecrante Pontifice, castissimis imprecationibus consummatur. Sacerdos verò coram sancto altari ponens vtrumque genu, in capite habet Pontificis dexteram, & in hunc modum à sacrate Præsede sanctissimis inuocationibus consecratur. At verò minister altero tantum coram sanctis altaribus posito genu, sacrantis se Pontificis dextram in capite præfert, atque ab eo perficitur, precationibus ad eam rem accomodatis. Cuilibet autem ipsorum à benedicente Pontifice crucis imprimitur signum, & per singulos sacra prædicatio nominis, consummansque consalutatio fit, cunctis sacri ordinis viris, ipsoque sacratore Pontifice eum salutantibus, qui ad aliquem sacrorum (quod diximus) ordinum ea fuerit consecratione promotus. Planè ordinatus autem Episcopus, primùm, quod more maiorum debetur, enthronasticum persoluit, quod datur in manus primi Presbyteri, & Archidiaconi; illi porro inter eos quos oportet diuidunt. Ac tantum quidem abest vt hoc enthronasticum vitiosum habeatur, vt si, postquam Episcopus quis creatus est, bona sua omnia velit offerre ecclesie, id non solum reprehensione careat, verùm etiam laude dignum ducatur. Debent porro curare primùm facti Episcopi vel Archiepiscopi (nam eadem est ratio omnium) vt à quo tempore creati sunt (nisi aliud Imperator indulserit) intra annum ad ecclesiam suam se conferant: cuius rei cura iis incumbit, quibus ipsi parent, Patriarchæ quidem, si quidem Archiepiscopus est qui creatus est; Archiepiscopo verò, si quidem Episcopus: quorum partes sunt, eos qui diutius quàm per leges licet, absunt, edictis publicè præpositis vocare; inque nec obediens legibus agere; & si maior appareat contumacia, honore, quo se indignos præstant, exuere. Sed & œconomis ecclesiarum interdicit, ne pecuniis, aut aliis rebus absentes iuuent aut instruant; vt & hac ratione, quantum quidem fieri potest, coercantur, & in ordinem cogantur. Nec verò audiendi sunt, si dicant se lites in curia persequi; id enim per œconomos suos, apocrisariosve, vel notarios, quos ad id habent, rectè possunt. Ac cum omnes Episcopi certum genus habitus cultusque gerere debeant, quo inter vias commodè vti nequeunt, & magnum secum habeant comitatum, & decentius facient, & minus erit sumptuosum, si domi in diocesi sua se contineant. Si qua grauior incurrat causa, maiorque necessitas, quæ ad Principem eos cogat proficisci; literas à Præsule suo impetrabunt, quas commendatitias sacri canones vocant, cum quibus ad Imperatorem ibunt: vbi autem Constantinopolim sedem Imperij venerint, continuò dabunt operam, vt eum adeant, causamque aduentus exponant: quod commodè facere poterunt, vel per aliquè ex referendariis sanctissimæ maioris Ecclesie, vel per apocrisarios cuiusque diocesis, qui circa Principem versantur. Princeps postulatis coram auditis & cognitis, nullam moram interponat, quo minus continuò absoluantur, & responso accepto, domum ad suos redeant, debitisque numeribus incumbant. G. Quibusnam autem illis? T. Enimverò hæc sunt: Sacrorum canonum custodiam gerere: Transgressores ac præuaricatores eorum punire: Synodos cogere: Clericos post fidem eorum ac mores exploratos ordinare: Captiuorum, ne durius habeantur, ac maximè quidem diebus dominicis, curam agere: Ne mercatores pro Christianis captiuis redemptis immensum pretium exigant, dispicere: Ne à Barbaris captiui redempti, à quoquam detineantur, aut iniuria afficiantur, providere: Puellas Christianas prostitutas vitæ turpi eximere: Hæreticos ac Mathematicos ita vt oportet coercere, eorumque libros flammis comburere: Tributorum rationes, cum quinque primatibus vrbis exigere: Si prouinciales à præsidibus opprimi videantur, ad Principem vnà cum primoribus ciuitatis id deferre: Si quid vltra modum tributorum nomine imperauerint, causa sine scriptis cognita restitui iubere: Ne quid pro officiis militisue, amplius quàm oportet accipiatur, curæ habere: Legem ea de re latam, cum sacris vasis in ecclesia reconditam asseruare: Eandem in tabulis aut lapide incisam, in porticu Ecclesie publicè propositam habere: Magistratum dicta factaque omnia, siue ea recta, & præmio digna sint, siue praua, notare, & ad Principem perscribere: Neue quid eo nomine publica detrimenti capiat, providere: Defensores ciuitatum, vnà cum reliquo clero, aliisque ad quos ea res pertinet, creare, iururandumque exigere: Pupillis ciuitatis, quorum bona non minus quinquaginta solidorum sunt, adhibito vrbis defensore, tutores dare: Præsidem prouinciæ ius reddere, negantem monere, si qua in re suspectus sit, vnà cum eo causam cognoscere & iudicare: Officiales sportularum nomine amplius quàm decet extorquentes, si Præses minus officium suum faciat, acriter punire. & si qua sunt his similia.

G. In-

G. Intelligo. T. Quæ quidem si diligenter & ex fide, vt oportet, obeant, & Deo rem gratam faciant, & apud Imperatorem, cæterosque mortales, immortalem laudem merebuntur: sin verò minùs, primùm Deum vltorem habebunt: deinde, vti canonica punitio inferatur, Princeps ipse curabit. quam quidem sanctionem (nam sic tu eam vocasti) ideo Imperator legi suæ apponit, vt ostendat quantopere sibi curæ est, vt res ecclesiasticæ rite atque ordine administrantur. G. Dehinc priuilegia autem Episcoporum quænam sunt? T. Vt ob præstantiam dignitatis, qua quasi patres populi habentur, simul atque Episcopi effecti sunt, patria potestate liberentur, vt ostendit Constitutio nouella, *que per dignitates & episcopale munus filios liberat potestate patria*. vbi indecorum esse Iustinianus ait, vt hi sub alterius degant potestate, quos in loco parentum ipse ducit, & qui omnium patres sunt spirituales. Item ne tutelam aut curam inuiti subeant, neue ad testimonium apud iudicem prophanum dicendum vllò iure, vel imperio ciuili, aut honorario, citra Imperialem iussionem compellantur. Et si quod fortè testimonium dandum est, domum ad eos eatur, ibique propositis sacrosanctis Euangelis iniurati testimonium dicant, & si qua sunt alia eiusmodi: nam iam supra abs te didicimus, iure singulari, & priuilegiis quibusdam in rebus ac personis esse opus. G. Post Episcopos, de Presbyteris superest vt dicas. T. Hi ab ætate grandiore nomen habent: quoniam non alij ferè, nisi singulari ex causa ad hunc ordinem admitti solent, quàm viri ætate graues. quamquam hodie triginta quinque anni secundùm leges nostras sufficiunt, quemadmodum in Diaconis viginti quinque, & in Lectore octodecim. Vocantur quoque Sacerdotes à sacris quæ tractant: nam & sacræ communioni, & baptismati, & populo docendo præsent, ordinanturque eodem ferè modo quo Episcopi. Et quemadmodum in illis, ita & in Presbyteris, tum quidem scientia sacrarum literarum requiritur, tum autem vitæ puritas & honestas, quæ non modò omni vitio, sed & iusta suspicione careat, tum verò status legitimus: nam neque curiales, neque officiales in Presbyteros assumuntur. nec assumuntur quoque qui secundas nuptias contraxerint, aut viduam vxorem duxerint, aut concubinam domi alunt, quippe quia sacerdotes nihil magis decet quàm castitas. Et ideo nisi is qui hunc honorem suscepturus est, sanctè promittat, se post acceptum sacerdotium cælibem victurum, aut certè si quid vxori, quam fortè habet, humanitus contigerit, non aliam ducturum, non admittitur. Et si quis Presbyter, Diaconus, aut Subdiaconus creatus, quid horum secus fecerit, factò ipso dignitatem amittit, & in eorum qui laici siue idiotæ dicuntur, ordinem recidit. Verba Honorij & Theodosij Imperatorum sunt: Eum qui probabilem sæculo disciplinam agit, decolorari consortio sororiæ appellationis non decet. Quicumque igitur cuiuscumque gradus sacerdotio fulciuntur, vel clericatus honore censentur, extranearum simul mulierum interdictiona consortia cognoscant, hac tantum eis facultate concessa, vt matres, filias, atque germanas, intra domorum suarum septa contineant: in his enim nihil sæui criminis existimari fœdus naturale permittit: illas autem non relinqui, castitatis hortatur affectio, quæ ante sacerdotium maritorum legitimum metuere coniugium: neque enim clericis incompetentes aduenæ sunt, quæ dignos sacerdotio viros sua conuersatione fecerunt. G. Bene narras. T. Atque hos quidem Presbyteros siue Seniores ab Apostolis fuisse institutos, multa sacræ scripturæ loca demonstrant. dicitur enim in Actis: Surrexerunt autem quidam de hæresi Phariseorum, qui crediderunt, dicentes: Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque seruare legem Moyse, conueneruntque Apostoli & Seniores videntes de verbo hoc. Item: Tum placuit Apostolis & Senioribus cum omni ecclesia eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam. Et rursus: Statuerunt vt ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alij ad Apostolos & Presbyteros in Hierusalem. Et Paulus ad Titum scribens, Huius, inquit, rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates Presbyteros, sicut ego tibi disposui. G. Rectè. T. Ac sunt inter hos Presbyteros, qui Archipresbyteri vocantur, quorum munus est enthroniasticum, de quo modò dictum est, accipere: & diariis, aliisque rebus inter presbyteros diuidendis præesse. G. Intelligo. T. Porro in creandis sacerdotibus hoc solenne est, vt sacrosancta Dei præcepta & canones, præsentate populo, is qui creatur suscipiat: quo factò, si vitam ecclesiasticam postea deserat, pœna admissi est, vt locuples in curiam cum omnibus bonis suis detur, pauper autè & egenus, ad conditionem officialem detrudatur. G. Iam de Diaconis quidnam habes dicere? T. Nomen eorum à seruiendo deductum est, propterea quod Episcopis & Presbyteris in sacrosancta communionem, baptismate, & aliis sacris officiis ministerium præstant. G. Ita est. T. Et quemadmodum superiorum, ita & horum origo ab Apostolis est: apud quos non infrequens eorum est mentio, veluti cum Paulus ad Timotheum scribens ait, Diaconos pudicos esse oportere, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum

scetan-

sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura. G. Verum. T. Occasio autem qua primùm creati sunt, narratur in Actis Apostolorum, his verbis: In diebus autem illis, crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum aduersus Hebræos, eo quodd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum. conuocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonij septem, plenos Spiritu sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus, nos verò orationi, & ministerio verbi instantes erimus. & placuit sermo coram omni multitudine, & elegerunt Stephanum virum plenum fide & Spiritu sancto, & Philippum & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum aduenam Antiochenum. hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus. G. Sic est. T. Quin vti Diaconi masculi sunt, ita sunt & Diaconissæ feminæ in Ecclesia, quarum sub Pio Pontifice, sub annum Christi centesimum sexagesimum, fit mentio: quas ob hoc primùm constitutas fuisse, Epiphanius ait, vt ob pudorem sexus, in baptismatibus feminarum Episcopis ac sacerdotibus ministrarent. Oportet autem eas vita, ac moribus eiusmodi esse, vt ab omni iusta reprehensione, suspicioneque absint, virgines, aut vnus mariti viduas, quinquagenarias, secundùm Apostolum, aut certè quadragenarias, non minùs. Degere verò debent in ascetriis, aut ita solæ, vt virorum consuetudinem omnem procul à se amoueant, nisi fortè patres, filios, aut fratres secum habeant, in quibus naturæ sancta coniunctio nullam admittit turpitudinis suspicionem. Alia autem causa est eorum qui cum Diaconissis, aliisue sacris mulieribus agentes, Dilecti vulgo dicuntur, quos planè remoueri & facessere lex iubet. Pudicitix proditæ pœna mors est, cum publicatione bonorum, tam ipsius Diaconissæ, quàm eius qui vitium (etiam prætentu nuptiarum) ei obtulit. Si quæ sit quæ in suspensionem aliquam incurrit, admonita ab Antistita sua, purgare ei se debet: quod si non fecerit, si quidem secundò ea de re interpellata nondum facit officium, mota sacris, & priuata diariis detruditur in monasterium. G. Optimè Ianè. T. Ducunt autem Diaconissæ originem à piis illis mulieribus, quas Domino ipsi ministrasse in Euangelio proditur, nec non à viduis, quarum in Apostolicis scriptis fit mentio. ait enim Paulus: Vidua eligatur non minùs sexaginta annorum, quæ fuerit vnus viri vxor, in operibus bonis testimonium habens; si filios educauit, si hospitio suscepit, si sanctorum pedes lauit, si tribulationem passa est, si parentibus subministrauit, si omne opus bonum subsecuta est. G. Pulchrè. T. Atque vti inter Presbyteros, Archipresbyteros esse diximus; ita inter Diaconos sunt qui Archidiaconi appellantur, quorum munus est, enthroniasticum & diaria inter eos distribuere. G. Restat de Hypodiaconis vt dicas. T. Hi quinam sint nomen ipsum indicat: nam qui loco inferiore post Diaconos ministerium exhibent, hoc modo vocantur; & inuenias vbi tam ipsi quàm Diaconi Leuitæ dicantur, ad similitudinè Leuitarum veteris Testamenti: nam vti illi post Pontificem erant & Sacerdotes, ita & hi post Episcopum sunt & Presbyteros. Estque hoc omnibus istis quatuor ordinibus, de quibus iam egimus, commune, vt maiorum ordinum Clerici vocentur, & casti ac cælibes viuere iubeantur, & vt nemo, nisi spectatæ virtutis & continentix, & qui bonorum approbationem meruerit, ad eos admittatur. nam cum inter cætera munus eorum sit, vt pro populo apud Deum intercedant: quomodo peccatis aliorum expiandis idonei esse queant, qui ipsi impuri, & inquinati, omni que scelere cooperiti sunt? G. Sic est. T. Et quidem circa eorum electionem, creationemque, & ordinationem, quàm sollicitè versandum sit, docet Iustinianus his verbis: Quodd ordinationes Sacerdotum cum summa fieri debent diligentia, docet nos inter sanctos habitus Gregorius Theologus, sanctos Apostolos, & sacros securus canones. ita enim dicit in magno Apologetico: Quis autem ad Pauli se regulas & præcepta dimetiens, quæ de Episcopis & Presbyteris fecit, vt sobrij sint, modesti, non vinolenti, non percussores, instructi ad docendum, irreprehensibiles in omnibus, & nihil cum improbis habentes commercij, non deprehendat multum se ab hac regularum rectitudine discrepare? Et rursus idem sic dicit: Mundum priùs esse oportet, deinde mundare, instructum sapientia, atque ita ad sapientiam instruere; lucem fieri, & illuminare; appropinquare Deo, & alios ad Deum adducere; sanctum esse, & sanctificare, deducere, sed cum manibus; dare consilium, sed cum prudentia. Et rursus idem in sanctis habitus de iisdem in eadem oratione hoc scribit: Quis obsecro quasi figulina vno eodemque die fingat veri mysterij Antistitem, qui cum aliis Angelis stationem habeat, cum Archangelis laudes Deo dicat, cum Christo sacerdotali munere fungatur? Et per hæc quidem ostendit Theologus, quales ad sacerdotiù promoueri oporteat. De his verò qui indignè ordinantur, idem hæc dicit in eadem oratione: Qui cum nihil antea in sacrum Dei aluere intulerint, nihil

antea laboris ad id quod pulchrum est assequendum sustinuerint, simul discipuli & magistri pietatis designantur, & prius quam purgentur ipsi purgant; heri sacrorum direptores, hodie sacerdotes; heri à sacris alieni, hodie sacrorum principes; veterani malitia, tyrones pietate; beneficio humanæ gratiæ, non spiritus. Quod autem eos qui alteram duxerunt uxorem, sacri canones clericos esse prohibeant, in sanctis etiam habitus Basilius docens, ita inquit: Eos qui nuptias iterarunt, canon excludit ministerio. In tantum autem sancti Patres pro sacerdotio gesserunt curam, ut hi qui Nicæ conuenerunt, ita se habentem canonem ediderint: Interdixit enim in vniuersum magna Synodus, ne cui vel Episcopo, vel Presbytero, vel Diacono, vel qui omnino in clero constitutus sit, liceat adscititiâ secum uxorem habere, præter matrem, aut amitam, materteramue, aut quæ solæ personæ suspicionem effugiunt. Haftenus Imperator.] Pertinetque huc nouella, *De sanctissimis Episcopis, & Deo amabilibus, & reuerendissimis clericis & monachis.*

De minimo ordine clericorum.

TITVLVS XVIII.

QUONIAM de maximo & medio ordine clericorum tractatum est, de minimo volo ut exponas. T. In hoc sunt qui minorum ordinum clerici vocantur, quatuor numero, ut antè diximus: Acolythi, Exorcistæ, Lectores, & Ostiarij. nam utique constat Hyginum Pontificem Romanum, sub annum Christi centesimum quinquagesimum, clericos in septem ordines distinxisse, tres maiores, sacerdotij, qui omnibus maioribus est communis, diaconatus, & subdiaconatus: & hos quatuor minores, quos clericos æquè atque superiores vocari Iustinianus scribit. faciuntque horum omnium mentionem, Valentinus, Valens; & Gratianus Imperatores, his verbis: Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, atque Exorcistas, & Lectores, Ostiarios, & Acolythos, etiam personalium munerum expertes esse præcipimus. G. Acolythi autem quinam sunt? T. Qui cereis in ecclesia portandis seruiunt; vnde & Ceroferarij à nonnullis appellantur; dicti tum quidem à comitatu Episcoporum, in quò semper versantur; tum quidem ab eo (literis paululum mutatis) quòd licet initiati non sunt, à sacris tamen non arcentur. G. Quinam Exorcistæ? T. Qui energumenis, qui à malis spiritibus agitantur, manus imponunt, ad ludibria dæmonum fuganda: nam uti apud Dionysium Arcopagitam est, neque Cathecumeni, neque Energumeni sacris mysteriis interesse possunt, nisi nomen Domini nostri Iesu Christi super iis per Exorcistas fuerit inuocatum, ut spiritus immundi egrediantur ab illis. cuius rei & in Actis Apostolorum fit mentio, cum dicitur: Tentauerunt autem quidam & de circumeuntibus Iudæis exorcizatis inuocare nomen Domini Iesu. Et apud Paulum, cum ait: Numquid omnes donationes sunt sanationum? G. Lectores autem? T. Qui legendis sanctis scripturis in ecclesia operam nauant. cuius vsus & in Euangelio fit mentio, cum Dominus ipse in synagoga legeret, & in Actis Apostolorum. Pertinentque huc & Prophetæ, qui, quæ lecta sunt, enarrant; & Cantores, qui Psalmos, & alios Hymnos in ecclesia decantant. quorum omnium Epistolæ Pauli, & canones Apostolorum meminerunt. Nec aliò pertinet quod Plinius ad Traianum de Christianorum antelucanis conuentibus, precibus, exhortationibus, hymnis, & aliis id genus piis exercitiis scribit. G. Ostiarij denique? T. Qui fores templi seruant, cuiusmodi Iustinianus centum in maiori ecclesia Constantinopolitana constituit. Qui quidem & Cantorum meminit, quos in ecclesia quidem versari & clericos vocari, sed ordinem tamen ecclesiasticum per se non obtinere, constat. G. Intellego. T. Atque hæc quidem cum de tribus ordinibus clericorum ita se habeant, Iustinianus considerans nihil penè eorum quæ honesta & pulchra sunt decere, si modum egrediantur, sanciuit certum Constantinopoli debere esse numerum, sic ut in sacrosancta maiore ecclesia, cum aliis ecclesiis ei adiectis, ultra sexaginta Presbyteros, Diaconos verò mares centum, feminas quadraginta, & Subdiaconos nonaginta, Lectores autem ultra centum decem, Cantores ultra viginti quinque existant: ut vniuersus reuerendissimorum clericorum maioris ecclesiæ numerus, in quadringentis viginti quinque personis, & centum præterea Ostiariis (ut vocant) consistat. Atque hæc quidem Iustinianus eo modo quoque constituit, ne sumptibus ecclesia ultra facultates suas grauetur, aut plus quàm par est appetendi causa detur. Nam non oportet, inquit, vndique ad sumptus possessiones conquirere (nam id insatiabili cuidam auaritiæ & impietati proximum est) sed ex moderatis facultatibus sumptus temperare. Et verò, ut ad suprâ dictum numerum res paulatim redigatur, iubet Imperator, ut deficiente aliquo clerico in vna suprâ dictarum ecclesiarum, in eius

ei^{us} locum non aliunde alius substituatur, quàm ex vna de suprâ dictis Ecclesiis, vbi vlt^{ra} supradictum statutum numerum clerici abundant, vt sub Nouella suprâ dicta, *Vt clerici ab vna ecclesia in aliam transferantur*, videre licet.

De monachis.

TITVLVS XIX.

G. **A**BEO de clericis: nunc de monachis reddito. **T.** Hi sunt, quos, virtutis excolendæ causa, vitam singularem & à communi consuetudine remotam persequi diximus, dum certo cultu vestium, & tonsura caputum in perpetuis orationibus, ieiuniis, vigiliis, solitudine, castitate, & aliis piis exercitiis, de quibus antè tractatum abs te est, versantur, ad iustitiam in se & alios inducendam. Etenim conuersationis monachalis vita sic honesta est, inquit Iustinianus, sic commendare pouit Deo hominem, vt omnem eius humanam maculam detergat, & plurima secundum mentem operantem, & humanis cogitationibus celsiorem reddant; ita vt si perfectus futurus sit monachus, & diuinorum elogiorum eruditione indigeat, & conuersationis integritate, vt tanta dignus sit mutatione. **G.** Intellego. **T.** Atque horum quidem originem si exquiras, primum, vt omittam Nazaræos, quorum in lege Mosaica fit mentio, tum cum omnis Christi actio, nostra sit institutio, eam proculdubio vitæ Christi partem hoc genus homines imitantur, qua in solitudine degebat, quem admodum & de Ioanne Baptista est proditum, quem vestimentum de pilis camelorum, zonamque pelliceam circum lumbos habuisse, escamque eius locustas & mel siluestre fuisse scribitur. Nec abhorret ab hoc proposito, quod de Anna prophetissa in Euangelio dicitur, quæ non discedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens die ac nocte. Et verò ipsorum Apostolorum temporibus, cum Marcus Euangelista Alexandria degeret, monachos in Ægypto fuisse, Eusebius & Nicephorus produnt; quos eos ipsos fuisse aiunt, quorum institutum sanctissimum Philo in libro de vita contemplatiua describit. Quibus adde Dionysium Arcopagitam in libro de Hierarchia ecclesiastica. Nam cum primum Græci ab Ægyptiis hoc genus vitæ accepissent, post à Græcis ad Latinos manauit. **G.** Est ita vt dicis. **T.** Ac quamquam quidem in clericis non numerantur, inter ecclesiasticos tamen poni, & cum Patriarchis & Archiepiscopis curam Ecclesiæ Catholicæ contra hæreticos, ob summam vitæ sanctitatem & innocentiam, mandatam illis esse constat: nam solitaria vita, inquit Iustinianus, atque in ea contemplatio, res planè sacra est, & quæ suapte natura animos ad Deum adducat, neque iis tantum qui eam incolant commodet, sed etiam omnibus aliis puritate sua, & apud Deum interpellatione, competentem de se utilitatem præbeat. **G.** Pulchrè narras. **T.** De his ergo videndum est, qui & quomodo rectè fiant monachi; quæ sint eorum differentia; quod habeant vitæ institutum; quos Præfectos; & quæ sint monachæ siue ascetriæ. Nam licet quidem respublica Christiana ita omnino institui nequeat, vt omnes æquè sint perfecti; aliquid tamen proponendum esse, quod, qui ad maiora perfectioraque nitî velint, se referre possint, cuiusmodi est vita monastica, suprâ demonstratum est. Pertinentque huc Constitutiones nouellæ, *de monasteriis & monachis, & eorum Antistitibus. De his qui ingrediuntur monasteria, & substantias suas consecrant. De monachis & ascetriis, & eorum conuersatione.* vnde quæ dicemus, pleraque depromemus.

Qui & quomodo rectè fiant monachi.

TITVLVS XX.

G. **V**INAM autem rectè fiant monachi? **T.** Omnes, tam serui (dummodo non inuito domino id fiat) quàm liberi; quos cunctos similiter, inquit Iustinianus, diuina suscepit gratia, secundum quam neque masculus est, neque femina, neque liber, neq. seruus, sed omnes vnâ mercedem percipimus: & si quis sponsus vel sponsa vitæ monasticæ se dedere velit, etiam falsis artibus id facere licet. Quod & iis ex mutuo consensu permittitur, qui iam legitimis nuptiis sunt coniuncti, ad eò vt simul ac habitum alter eorum sumpserit, haud aliter dissoluatur inter eos matrimonium, quantum ad dotis repetitionem attinet (idque sine libello repudij) atque si mors interuenisset. **G.** Quo pacto autem fiant monachi? **T.** Equidem cum minimè facilis sit vitæ hominum mutatio, sed cum animi magno fiat labore, antequam ad habitum ac tonsuram monachalem quis admittatur, totum triennium in

monasterio habitasse, ibique sacris scripturis tractandis, & officiis monasticis obeundis talem se Abbati probasse debet, vt non labe aliqua conscientie, sed studio pietatis, eò se contulisse, & planè dignus sacrosancta illa societate comperiat. G. Benè habet. T. Receptus autem se, & sua Deo dedicasse secundùm Iustiniani constitutionem censetur, sic vt de bonis suis, quorum amplius dominus non est, nulla ratione possit disponere, ne si liberos quidem habeat, nisi fortè ante constitutionem illam editam monasterium fuerit ingressus: porrò post suprà dictum triennium in monasterio exactum, nemo inde extrahi potest; siue liber sit filius familiars, siue seruus, quamquam ante tempus hoc exactum, dominus seruum suum, si quidem ob flagitium eò confugerit (non autem si studio pietatis id factum sit, & frugi esse videatur) non illicitè repetat, dato iureiurando quòd nihil mali ei faciet, & susceptum eum reducet domum, ne prætextu religionis re sua quis priuetur, quod secundùm principia ethica fieri non debet: quia non est faciendum malum vt eueniat bonum. G. Rectè. T. Formulam autem qua in monachum quis recipitur, eleganter describit Dionysius in libro de cælesti hierarchia, hoc modo: Stat quidem sacerdos ante sacrum altare monasticum imprecationem psallens: ille autem post sacerdotem adstat, non vtrumque ponens genu, non alterum, non habens imposita sacra elogia capiti, verùm solùm sacerdoti adstans mysticam super illum inuocationem persequenti. Ea verò finita, sacerdos ad eum accedens, interrogat primùm an renunciet diuisibilibus omnibus, non solùm viuis, verùm imaginibus quoque & phantasis. Deinde exponit illi perfectissimam vitam: illud apertè contestans, oportere illum medio longè antecellere. Vbi verò ille ista omnia intentè promiserit, consignans eum crucis signo sacerdos, tondet, trinas diuinæ beatitudinis personas inclamans, exutumque veste omni, aliam induit, & cum sanctis aliis qui adstant viris, ipsum salutans, diuinorum mysteriorum participem efficit. G. Probè. T. Planè si quis monachus factus, vitæ melioris quam suscepit pertæsus, inde discedat, si quidem seruus est, ipso facto in seruitutem recidit; si verò liber, si quidem ad militiam aliquam se conferat, inter officiales præsidis prouinciæ pœnæ causa collocatur, vt pro sacro ministerio despecto, tribunalis terreni obseruet seruitium. Imò si idem & monachus & clericus factus sit, & lector aut cantor creatus, non quidem ad militiam se aliquam contulerit, sed relicto monasterio vxorem duxerit, aut cõcubinam habere cõperit, honore ecclesiastico exutus, ne quam vnquam militiam capiat, prohibetur. Reliqui tametsi impunè quidem à vita monastica transire possunt ad profanam (quòd & ipsum Deum tamen habebit vltorem) eam nihilominus pœnam sustinent, vt quæ secum attulerint bona, monasterio relinquere debeant: quòd & tum quoque locum habet, cum ab vno monasterio ad aliud quis transit, quòd vt inconstantis vagique animi signum improbatur. Ingressi monasterium, se & sua dedicant Deo, quòd & vsque ad eò obtinuit, vt si de re aliqua post mortem restituenda fidei commissio grauati sint, id fidei commissum in fauorem religionis euanescat, nisi fortasse in captiuorum redemptionem restitutio fidei commissaria sit collata, quæ causæ monasticæ præfertur. Porrò si vxorem aut liberos fortè habet is qui ingreditur monasterium; vxori quidem dos salua permanet, yna cum eo quòd in mortis causam pactum aut promissum est: liberis verò quarta pars cedit bonorum paternorum, si ex causâ dotis, aut donationis propter nuptias eam nondum sunt consecuti, nisi fortasse cuncta sua bona pater inter liberos partiri velit, quòd antequam ingrediatur monasterium, iure ei permissum est.

De differentiis monachorum.

TITVLVS XXI.

G. **N**unc differentiæ monachorum quænam sunt? T. Enim veto ex monachis alij sunt qui ex hominum consuetudine penitus se remouentes, solitariam omnino & soliuagam vitam, in speluncis & solitudinibus persequuntur, vbi in vna rerum diuinarum cõtemplatione, mentisque agitatione versantur. vnde Anachoritz dicuntur à secessione ab hominibus, & Hesichiaz, propter tranquillam viuendi rationem, & altissimum in ea silentium: alij autem qui communiter in monasteriis degunt, & mutua consuetudine ad virtutem se exercent, quos Cœnobitas inde vocant. G. Intellego. T. Ac cum prius genus perfectissimorum omnino sit hominum, & qui hominem ex homine quodammodo exuerint, posterius eorum est qui ad perfectionem tendunt, & ad id paulatim exercentur. Nam ei qui cœnobita est, non facile, inquit Imperator, permittendū est vt anachorita fiat, nisi multis experimentis planè se dignum tanta re, & omnes propemodum tentationes superasse probauerit.

De

De institutis monachorum.

TITVLVS XXII.

G. **I**NSTITVTA autem monachorum cuiusmodi nam sunt? **T.** Equidem ea ita certa regula, quam vocant, sunt descripta, vt partim ad superiora hominem trahant, secundum principia ex pulchro deducta, ad bonum prosequendum; partim ab inferioribus abducant, secundum principia cautionalia, siue necessitatis, ad malum vitandum. **G.** Quæ autem est eorum summa? **T.** Vt animum ad Deum intentum erectumque monachi habeant: Lectioni sacrarum literarum incumbant: Artem manuariam ad otium pellendum teneant, opusque faciant, vnde victum quærant: Doctores quatuor, aut quinque sui instituti monachos, in quoque monasterio habeant, qui sacris literis docendis, iunioribusque in officio continendis vacent: Vt communiter inter se viuant: cibum vnà capiant: Vno in loco, suo quisque in strato, corpore quam aptissime composito, dormiant: Omniumque actionum suarum testem aliquem habeant: Iuniores cum senioribus coniungantur: Nihil quidquam priuatim, ne cellulam quidem, quam vocant, possideant, nec opes accumulent: Vt monasterium perpetuo muro clausum sit: exitus quam paucissimos habeat, qui à castissimis & optimis quibusque obseruentur: Vt monachi domi se contineant, neue per vrbes vicosque vagentur & oberrent: In popina reperti, vt continuò defensori ciuitatis tradantur puniendi: Negotiis profanis se non immisceant, necessaria per apocrisarium obtineant: Sine scitu & voluntate Præfulis ne quis exeat: Solius rei diuinæ causa, si fortè monasterium ædem sacram non habeat, cum præfule ac primoribus in publicum prodire fas sit: Nullæ feminæ in virorum monasteriis, aut monachis, ne prætentu quidem memoriæ defunctorum, aut cognationis, appareant: Denique cum cælestem vitam affectent, res omnes terrenas, amicitiasque ac necessitudines communes contemnant, ac pro nihilo ducant, **G.** Probè. **T.** Planè quia nihil eorum quæ inclusa sunt legibus (inquit Iustinianus) vt æquum est seruari potest, nisi conuenientem habeat custodiam: sancimus, vt qui cuiusque monasterij pro tempore Præful fuerit, continuò ad ipsum animaduertat, & in vnoquoque, ad instar rei & disciplinæ publicæ, operam nauet. Et sicubi vel paululum quiddam contra decorum fiat, proximus hoc emendet: neque committat, vt maior exinde lapsus oriatur, & anima, quæ ad salutem ex sancta vitæ atque fidei institutione prouenientem confugit, pereat. Ipse quoque monasteriorum summus Præfectus enixè in eam rem operam dato, & apocrisarios suos per monasteria dimittito: è vicinis etiam interrogato, nunquid mali in aliquo vicinorum perpetretur monasteriorum: atque hæc omnia coerceto, & competentem pro dignitate impendito prouidentiam.] Hæc Iustinianus, qui ne quid hac in re diligentia omittatur, præter Præfectos monachorum, non solum Episcopos & Archiepiscopos, nec non Patriarchas, sed & præfectum vrbi, & præsides prouinciarum eius rei curam habere mandat.

De Præfectis monachorum.

TITVLVS XXIII.

G. **P**RÆFECTI monachorum quinam sunt? **T.** Quos Abbates vocant, quasi patres dixeris: nam Syrorum lingua patrem abbam appellari, ex sancti Pauli Epistolis intelligitur. Item Archimandritæ, qui, quod speluncis monachorum sunt præpositi, nomen inueniunt. Tum Perioderitæ, qui de vno monasterio ad aliud, visitandi, vt vocant, causa, circumeunt. Porro Synoditæ, qui conuentibus monachorum præsunt, & denique Exarchi, qui integras prouincias monachorum administrant. quorum omnium in iure nostro ciuili mentio reperitur, vbi non solum monachos, sed & clericos, suos habuisse Exarchos demonstratur. **G.** Quid horum Præfectorum quodnam munus est & officium? **T.** Vt suos diligenter in officio contineant, nec regulam vlla in parte, aut non curantia negligi, aut malitia conuelli patiantur. Si autem, secus à quoquam factum erit, vt admonetur, seorsimque à cæteris monachis ad tempus conclusus habeatur. Si ea te non proficitur, acrior adhibetur castigatio, & conclusio strictior arctiorque. Quod si nec hoc quidem prodest, & post omnia remedia adhibita, nihil pro sano agere videatur, itur tandem ad illud extremum, vt de monasterio exterminetur, ne qua mali labes apud eos remaneat, quos, putis manibus in cælum tensis, pro reliquis hominibus orare, pacemque ac bona omnia suis precibus

procurare oportet. G. Optimè profectò. T. Planè si quando vsus sic postulat, vt nouus Antistes monasterij creandus sit, electio est monachorum, qui iurati eunt in suffragium, se illum pro se quemque nominaturos, quem virtute ac moribus spectatum nouerint. nominatione facta, Episcopi partes sunt, vnum ex iis qui nominati sunt desumere, qui eiusdem corporis sit & monasterij, & quem maximè ad eam rem iudicauerit idoneum, quem Abbatem creet. In quo quidem delectu habendo, non tam illud spectabit, qua quis ætate sit, maiore vel minore, quisue prior aut posterior ad vitam monasticam se contulerit (quamquam eorum aliqua etiam habenda est ratio) quàm qua doctrina quisque sit præditus, & qua virtute, vitæque puritate sit, & innocentia: vt qui iis rebus præstet, imperet, reliqui autem, in quibus non tanta vis inest boni, pareant. Nam oportet eos qui discernunt id quod melius est à peiore, aliud quidem ad regendum dimittere, aliud verò inclinari iubere, & paulatim per eruditionem hoc etiam ad melius adducere. Verba Iustiani sunt: lubemus autem vt Abbas, siue Archimandrita, qui in singulis existit monasteriis, non per omnia secundum gradus monachorum, sed secundum actiones vitæ creentur. Sed & quem omnes monachi, qui meliore opinione sunt, elegerunt, propositis sanctis Euangeliis, aientes quòd non per amicitiam, aut quamcumque aliam gratiam ipsum elegerint, sed quòd eum & fide rectum nouerint, & vita honestum, & administratione dignum, quodque monachorum scientiam, & omnem monasterij disciplinam ac statum vtiliter conseruare possit, religiosissimo Episcopo, sub quo monasterium constitutum est, omnibus modis Præfulem, qui eo modo electus est, promoturo.]

De ascetriis.

TITVLVS XXIII.

G. **N**UNC de ascetriis quid ais? T. Hæ sunt feminae quæ vitam monachalem profitentur, quas & sanctimoniales, & sacras virgines, & monastrias leges nostræ vocant. Ac dicuntur quidem ascetriæ à virtutis & pietatis exercitio: nam & monachi eadem de causa ascetæ apud sacræ historiarum scriptores, & alios, appellantur. Philo in libro suprâ memorato Therapenditas eas vocat, constatque, ex eodem fonte quo monachos, illas existisse. G. Audio. T. Porro habitum autem gerunt religiosum, quo vt alia feminae induantur, ac maximè quidem quæ ludicras artes exercent, corpûsue prostituunt, lege prohibetur. G. Intellego. T. Ad hæc nulli masculo permissum est, vt in ascetris feminatum conspiciatur, aded vt ne mortui quidem sepulturæ causa in eum locum inferri possint. Et si quam feminam ibi contingat sepeliri, non omnes quidem sanctimoniales adesse possunt, sed sola antistita, vel ostiaria. G. Rectè. T. Pudicitiam earum non modò violare, sed vel tentare (etiam si matrimonij causa) capitale est: bonis quoque eorum qui tale quid admisisse comperientur publicatis; quæ quidem vel ipsis monasteriis addicuntur, si petant, vel comiti rerum priuatarum, si negligant. Porro raptores virginum, inquit Martianus, vel viduarum, vel diaconissarum, quæ Deo fuerint dicatæ, pessimo criminum peccantes, capitis supplicio plectendos esse decernimus: quod non solum ad iniuriam hominum, sed ad ipsius omnipotentis Dei irreuerentiam committitur. Et quidem vt omnis suspicio ab his sanctimonialibus absit, ad res suas gerendas actores & apocrypharios non alios quàm eunuchos habere possunt, qui nec ipsi ad alias virgines quàm ostiariam, vel antistitam, aditum habent. Quod & in viduis Deo consecratis, quarum Paulus meminit, seruatur. G. Probè. T. Ac quantum ad præfectos earum attinet, non modò magistræ sui ordinis habent, siue antistitam, sed & presbyterum, siue diaconum, qui sacram communionem illis præbeat. degit autem non cum illis in monasterio, sed loco quodam iuxta monasterium. nam vt mares simul & feminae in eodem monasterio habitent, legibus vetatur.

De lecticariis.


TITVLVS XXV.

G. **A**CCEPTI de clericis, & item de monachis: quid? ane iam restat, de lecticariis vt sit exponendum? T. Restat verò. & sanè pium hoc esse opus inde constat, quòd inter opera charitatis & misericordiæ censetur, mortuos sepelire; vnde & sepulturæ Christi & Ioannis nominatim fit mentio in Euangelio, & fuere ad eam rem instituta cœmeteria à Dionysio Pontifice, sub annum Christi ducentessimum octogesimum: patetque apud Hieronymum & Epiphani-
um,

nium, eos qui his rebus dant operam, inter ecclesiasticos quoque numerari. G. Probè narras. T. Dicemus autem primùm de iis qui corpora defunctorum curant, tum qui funus ducunt, pòst qui ægrotantibus operam nauant.


De iis qui corpora defunctorum curant.

TITVLVS XXVI.

G.  VINAM sunt qui corpora defunctorum curant? T. Hi apud veteres Romanos libitinarij, polinctores, & vespillones esse solent, quorum in Pandectis fit mentio. sed temporibus Christianis, quæ nos persequimur, lecticarij vocari ceperunt, à lecticis, quibus corpora mortuorum imponuntur, vt suprà dictum est; & copiasse, ab onere ferendo, quod in corporibus efferendis subeunt; & denique decani, quoniam per contubernia distributi, deni ferè degere solent. quamquam id nomen propriè illius est, qui reliquis nouem præest. G. Teneo. T. Et quidè, vt certus his in rebus ordo habeatur, placuit vt Constantinopoli iuxta maiorem ecclesiam, officinæ siue ergasteria lecticariorum (sic enim vocantur) sint numero mille & centum, quæ suis quæque decuriis distinguuntur, & sua habent priuilegia, & immunitates, quibus non fruuntur aliæ officinæ extra illum numerum passim per quatuordecim regiones vrbs diffusæ, vt ostendit Constitutio nouella, *De officinis siue tabernis Constantinopolitanae vrbs: & vt mille tantùm & centum officina sacrosancta maioris ecclesie excusentur: omnes reliquæ, ad quamcumque domum pertineant, consueta obeant munia.* Ad eò curæ fuit veteribus Patribus & Imperatoribus, vt quæ mortuis iusta debentur, rectè fiant,


De iis qui funus ducunt.

TITVLVS XXVII.

G.  AM funus autem qui ducunt? T. Certè cum lecticariorum sit, corpus efferre; qui circa funus versantur, sunt acolythi, de quibus suprà dictum est; & ascetriæ, nec non aliæ mulieres, quæ canonicæ vocantur, à vita regulari quam ducunt: quorum omnium munus est, iuxta funus incedere, cereos portare, hymnos funebres canere, & alia eiusmodi. G. Intelligo. T. Ac degunt hæ mulieres in ascetriis, & xenonibus, siue hospitalibus ad hoc destinatis, iuxta maiorem ecclesiam Constantinopolitanam, vbi necessaria vitæ iis præbentur. funera autem gratis procurantur, ne cum rebus sacris pretium misceatur, vt tu suprà ostendisti minimè fieri debere, ne cum cultu Dei, auaritia, quæ cultus idolorum est, vt inquit Paulus, misceatur. G. Probè dicis. T. Et verò qui necessariis præbendis, rebusque lecticariorum aliorumque administrandis præfunt, œconomi sunt, & defensores maioris ecclesie; œconomi quidem octingenti, defensores verò trecenti, quorum munus est, vt redditus prædiorum ad lecticarios pertinentium percipiant, indeque ipsi, aliisque suprà scriptis sua menstrua in singula semestria soluant: decanis quidem in singulos menses, centum octoginta duos solidos, ascetriis verò nonaginta, acolythis nonaginta vnum, & canonicis triginta sex; ita vt nummi non ipsis quidem in manum dentur, sed xenodochis sub quibus degunt. Planè si cessatores sint œconomi defensorésue, nec suo tempore satisfaciant; officium Episcopi est, vt eos moueat, aliosque in ipsorum locum sufficiat.

De iis qui ægrotorum curam habent.


TITVLVS XXVIII.

G.  AM ægrotorum curam qui habent? T. Qui Parabolani in iure nostro vocantur, dicti à periculo ac discrimine quod subeunt in agris tractandis, vnde contagium fortasse contrahere possunt. Quare à spectaculis; & aliis conuentibus publicis abesse iubentur, ne populum inficiant. qua de re verba legis sunt: Non licet autem Parabolanis; nec ad quodlibet publicum spectaculum, neque ad curiæ locum, neque ad iudicium accedere, nisi fortè singuli ob causas proprias & necessitates iudicem adierint, aliquem pulsantes lite, vel ab aliquo ipsi pulsati; vel in communes totius corporis causas syndico ordinato, sub ea definitione, vt si quis eorum hæc violauerit, & breuibus Parabolanis eximatur, & competenti iudicio subiuge-

tur, nec vnquam ad eandem sollicitudinem reuertatur. G. Bene narras. T. Eliguntur autem Parabolani numero sexcenti Alexandriae, ab Episcopo eius urbis, ex omnibus ciuibus, exceptis honoratis & curialibus. Qua de re verba Honorij & Theodosij Imperatorum sunt: Parabolanos, qui ad curanda debiliū ægra corpora deputantur, sexcentos constitui præcipimus, ita vt per arbitrium viri reuerendissimi Antistitis Alexandrinæ urbis, de iis qui antè fuerant, & qui pro consuetudine curandi gerunt experientiam, sexcenti Parabolani ad huiusmodi sollicitudinem eligantur, exceptis videlicet honoratis & curialibus. Si quis autem ex his naturali sorte fuerit absumptus, alter in eius locum pro volūtate eiusdem Sacerdotis, exceptis honoratis & curialibus, subrogetur: ita vt hi sexcenti viri, reuerendissimi Sacerdotis præceptis ac dispositionibus obsecudent, & sub eius cura consistant.


De ministris ecclesiasticorum.

TITVLVS XXIX.

G.  VM de principalibus personis ecclesiasticis hætenus tractatum sit, agemus de ministris earū nunc exponito. T. Hi sunt qui Actores generali nomine appellantur; quibus ideo opus est, quoniam rebus diuinis occupati, humanis operam dare neque possunt per otium, neque debent ob superiorum rerum diuinarum procurationem, quæ cum humanis inferioribus misceri non debent, vt exemplo Apostolorum supra probatum est. G. Quid autem? specialia eorum nomina quænam sunt? T. Primi in hoc genere sunt qui Oeconomus vocantur, ad quos administratio rerum ecclesiasticarum, & monasteriorum, aliorumque locorum, sub Episcopi, vel Abbatis auctoritate pertinet, vnde etiam Dispensatores dicuntur. iis proximi sunt Defensores ecclesiæ, qui & Ecdici vocantur, quibus hoc muneris incumbit, vt ecclesiam ab iniuria defendant, causamque postquam Oconomus in ius vocatus est, suscipiant. Nec longè ab iis absunt Apocrisiarij, siue Responsales, nisi quòd Responsales in iure tantum versantur, Defensores etiam in his quæ ad vim, aliãve iniuriam auertendam prohibendamque pertinent, ne quid ecclesia detrimenti patiatur. Ac cum omnes ecclesiæ & monasteria suos habeant proprios Apocrisiarios: sunt alij generales, qui Constantinopoli degunt, & suæ quique dioceseos apud Imperatorem, si quando sic vsus postulat, res agunt. A quibus non multum differunt Referendarij maioris ecclesiæ, qui & ipsi iis de rebus ad Imperatorem referunt, quæ ex cuiusque dioceseos ecclesiis eò deferuntur. Post hos numerantur Chartularij ecclesiæ, qui chartas & munimenta ad ecclesiam pertinentia tractant & curant: Notarij, qui scribatum gerunt: nam tametsi quidem eos qui notis scribunt, nomen hoc dumtaxat spectet, deductum tamen est generaliter ad omnes scribas: & Diocetæ, qui specialem aliquam procurationem, iubente Oconomus, subeunt. Porro sunt præter hos etiam Cimeliarchæ, siue custodes thesauri ecclesiæ & vasorum, vnde & Custodes thesaurarij vocantur, qui posterioribus temporibus etiam ex ecclesiasticorum ordine deligi cœperunt, quemadmodum & de supradictis factum est: sed initio non nisi ex laicis sumebantur, propterea quòd hominem ecclesiasticum ab omnibus his rebus profanis alienum esse oporteat, vt dictum est.

De legibus ecclesiasticorum.

TITVLVS XXX.

G.  ESTAT de legibus ecclesiasticorum secundum propositum ordinem vt nunc dicas. T. Enimvero eas partim supra complexi sumus; partim vero plures sunt, quàm vt huic breuitati nostræ, qua summas rerum dumtaxat attingimus, conueniat omnes velle enumerare. præcipuas tamen attingere operæ precium videtur. G. Hæ autem quænam sunt?

T. Numerus clericorum pro modo facultatum cuiusque Ecclesiæ, certus statusque esto. Eum ne excedito.

Multitudinem, quæ confusionem parere solet, vitato.

Supernumerarij nulli sunt.

Magistratus aliud molientes, nec non ipsum Principem, eiusque palatium Antistes coerceto.

In demortuorum locum, qui alibi abundassint, sufficiuntor.

Ordo clericorum vitio vacato.

Canones seruantor.

Cæteris specimen sunt.
 Ab alea spectaculisque abstineto.
 Quemquam manu percutere, religio esto.
 A iudiciis aliisque negotiis publicis se remouento.
 Insinuationes testamentorum ne admittunto.
 Episcopi & monachi, tutores curatoresque ne sunt:
 Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi ita demum, si ad legitimam propinquorum tute-
 lam vocabuntur.
 Publica ne conducunt.
 Alienarum litium concinnatores, redemptoresve aut intercessores ne sunt.
 Suam quisque ecclesiam obito.
 Alienam maioremve, deserta propria, ne affectanto.
 Si quis secus faxit, noxæ pœna par esto.
 Sacræ oblationis preces, & baptismatis, ritâ concipiunto.
 Rei diuinæ faciendæ pietatem adhibento.
 Opes amouento.
 Ex diariis siue diuisionibus quotidianis viuunt.
 Ea, qui nec aderunt, quive proprias ecclesias deserunt, ne percipiunt.
 In eorum locum alij ab Episcopo surrogantur, qui annonarias aliâve eorum diuisiones
 percipiant, ne sacro ministerio quicquam decedat.
 Distributionibus faciendis certi diuisores sunt.
 Nihil harum rerum in vsus suos conuertunt.
 Si quid ex dimenso supererit, in veros pauperes, qui aliunde non habent vnde viuant,
 eroganto.
 Nec egenis per ambitionem danto.
 Si quid secus fecerint, pœna diuina exitium; humana, vt damnum datum refarciant.
 Coercendi clericos apud Episcopos auctoritas esto.
 Qui ecclesiam exstruxit, eamque opibus fundauit, clericos in ea nominandi, & Episcopo
 offerendi ius potestatemque habeto.
 Illos Episcopus, si idoneos reperit, clericos ordinato.
 Nec idoneos repellito.
 Clerici non interuentu pecuniæ, sed gratis creantur.
 Pro introitu siue insinuatione, nisi in maiore Ecclesia, nihil soluitor.
 Quod pro consuetudine petendum est, vnus anni diaria ne excedito.
 Seruus sciente domino, vel iussu populi, clericus creatus, libertatem nanciscitor.
 Si aliter vitio creatus est, dominus intra annum manus iniectionem habeto.
 Adscriptitij, nec volente domino, nisi in iis agris quibus adscripti sunt, ne operas suas
 dominus perdat, creantur.
 Officiales rationalis principis, antequam paria fecerint, in ordinem clericorum ne reci-
 piuntur: & recepti, ad pristinam conditionem sine fraude retrahuntur.
 Per solutis reliquis, ad sacros ordines admittuntur, consensu tamen eius, cuius ea de re no-
 tio erit, eaque lege vt duæ partes bonorum apud liberos, aut propinquos remaneant,
 vel apud officium in quo militarint.
 Decuriones, ne quidem si patrimonio cedere velint, rectè sacerdotes creantur:
 Exceptis primipilaribus, qui in perpetuum præfecti prætorio, & publicis vtilitatibus sunt
 addicti.
 Creati clerici, de vna ecclesia ad aliam, sine permissu Imperatoris, vel Episcopi, ne
 transeant.
 Viuenti successor ne dator.
 In curia, nisi cum literis Episcopi, ne apparento.
 A sordidâ muneribus immunes sunt.
 Mercaturis faciendis, aliisque artibus non inhonestis exercendis, vitam quærere ius fas-
 que esto.
 Bona iustè parta pro peculio castrensi habento.
 Vti quisque eorum de ea re legassit, ita ius esto.
 Querela inofficiosi testamenti aduersus vltimas eorum voluntates nulla dator.
 De bonis ab Ecclesia partis ne testantur.
 Ea post mortem ipsorum, nisi in redemptionem captiuorum erogata sint, ad Ecclesiam
 reuertantur.

Si quis

Si quis clericus sine legitimis hæredibus decedat, qui libertinus, censibus adscriptus, aut curialis non sit, Ecclesia ei hæres esto.

Ob vitium Episcopatu motus ne reficitor.

In delectu creandorum habendo, cuius extero præfertor.

Deferens vitam ecclesiasticam, diues ad curialem, egenus ad officialem conditionem detruditor.

Maiores gradus adepti, cælibes castique viuunto.

Ne quis Episcopus vllam habeat mulierem domi.

Cæteri non amplius vnam, omni suspicione vacuam.

Quæ sub dilectarum nomine cum iis esse solent, remouentor.

Ad Deum iustè adeunto.

Pacem, fruges, & reliqua omnia bona, sua intercessione apud Deum procuranto.

G. Quàm breui abs te, frater, in conspectu positæ sunt leges optimæ, quæ ex Evangelicis, & Apostolicis, Patrumque, & piorum Imperatorum constitutionibus secundum Iustinianum collectæ, numero quidem paucæ sunt, sed rerum ac sententiarum momentis omni pondere grauiores, partim ad bonum adipiscendum, partim ad malum declinandum, partim ad rem ipsam secundum suam naturam describendam constituta.

T. Ita res habet. Et verò hæc sunt principia illa, ex quibus secundum ea quæ antè differuisti, omnia iura, legesque deduci debent. G. Rectè. T. Atque hætenus quidem de personis ad diuina pertinentibus, quarum pulcherrimam descriptionem & hierarchiam si quis diligenter intueatur, inueniet nihil in terris nec sanctius esse, nec diuinius; quippe cum per eam forma quædam, vt dictum est, ac species adumbratur illius hierarchiæ, quam in cælo Deus collocauit, ad quam capeffendam, quædam hîc ponuntur rudimenta. vnde perspicitur, quanto scelere se obstringant, qui hoc tam præclarum Dei munus suis impiis conatibus conuellere, & tanquam solem è mundo tollere conantur.

L I B E R

LIBER SEXTVS.

De rebus diuinis.

TITVLVS I.

G. **D**E HINC quid? Anne placet de rebus diuinis vti te interrogem, quando qui de personis erat locus propositus, totus est perpurgatus? T. Placet verò. Et quidem diuinas vocamus res, quæ ad Dei agnitionem & cultum, veræque religionis Christianæ conseruationem pertinent. G. Eas autem quonam modo partiris? T. In doctrinam ecclesiasticam, instituta ecclesiastica, & disciplinam ecclesiasticam: quæ omnia ex iis ducuntur, quæ tu suprâ tractasti, cum de formis ac modis differeres, per quas iustitia in hominem & rempublicam inducitur: quas partim diuinas, partim humanas, partim mixtas ponebas; & tum quidem in doctrina, tum autem in vsu, tum verò in disciplina aiebas consistere: cum quibus hæc planè congruere, per se, ni fallor, patet, & magis etiam posterius apparebit. G. Quid? visne ergo de singulis vt tractemus? T. Sanè volo, & quidem ordine.

De doctrina Ecclesiastica.

TITVLVS II.

G. **H**ITVR de doctrina ecclesiastica quid ais? T. Eam dico esse, quæ circa sacrosanctam fidem Catholicam & orthodoxam versatur, ad eam in rempublicam siue ecclesiam inducendam: qua re vna, vera perfectaque iustitia Christiana continetur. Nam fidem eam propriè dicimus, non quæ mortua sit, sed quæ bonæ spei plena, per opera charitatis viuens operatur. Quemadmodum enim intelligentia, memoria, & voluntas numquam separantur, vt tu suprâ docuisti: ita nec fides, spes, & charitas, quæ in iis insunt, vmquam seiungi possunt, sed semper simul iunctæ, & inter se copulatæ permanent. G. Hæc autem doctrina in quonam consistit? T. In duobus, quantum quidem libris Iuris ciuilibis est proditum. G. Cedo quibus? T. In traditione rectæ fidei, & professione.

De traditione rectæ fidei.

TITVLVS III.

G. **T**RADITIONEM rectæ fidei quam vocas? T. Formulam eius à piis Imperatoribus ex præscripto Ecclesiæ, secundum principia Euangelica & Apostolica conceptam. quam triplicem hinc recitabimus. Vnam generalem, alteram specialem, & tertiam quæ generalis pariter sit & specialis. G. Dic primam. T. Hæc Gratiani, Valentiniani, & Theodosij est Imperatorum, quorum verba sunt: Cunctos populos quos clementiæ nostræ regit Imperium, in tali volumus religione versari, quam diuum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio vsque adhuc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandriæ Episcopum, Apostolicæ sanctitatis virum: hoc est, vt secundum Apostolicam doctrinam, Patris, & Filij, & Spiritus sancti vnâ deitatem sub pari maiestate, & pia trinitate credamus. Hanc legem sequentes, Christianorum Catholicorum nomen iubemus amplecti, reliquos verò dementes vesanosque iudicantes, hæretici dogmatis insaniam sustinere, diuina primùm vindicta, post etiam motus animi nostri, quem ex cælesti arbitrio suppressimus, ultione plectendos. G. Dic alteram. T. Ea vnus Gratiani est, quæ sic habet: Nicenæ assertor fidei, & Catholicæ religionis verus cultor accipiendus est, qui omnipotentem Deum, & Christum Filium Dei vno nomine confiteatur, Deum de Deo, & lumen de lumine, qui Spiritum sanctum (quem ex summo rerum Parente speramus & accipimus) negando non violat, apud quæ intemeratæ fidei sensus viget incorruptæ trinitatis indiuisa substãtia, quæ Græco verbo *ὁμολογία*, rectè credentibus dicitur. G. Dic nunc tertiam. T. Hæc Iustiniani est, cuius verba sunt quæ sequuntur: Omnes verò Sacerdotes sanctæ Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ, & reuerendissimi Archimandritæ

dicitur sanctorum monasteriorum, sequentes sanctitatem vestram, & custodientes statum & unitatem sanctarum Dei Ecclesiarum, quam habent ab Apostolica vestrae sanctitatis sede, nihil penitus immutantes de ecclesiastico statu, qui hactenus obtinuit, atque obtinet, vno consensu confitentur, & glorificant, predicantes Dominum nostrum Iesum Christum, vnigenitum Filium, & verbum Dei, & Dominum nostrum, ante saecula, & sine tempore, de Patre natum, in vltimis diebus descendisse de caelis, & incarnatum ex Spiritu sancto, & sancta & gloriosa virgine, & Dei genitrice natum, & hominem factum, & crucifixum, vnum esse sanctae & consubstantialis trinitatis, & coadorandum & conglorificandum Patri & sancto Spiritui: nec enim alium Deum Verbum, & alium Christum cognoscimus, sed vnum atque eundem ipsum consubstantialem Patri secundum diuinitatem, & consubstantialem nobiscundem ipsum secundum humanitatem, passibilem carne, eundem ipsum impassibilem deitate. vt enim est in diuinitate perfectus, ita idem ipse in humanitate perfectus est: in vna enim substantia deitatem suscipimus & confitemur, quod dicunt Graeci *ὁμῳσιον*. Et quoniam vnigenitus Filius, & Verbum Dei, ante saecula, & sine tempore de Patre natus, idem ipse & in vltimis diebus descendens de caelis, incarnatus ex Spiritu sancto, & sancta atque gloriosa semper virgine, & Dei genitrice Maria, & homo factus est, Dominus noster Iesus Christus proprie & verus Deus est: ideo & sanctam, atque gloriosam virginem Mariam proprie & verè Dei matrem esse dicimus: non quia Deus Verbum principium ex ipsa sumserit, sed quia in vltimis diebus descendit de caelis, & ex ipsa incarnatus, & homo factus, & natus est, quem confitemur & credimus (sicut dictum est) consubstantialem Patri secundum deitatem, & consubstantialem nobiscundem ipsum secundum humanitatem, eiusdem miracula & passiones, quas sponte carne sustinuit, agnoscentes. Suscipimus autem sancta quatuor Concilia, id est, trecentorum decem & octo sanctorum Patrum qui in Nicena vrbe congregati sunt, & centum quinquaginta sanctorum Patrum qui in hac regia vrbe conuenerunt, & sanctorum Patrum qui in Epheso primò congregati sunt, & sanctorum Patrum qui in Chalcedone conuenerunt, sicut vestra Apostolica sedes docet atque praedicat.] G. Rectè. T. Atque hæc quidem fides & Catholica dicitur, hoc est, vniuersalis, totius Ecclesiae, & Orthodoxa, nempe recta opinione constans, & Apostolica, tanquam ab Apostolis tradita, & per manus per eos accepta, vt habet titulus Codicis, *De summa Trinitate, & fide Catholica, & vt nemo publicè de ea contendere audeat*. nec non, *Edictum de fide, Constantinopolitanis*, inter ceteras nouellas Constitutiones, factum. Ac vetatur quidem publicè de religione contendere: partim externa ratione, ne id quod apud omnes certissimum esse debet, in dubium vocetur: partim interna, ne sanctum detur canibus, aut proiciantur margaritæ ante porcos.

De professione rectæ fidei.

TITVLVS III.

G. **A**M professionem autem rectæ fidei in quonam ponis? T. Vt non modò formulam eius memorizæ teneamus, sed & re, ac verbis, in omnibus præ nobis eam feramus, palamque profiteamur, & tam priuatim quàm publicè in tota reipublicæ administratione, legumque condendarum pulcherrimo munere, nihil aliud quàm veram Christi religionem spectemus, in eaque & principium, & medium, & finem omnium rerum agendarum collocemus, vt se facere Iustinianus ait, & ita fieri debere tu supra latè probasti, addens hæc fidei confessione nihil nec præstabilius esse, nec mortalium generi à Deo collatum diuinius, quippe in quo solo summum hominis bonum sit constitutum. G. Probè. T. Vnde Iustinianus, Præcipuum, inquit, summumque omnibus hominibus bonum esse credimus, rectam veræ & irreprensibilis Christianæ fidei confessionem, in hoc vt per omnia ipsa valentior reddatur, & omnes habitati orbis religiosissimi sacerdotes ad concordiam copulentur, & vno ore rectam Christianorum confiteantur & prædicent fidem, & omnis ab hæreticis excogitata adimatur occasio. G. Optimè. T. Atque hinc proficiscitur, quòd Imperator nomen Domini nostri Iesu Christi libris suis præponit, & omnibus instrumentis præponi iubet, vt hac ratione, quicquid est negotiorum in republica, fermento veræ Christi religionis fermentetur, vt præclare antè à te dictum est. G. Teneo. T. Nec aduocationis numere quisquam fungi potest, nec diocetis, siue dispensatoris operum publicorum, nec archigerontæ, hoc est, præfecti eorum, nisi qui sacrosanctam fidem Catholicam suscepit, eamque palam profiteatur. Et si quis sponsalia cum ea contraxerit sciens prudens, quæ diuersam à fide Christiana religionem colit, eoque nomine arras dederit, nullam poenæ nomine earum habet repetitionem. G. Probè. T. Et sacramentum eorum qui

qui officia publica suscipiunt, sic quoque est compositum, ut tam iniurandum ipsum, quam execratio, per religionis Christianæ professionem concipiantur. G. Quomodo iniurandum? T. Testor ego jurando omnipotentem Deum, & unigenitum Filium eius Dominum nostrum Iesum Christum, & Spiritum sanctum, nec non sanctam ac gloriosam Dei genitricem, & perpetuam virginem Mariam, & quatuor Evangelia, quæ hæc manibus teneo, & sanctos Archangelos Michaellem & Gabrielem.] G. Execratio autem? T. Quod si non omnia hæc, ut dixi, obseruauero, omnibus incommodis ero expositus, tam hæc quam in futuro seculo, inque horrendo iudicio maximi Domini Dei, & Seruatoris nostri Iesu Christi, habeboque partem cum Iuda, & lepram Giezi, & timorem Cain, ultra hoc, quod etiam poenis legum ero obnoxius.]

De institutis Ecclesiasticis.

TITVLVS V.

G. **P**OST doctrinam ecclesiasticam, de institutis ecclesiasticis nunc pergito dicere. T. Enimvero cum tu supra demonstraris, iustitiam partim diuina ratione, per sacra sacramenta & sacrificia; partim humana, per usum & exercitium; partim mixta, per pias preces & cerimonias in rempublicam induci: hæc instituta ex omnibus illis sunt decerpta, habentque vim admirabilem ad veram pietatem ac iustitiam in animos & actiones hominum infundendam. G. Rectè. T. Et quidem cum antè quoque docueris, omnem pietatem ac iustitiam vel ad Deum pertinere, vel ad homines, vel ad mortuos: hæc instituta eodem quoque modo diuiduntur, quemadmodum & de hierarchia iam vidimus.

De institutis ad Deum pertinentibus.

TITVLVS VI.

G. **V**ID? Instituta ad Deum pertinentia quænam sunt? T. Quibus ad Dei cultum in republica publicè constituendum, veramque religionem in animos hominum inducendam utimur. Quæ quidem in ritibus ac cerimoniis consistentia, quantumuis parua videantur, quantum tamen vim habeant, ad iustitiam in rempublicam inducendam abs te supra luculenter est disputatum. G. Memini tactum à me fuisse. T. Et quidem cum à Christi ipsius, & Apostolorum, Patrumque temporibus sint deducta, & partim scripto tradita; partim per manus tradita; nam omnia literis mandari nec possunt, nec debent: tanta eorum habenda est auctoritas, ut, licet ratio ignoretur, parere tamen iis oporteat, ut præclare Origenes, bonus auctor, ut scis, & peruetustus, scriptum reliquit. G. Quid autem ille ait? T. In Homilia quinta libri Numerorum scripsit ad hunc modum: Sed & in ecclesiasticis obseruationibus sunt nonnulla eiusmodi, quæ omnibus quidem facere necesse est, nec tamen ratio eorum omnibus patet. Nam quod, verbi gratia, genua flectimus orantes, & quod ex omnibus cæli plagis ad solam orientis partem conuersi orationem fundimus, non facile cuiquam puto ratione compertum. Sed & Eucharistiæ siue percipiendæ, siue eo ritu quo geritur explicandæ, vel eorum quæ geruntur in baptisinate verborum, gestorumque, & ordinum, atque interrogationum & responsionum, quis facile explicet rationem? Et tamen omnia hæc operata & velata portamus super humeros nostros, cum ita implemus ea & exsequimur, ut à magno Pontifice, atque eius filiiis tradita & comendata suscepimus. Cuncta hæc ergo, & horum similia: cum gerimus, nec tamen eorum assequimur rationem, leuamus humeris nostris, & portamus ad operata & obiecta diuina mysteria, nisi quis sit inter nos Aaron, aut filius Aaron; quibus ista conceditur nuda & reuelata perspicere. Quod ita tamen faciunt, ut sciant sibi velanda hæc & operienda, ubi cæteris dari ea, & in opus proferri ratio poposcens. G. Pulchre sanè. T. Ad eodè ut hinc clarè perspiciatur, sine huiusmodi institutis & cerimoniis exterioribus nullam omnino religionem consistere posse, nec eorum rationem omnibus debere esse notam, sed iis dimittaxat, qui arte politica instructi, non ignorant quam paruis rebus magna sæpe gerantur ac dirigantur, quas vulgum utique admirari & colere oportet, scire autem nequaquam, ne in contemptum veniant, iisque violatis, tota confestim respublica peccat; haud aliter atque vinum effunditur, cum circuli, quibus dolium colligatum est, rumpitur, atque ad hoc respiciens Plato, musicorum cantibus, & picturis veteribus mutatis, simul & ciuitatum status mutari ait. Nec aliud pertinet, quod Origenes, eadem de re differens, maiora legis mandata cibo comparat, quem oportet su-

mere;

mere; mindra autem hæc cærimonialia, condimentis, quæ non oportet omittere, adhibendum. G. Cæterùm hæc autem instituta quibusnam in rebus consistunt? T. In locis sacris, temporibus sacris, rebus sacris, & personis sacris, de quibus singulis dicendum.

De locis sacris.

TITVLVS VII.

LOCA sacra quæ vocas? T. Quæ diuino cultui publicè sunt destinata. vnde, *Ne quid in loco sacro fiat*, etiam edicto Prætoris est prohibitum. Quæ quidem ab ipso Christo approbata fuisse inde constat; quòd in templis & synagogis eum docuisse, & quotidie versatum fuisse, sacris Euangeliis est proditum. Cui & hoc accedit, quòd nulla in re tam illum exarsisse videmus, quàm in ædis sacræ violatione, adèd vt flagello è funiculis facto ementes & vendentes è templo eïiceret, & mensas nummulariorum subuerteret, dicens: *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem eam fecistis speluncam latronum.* G. Verum. T. Atque his vestigiis insistsens Hyginus Pontifex, qui ànno Christi centesimo quinquagesimo quinto è viuis excedebat, templa, siue ædes sacras, ecclesiasticas, quæ & Basilicæ (tametsi improprie) vocantur, consecrari, & ritè dedicari instituit. G. Rectè. T. Vnde etiam fit, vt nomen suum tum quidem à Domino ipso ferè habeant, veluti quod Hierosolymis templum resurrectionis Domini est luculentum imprimis & celebre (loquimur autem de temporibus Iustiniani) vel à Diuis, quorum memoriæ consecrata sunt, vt Constantinopoli ædes diuæ Virginis, Theodori martyris Irenes, præter quas est & sancta maior Ecclesia, cui adiunctæ sunt tres minores, quibus maior & sacerdotes ad sacra ob-eunda, & sumptus ad eam rem necessarios suggerit. G. Probè. T. Quin præter templa numerantur etiam inter loca sacra oratoria, quæ precibus faciendis destinata sunt; martyria, vbi martyres sepulti sunt; monasteria siue ascetria, vbi monachi vel monachæ degunt; diaconica, vbi ministri Ecclesiæ; prothica, vbi pauperes; diaconica, vbi lecticarij: quibus omnibus hoc commune est, vt non modò in vrbibus, sed & in vicis & possessionibus priuatorum voluntate Episcopi ædificari possint, adèd vt si fundus alienetur, simul etiam ipsa loca sacra transeant, nisi fortè ad hæreticos essent peruentura, quo casu fisco applicantur, ne Dei omnipotentis templa, in quibus sacrosanctæ fidei instituta perdurant, quæ cultu assiduo per omnia sæcula rediuiua seruari oportet, intercendant. Planè priuata sacra mysteria domi celebrare, aut etiam publica, quæ cum Apostolorum exemplis non conueniant, nulli permissum est: sed oratorium habere quis potest, quo Deum oraturus se recipiat, aut de consensu Episcopi sacerdotes accersat, qui rem diuinam faciant. G. Teneo. T. Ac in monasteriis ædificandis sic seruatur, vt Episcopus, supplicationibus factis, manibusque ad cælum tensis, locum Deo dedicet, vt verè honorandam adorandamque Crucem ibi designens, opus in nomine Domini inchoet. G. Intellego. T. Et si quis ecclesiam ædificare velit, ante omnia dispicere debet, vt certos annuos redditus constituat, opusque perficiat, vel hæres eius: nam ne ab opere desistatur, idque imperfectum maneat, non Episcopus modò, & eius œconomi, sed & magistratus ciuiles curæ habere debent. Cui rei si opes non sufficiant, quam in collapsas ecclesias restaurandas, aut tenuiores augendas pecuniam contulerit, rectè data collataque videbitur: nam si ecclesias bonis deficere contingat, placuit vt plures in vnum iungantur, ne, si id non fiat, omnes pereant. Ac qui constitui debent redditus, ad facta recta sunt, & ministros alendos, & luminaria, & alia quæ in templis sunt necessaria. G. Quænam autem sunt illa? T. Altaria, Cruces, vasa, vestes, donaria, & his similia, quæ sacratissimis arcanis peragendis adhibentur. Ex quibus Cruces, quæ signum Saluatoris Christi sunt, in solo silice vel marmore insculptas vel pictas humi positas habere non licet, sed reponuntur in templo, ad supplicationes faciendas; quæ non ritè fieri censentur, nisi sacræ Cruces ab his ad quos ea res pertinet, præferantur. G. Rectè. T. Ac pertinent quidem hinc tituli Codicis: *De sacrosanctis ecclesiis, & de rebus & privilegijs earum. Nemini licerè signum saluatoris Christi humi vel in silice vel in marmore sculperè aut pingere.* quod ob reuerentiam supremi numinis fuit indictum. Item Constitutiones nouellæ: *Vt in priuatis domibus sacra mysteria non fiant. Ne quis oratorium citra scientiam Episcopi ædificet, & ut prius definiat que ad curam & institutionem oratorij ædificandi necessaria futura sunt. &c. Ne Episcopi ab sint à suis ecclesijs. &c. De alienatione rerum immobilium ecclesiasticarum. De ecclesijs constitutis in Africa,* vt eadem quæ cæteræ priuilegia habeant. vnde dicitur: *Carthaginensis ecclesia priuilegia obtinet, quæ in vniuersum de omnibus dicta sunt ecclesijs.*

De temporibus sacris.

TITVLVS VIII.

G. **D**EINCEPS de temporibus sacris quid habes dicere? **T.** Ea voco, quæ cultui diuino, & pijs exercitijs, de quibus suo loco tractatum est, sunt destinata: quorum quidem origo à Christo ipso merito repetitur, quoniam ad festa Iudæorum eum venisse, & sabbathis docuisse constat. Cui accedit, quòd S. Petrum quadagesimale ieiunium seruasse, & Apostolos Paschæ festum celebrasse, memoriz proditum est: instituitq. Quatuor Tempora, quæ vocantur, Calixtus Pontifex sub annum Domini ducentessimum duodecimum, & Eusebius festum Inventionis Crucis anno trecentesimo decimo: ita vt nihil dubium sit, quòd iam inde à primis Ecclesie temporibus sacra festa fuerint instituta. **G.** Quid autem? sacra hæc tempora quomodo diuiduntur? **T.** In anniuersaria, & hebdomadaria. **G.** Anniuersaria quæ vocas? **T.** Quæ singulis anni anfractibus cadunt, & in orbem redeunt: cuiusmodi sunt dies Natalis, & Epiphaniarum, hoc est, apparitionis, Christi, dies Paschæ, & qui septem numero præcedunt ac sequuntur, item commemorationes Apostolicæ passionis. Quibus addas & quadraginta, qui, vt Iustinianus ait, auspicio ceremoniarum Paschale tempus anticipant, cui Quadagesimæ inde nomen datum est. **G.** Quænam sunt hebdomadaria? **T.** Quæ septimo quoque die recurrunt, cuiusmodi sunt dies, qui à resurrectione Domini, Dominici appellantur, quorum & Iustinus martyr meminit his verbis. **G.** Quibus? **T.** Die autem Solis omnes publicè conuenimus, quòd is primus est dies, in quo Deus mundum effecit, & quòd eodem die Iesus Christus conseruator noster à mortuis excitatus est. **G.** Rectè. **T.** Et quidem cum omnes dies festi (nam & sic dicuntur) siue anniuersarij illi sint, siue hebdomadarij, maiestati Dei dedicati sint; præcipitur ne vllis alijs rebus quàm diuinis, ac minimè quidem litibus, exactionibus, aut ludis profanis occupentur. Nam cum naturæ ea sit fragilitas, vt homo semper & vbique rei diuinæ intentus esse non possit, quod tamen deberet; hoc saltem ad laborandum est, vt certis temporibus ac locis, id fiat. **G.** Probè narras. **T.** Ac tractantes quidem Leo & Antoninus Imperatores titulo Codicis, *De feriis*, de festis his diebus, Dies festos, inquit, Maiestati altissimæ dedicatos, nullis volumus voluptatibus occupari, nec vllis exactionum vexationibus profanari. Dominicū itaque diem ita semper honorabilem decernimus & venerandum, vt à cunctis exactionibus excusetur, nulla que mquã vrgeat admonitio, nulla fideiussionis flagitetur exactio, taceat apparitio, aduocatio delitescat, sit ille dies à cognitionibus alienus, præconis horrida vox silescat, respirent à controuersis litigatores, & habeant fœderis interuallum. Ad sese simul veniant aduersarij non timentes, subeat animos pœnitudo, pœcta conferant, transactiones loquantur; nec huius tamen religiosi diei otia relaxantes, obscœnis quemquam patimur voluptatibus detineri. Nihil eo die sibi vendicet scena theatralis, aut Circense certamen, aut ferarum lachrymosa spectacula; & si in nostrū ortum aut natale celebranda solennitas inciderit, differatur.] Item Theodosius & Arcadius: Iubemus (inquit) non modò iudices, verum etiam arbitros, siue illi à iudicibus flagitati fuerint, siue sponte electi, conuiescere, nec non artium vrbicularum officia cessare, idque tam dominicis quàm alijs supradictis festis diebus, quibus & compulsio annuariz functionis, & omnium publicorum priuatorumque debitorum differtur exactio.] Dico autem non abs re de cessatione artium vrbicularum, quia qui ruri positi sunt, inquit Constantinus, agrorum culturæ liberè licenterque inseruiunt: quoniam frequenter euenit, vt non alio die aptius frumenta vultis, & vineta scrobibus commendentur, & ne occasione momenti pereat commoditas cœlesti prouisione concessa. Porro emancipare vel manumittere, tantum abest vt sit prohibitum, vt Acta publica super ea re conficere expressè ob fauorem concedatur. **G.** Rectè. **T.** Porro per tempus Quadagesimæ, quod diximus, interdicta est omnis cognitio causarum criminalium, aded vt Valentinus, Theodosius, & Arcadius Imperatores lege lata cauerint, vt, vbi primus dies Paschalis illuxerit, nullum teneat carcer inclusum, sed omnium vincula dissoluantur. Excipiunt tamen sacrilegos, adulteros, incestuosos, raptos virginum, veneficos, maleficos, violatores monetæ, homicidas, parridas, & qui delicta sua iterarunt, qui, quòd ipsos sepultos quadam sceleris sui immanitate quiescere non sinunt, indigni habentur vt communis quietis tranquillitate fruantur, scilicet, ne publicam lætitiã, quæ sincera esse debet, suorum scelerum fœditate contaminent. Quin monent iidem Principes, præfides prouinciarum, vt in quæstionibus latronum, ac maximè quidem Isaurorum, nullum Quadagesimæ tempus, vel venerabilem Paschalem

Paschalem diem existiment excipiendum, ne differatur sceleratorum proditio consiliorum, quæ per latronum tormenta querenda est, cum facillimè & in hoc summi numinis speratur venia, per quod multorum salus & incolumitas procuratur. Isauri latrones sunt qui Lycaonibus, Pamphylisque, & Gallogræcis finitimi, longo tempore latrocinii infames fuerunt, ad eò vè etiã validis exercitiis coactis, collatis signis cum Romanis nonnunquam pugnaverint, & ad Corenos vsque & Phœnices euaserint, vrbibus & vicis in medio positis, ferro & igni vastatis.

De rebus sacris.

TITVLVS IX.

G. **D**E HINC res sacræ quæ dicuntur? **T.** Quæ Deo ritè consecratæ, aut aliter destinatæ sunt; ac tum quidem à Christo ipso institutæ fuere, tum verò ex vita ipsius desumptæ, dum orando, vigilando, genua flectendo, ieiunando, & aliis rebus præcundo, exemplum nobis monstrat eius, quod facere debemus: quæ quidem ab Apostolis & Patribus post adacta, & incertam formam redacta fuere. **G.** Hæ autem res sacræ quotnam sunt generum? **T.** Duorum. **G.** Cedo quorum? **T.** Etenim vel in actione consistunt, vel in possessione. **G.** In actione quænam consistunt? **T.** Quæ sacræ Liturgiæ vocantur, ac partim in sacrosanctis mysteriis siue sacramentis, partim in officiis ac in mysteriis diuinis cernuntur. **G.** Sacrosancta mysteria quotnam sunt? **T.** Septem, vt ex iis quæ supra à te exposita sunt, planum factum est: inter quæ præcipua sunt, mysterium corporis Christi, siue sacræ oblationis & communionis (sic enim vocatur) & sacrosancti baptismatis; quod ne iteretur, grauissimè sub titulo Codicis, *Ne sacrum baptismum reiteretur*, prohibitum est; his verbis: Si quis rebaptizare quempiam de ministris Catholicæ sectæ fuerit detectus, vnà cum eo qui pacularare crimen commisit (si tamen criminis per ætatem capax sit) & hic cui persuasum sit, vltimo supplicio percellatur. Antistitem quoque, qui sanctitatem baptismatis illicita usurpatione geminauerit, sacerdotio indignum esse placuit.] **G.** Rectè. **T.** Vtrique autem sacramento procurando, solennes preces Episcopus aut presbyter adhibet, & verba sacræ, quæ clara & alta voce proferri iubentur, vt à circumstantibus exaudiri & intelligi possint. Ac solent quidem baptismatis solennibus nonnumquam adhiberi Diaconissæ, vt antè tactum est, nempe cum feminæ baptizandæ sunt, quatum pudori non conuenit, ab aliis quàm feminis, vnà cum sacerdote baptizante conspici. **G.** Probè. **T.** Ac est quidem origo sacræ communionis ex sacra cœna Domini, vbi accepto pane, postquam gratias egisset, & benedicens eum fregisset, dedit illum discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem accipiens, gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. **G.** Verum. **T.** Ac quantum attinet ad sacrosanctum baptismum, id tum quidem factum ipso Dominus instituit, tum autem his verbis: Euntes in mundum vniuersum, prædicare Evangelium omni creaturæ, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæ mandauì vobis. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. **G.** Nunc sacra officia quæ vocas? **T.** Quæ ministeria dicuntur: ac consistunt quidem in hymnis; precibus, lectionibusque, nec non in litanis, siue supplicationibus, & ieiuniis. **G.** Quos vocas hymnos & preces? **T.** Publicum cantum, & orationem in ecclesia. de qua re Iustinianus præcipit, his verbis: Iubemus vt omnes Episcopi pariter & presbyteri non tacito modo, sed clara voce, quæ à fidei populo exaudiatur, sacram oblationem, & preces in sacro baptisate adhibitas celebrent; quo maiore inde deuotione in depromendis Domini Dei laudibus audientium animi efferantur. Itaq. diuus Paulus docet, dicens in prima ad Corinthios epistola: Enimvero si solummodo benedicas spiritu, quomodo is qui priuati locum implet, dicat ad gratiarum actionem tuam Deo ipsum Amen? quandoquidem quid dicas non videt. tu quidem pulchrè gratias agis, alter verò non ædificatur. Et rursus: Ore autem fit confessio ad salutem. His igitur de causis conuenit, vt inter cæteras preces, & ea quæ in sancta oblatione dicuntur, clara voce à religiosissimis Episcopis & presbyteris Domino nostro Iesu Christo, Deo nostro, cum Patre, & sancto Spiritu proferantur. scituris religiosissimis sacerdotibus, si quid horum neglexerint, quod in iudicio magni Dei, seruatoris nostri Iesu Christi, de his rationem reddent, neque nos hæc cognoscentes, conuiescemus, relinquemusque inulta.] **G.** Quæ autem sunt litanie? **T.** Supplicationes publicæ, quæ à laicis, siue

sine sacerdotibus & clericis, qui solennes preces decantent, celebrari non possunt, nec item sine venerabilibus crucibus, quæ ad eum usum in sacris locis, ut supra diximus, reponuntur, unde cum usus postulat depromuntur, & ab iis quibus solitum est deportantur, constitutæque sunt graues pœnæ aduersus eos qui has supplicationes perturbauerint. quibus de rebus primum Iustinianus sic ait: Interdictum autem est omnibus laicis, ne publicas supplicationes peragant sine religiosissimis Episcopis, & qui sub eis sunt reuerendissimis clericis. Quomodo enim supplicatio publica esse potest, in qua sacerdotes non inueniantur, qui solennes preces peragant? Sed & venerabiles cruces, cum quibus sacerdotes in supplicationibus ingrediuntur, non aliis quàm in venerabilibus locis reponuntur, & si quando usus postulauerit, ad celebrandas supplicationes, tum solùm ipsas cruces hi qui ex more eas portare solent, accipiunt, & cum Episcopis & clericis supplicationes celebrant.] Item Arcadius & Honorius: Si quis, inquit, in hoc genus sacrilegij proruperit, ut in ecclesias Catholicas irruens, sacerdotibus & ministris, vel ipsi cultui, locoque aliquid importet iniuriz: quod geritur, à prouinciæ rectoribus animaduertatur, atque ita prouinciæ moderator, sacerdotum & Catholicæ Ecclesiæ ministrorum, loci quoque ipsius & diuini cultus iniuriam, capitali in conuictos seu confessos reos sententia nouerit vindicandum; nec expectet ut Episcopus iniuriz propriæ ultionem deponat, cui sanctitas ignoscendi gloriam dereliquit. Sitque cunctis laudabile, factas atroces sacerdotibus aut ministris iniurias, veluti crimen publicum persequi, ac de talibus reis ultionem mereri. Quòd si multitudo violenta, à ciuilibus apparitoris executione & adminiculo ordinum, vel ordinatorum, possessorumve non poterit flagitari, quòd se armis aut locorum difficultate tueatur: præsidēs prouinciarum, etiam militari auxilio per publicas literas appetito, competentem vindictam tali excessui imponere non morentur.] G. Dehinc quænam sunt res sacræ, quæ in possessione consistunt, exponito. T. Hæc vel rei diuinæ faciendæ seruiunt, vel conseruandæ. G. Quænam faciendæ? T. Quæ Deo ritè consecratæ sunt, ut templa, & quæ in iis sunt altaria, vasa, vestes, donaria, & alia id genus, de quibus supra dictum est. G. Quæ conseruandæ? T. Quæ profanæ cum sint, vsibus tamen ecclesiasticis inseruiunt, tam ad ministros Ecclesiæ alendos, quàm ad ædificia diuina, & quæ in iis sunt, facta recta habenda & conseruanda. Quæ quidem partim soli sunt, ut domus fundi, ergasteria; partim in pecunia, aliisque rebus mobilibus consistunt. G. Probè. T. Quorum omnium frequens est mentio apud scriptores veteris Ecclesiæ, ac maximè quidem qui Sixti, Soteri, & Stephani Pontificum, qui circa ducentimum Christi annum paulo antè & post floruerunt, res describunt. G. Verum dicis. T. Atque ut semel ostendamus quonam modo à Christo, Apostolis, ac Patribus, hæc omnia manarint, è re erit ut aliquot hæc loca, tum quidem ex Euangelis, tum autem ex scriptis Apostolicis, tum verò ex Patribus proferamus, Iustino martyre nempe, Tertulliano, & Dionysio Areopagita, quos utique antiquissimos esse, nec multum ab Apostolorum temporibus abfuisse, Dionysium etiam ipsos vidisse constat. G. Ex Euangelis quid profers? T. Non aliud quàm omnem vitam Christi plenam esse orationibus, ieiuniis, genuflexionibus, & aliis eiusmodi, in quibus & hymni post cœnam dicti fit mentio. Cui accedit quòd Anna prophetissa, ieiunando, & orando, nunquam de templo discessisse scribitur, & certum genus dæmoniorum non nisi in oratione & ieiunio exire, à Christo ipso traditur. G. Ex scriptis autem Apostolicis? T. Primum quòd Paulus ad Ephesios scribens, sic ait: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino. Deinde quòd idem ad Colossenses ait: Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes & commonefacientes vosmetipsos in psalmis, hymnis & canticis spiritualibus. Cui accedit quòd in Actis Apostolorum, orationis, & ieiunij publicè instituti, sæpe fit mentio. G. Iam Iustinus quid ait? T. Nos autem, inquit, posteaquam ita alluimus expiauiusque eum qui credit, & assensus est, eum ad eos qui fratres dicuntur, ducimus in locum quò conueniunt comprecandi causa contentis animis, & pro se, & pro eo qui illustratus est, omnibusque aliis qui vbique sunt, ut & veritatis discipuli, & re ipsa bonæ sanctæque vitæ cultores, & præceptorum custodes possimus inueniri, & æternam salutem adipiscamur. Sub finem precum nos inter nos osculo salutamus, deinde ei qui præpositus est fratribus panis offertur, & poculum aqua & vino temperatum: qui cum accipit, laudem & gloriam omnium Parenti, Filij Spiritusque sancti nomine tribuit, gratiasque Deo agit, quòd ab eo his dignus sit habitus, quibus ritè perfectis precibus, & gratiarum actione, populus omnis qui adest, benedicit, dicens, Amen. Amen autem, Hebraico sermone idem quòd, fiat, significat. Posteaquam & is qui præest gratias egit, & populus omnis benedixit, ij qui apud nos

Diaconi dicuntur, dant unicuique eorum qui adsunt, percipiendum panem, vinum & aquam, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt: & ad eos qui absunt, perferunt. Atque cibus hic apud nos Eucharistia nominatur, de qua nemini alij participare licet, nisi ei qui & vera esse credit quæ nos docuimus; & expiatus est lauacro, quod in remissionem peccatorum, regenerationemque datur; & viuit vt Christus tradidit. G. Dehinc Tertullianus autem quid dicit? T. Vno loco sic: Denique vt à baptisinate ingrediar, Aquam adituri, ibidem, sed & aliquando prius in ecclesia sub Antistitis manu contestamur, nos renuciare diabolo, & pompæ, & angelis eius. Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quàm Dominus in Euangelio determinauit. Inde suscepti, lactis & mellis concordiam prægustamus, exq. ea die, lauacro quotidiano per totam hebdomadâ abstinemus. Eucharistiæ sacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatû à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quàm præfidentiû, sumimus. Die dominico ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate à die Paschæ in Pentecosten vsque gaudemus. Calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxie patimur. Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacumque nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. Harum & aliarum eiusmodi disciplinarum si legem expositules scripturarum, nullam inuenies: traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix. G. Quid? an porro quid habes ex eodem Tertulliano? T. Habeo. dicit enim: Vt si statio facienda est, maritus de die condicat ad balneas; si ieiunia obseruanda sunt, maritus eadem die conuiuium exerceat; si procedendum erit, nunquam magis familiæ occupatio adueniat. Quis enim sinet coniugem suam, visitandorum fratrum gratia, vicatim aliena & quidc pauperiora quæque tuguria circuire? Quis nocturnis cõuocationibus, si ita oportuerit, à latere suo eximi libenter feret? Quis denique solennibus Paschæ abnoctantem securè sustinebit? Quis ad conuiuium dominicû illud, quod infamant, sine sua suspicione dimittet? G. Denique ex Dionysio Areopagita quid habes? T. Primùm de baptisimo sic ait: Itaque Pontifex quidem indies ad Dei similitudinem omnes homines saluos fieri cupiens, & ad agnitionem venire veritatis, prædicat omnibus vera profectò Euangelia, annuncians Deum, cum sit mortalibus ex propria & naturali bonitate propitius, ipsum eximie benignitatis gratia ad nostra infirma descendere dignatum esse, nosque sibi iungendo atque inferendo ignis instar, quos inusserit, iuxta singulorum propositum atque aptitudinem sibi similes facere. Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Porro qui tam sublimium, ac tam cælestium munerum sacro fuerit desiderio & amore captus, accedit ad aliquem ex fidelium numero, oratque vt se ad Pontificem ducat, secuturum omnia quæcumque sibi tradentur, penitus atque ex toto animo spondens; precaturque, tum vt se adducat, tum vt reliquæ deinceps regendæ vitæ suæ suscipiat curam. Illum, et si salutis eius sacro amore succenditur, celsitudinem tamen rei, humanamque infirmitatem metientem, continuo horror, & angustia difficultatis inuadit. Postremò tamen facturum quod ille postulat benignissimè pollicetur; assumensque hominem ad Pontificem ducit. Ille magna cum læticia, non secus quàm ouem perditam, in humeris virum suscipiens, primùm quidem secretiùs ex corde gratias agit, tum in orantis quoque habitum sternitur, adoratq. supplex atque veneratur summum illud beneficiumq. principium, à quo & vocanda vocantur, & saluanda saluantur. Deinde sacros omnes gradus, vt sibi cooperentur, ac pro salute viri simul congaudeant, agantque diuinæ clementiæ gratias, in sanctam ecclesiam cogit, atque initio quidem hymnum aliquem sacris libris insertum, simul cum omnibus ecclesiæ ordinibus canit. Post hæc deosculatis sanctis altaribus, ad virum adstantem proficiscitur, percontaturque ab eo quidnam volens ed venerit. Illo autem, iuxta quod à susceptore suo fuerat edoctus, impietatem, & veri boni ignorantiam accusante, ac diuinæ vitæ opere tam diu se fuisse destitutum ingemiscente, atque orante vt eius sacratissimo munere ac prece Deo diuinisq. mysteriis frui mereatur: contestatur ei, oportere ex integro totoque corde accedere ad Deum, per cuncta perfectum & immaculatum. Tum diuinæ quoque conuersationis ac vitæ illi explicans rationem, an ita velit deinceps viuere sciscitatur. Quod vbi ille pollicitus fuerit, imponit eius capiti manum; consignansque illum, sacerdotibus mandat, vt virum susceptoremque describant. Postea verò quàm illi describere, sacram effundit precem: quam cum omnis secû Ecclesia terminauerit, discingit quidem ipsum, ac ministrorum manibus exiit. Deinde Occidentem versus illum statuens, intendentem, manusque impingentem ad eandem regionem conuersas,

uerfas, insufflare illum ter satanam iubet, & præterea abrenuntiationem profiteri. Et cum post trinam abrenuntiationis contestationem, tertio se ille abrenunciare professus fuerit, ad Orientem illum traducit, adspicientemque in cælum, atque intendentem manus, Christo sacrisque omnibus diuinitus traditis consentire iubet. Posteaquam verò & hoc ille fecerit, rursus ter illum profiteri monet. Trina verò ea confessione peracta, rursus ille orans benedicit, ei que manus imponit. Et cum illum ministri perfecti exuerint, deferunt sacerdotes sanctum vnditionis oleum. At verò Pontifex trino crucis sanctæ signaculo vnditionem inchoans, inungendum iam sacerdotibus toto corpore hominem tradit: ipse ad adoptionis matrem proficiscitur, eiusque aquas sancta prece ac inuocatione sanctificans, terque in eas ad crucis effigiem sanctissimum fundens vnguentum, illasque hoc ritu perficiens, terque ad numerum sacræ effusionis carmen (quod Prophetæ Deo pleni, diuinitusque afflati cecinere) pronuncians, semel scilicet per Angelos sancti vnguinis iactus, iubet afferi hominem: & cum illum, eiusque susceptorem quispiam sacerdotum ex descriptione, celsa voce prædicauerit, ille quidem à sacerdotibus se tenentibus in aquam ducitur ad Pontificis manum; Pontifex autem supernè adstans, cum rursus per aquas sub Pontificis manu sacerdotes eius qui initiatur exclamauerint nomen, ter illum Pontifex mergit: hac trina illius mersione & emersione, tres beatitudinis diuinæ personas inclamans. Assumentes autem illum sacerdotes, susceptori, sui que accessus duci consignant, & vnà cum ipso illum vestem baptizati, munditiæ congruam, induunt, sicque indutum rursus ad Pontificem ducunt. Ille diuino ac deifico prorsus vnguento virum signans, sacratissimæ communionis eum participem facit. His ita peractis exteriori ex munere, suoque ad sequentia & secunda progressu, rursus Præsul ad prima & potiora speculanda sustollitur, vt qui nullo tempore, nullo modo, ad aliena vlla, quàm sola ad munera sua conuertitur, sed à diuinis ad diuina continenter ac semper diuino spiritu, diuinaque ratione transfertur. G. Rectè. T. Tum de Eucharistia sic dicit: Itaque Pontifex quidem vbi orationem sanctam supra diuinum altare peregit, ex ipso incensum adolere inchoans, omnem fani ambitum circuit: demum ad sanctum altare iterum rediens, psalmorum incipit melos, concinentibus secum sacra carmina omnibus ecclesiastici ordinis gradibus: deinde ministrorum officio, sanctarum scripturarum lectio suo ordine recitatur. Post hæc extra delubrum catechumeni fiunt, & cum ipsis energumeni, & ij quoque qui in pœnitentia sunt. Manent autem intus soli qui diuina spectare merentur, atque percipere. Porro ministrorum alij quidem pro clausis templi foribus adstant, alij proprij aliquid muneris agunt. Qui verò ipsius ordinis præcipui sunt, vnà cum sacerdotibus sanctum panem, & benedictionis calicem sacrosanctis altaribus imponunt, cum antè præcesserit ab omni clero vniuersalis laus atque confessio. Ad hæc, venerandus Antistes orationem sanctissimam peragens, pacem sanctam omnibus nunciat: & cum se mutuo omnes salutauerint, mystica sanctorum recitatio fit: vbi verò manus, tum Antistes, tum sacerdotes aqua lauerunt, Pontifex ad medium diuini assistit altaris, circumstant autem soli cum sacerdotibus electi quique ex ministrorum numero: at verò Pontifex cum diuina munera laude profecutus fuerit, sacrosancta & augustissima mysteria conficit, & quæ antè laudauerat, venerandis operata atque abdita, signis in conspectum agit, diuinaque munera reuerenter ostendens ad sacram illorum communionem & ipse conuertitur, & reliquos vt communicent, hortatur. Sumpta demum atque omnibus tradita communionem diuina, gratias referens, finem mysteriis imponit. Ac multi quidem sola in signa diuina prospiciunt, ipse autem semper diuino spiritu ad excelsa signorum initia felicibus, & intelligibilibus intuenda luminibus pontificia dignitate, ac merito munditiæque singulari, diuini capiorisque sensus attollitur. G. Optimè sanè. T. Atque hoc modo clarè, ni fallor, liquet, non nuper hæc quidem nata fuisse, sed iam inde à primis Christi Apostolorum & Patrum temporibus deducta. quod quidem eo magis quis dixerit, si quæ apud Philonem Iudæum, Clementem, Origenem, Cyprianum, & alios veteres, qui ante Constantinum Imperatorem floruerunt, his de rebus exstant, cum iis coniungat. Sed redeat vnde digressa est oratio.

De personis sacris.

TITVLVS X.

G. **R**go post tempora, loca, & res, personas sacras quas appellas? **T.** Non alias quàm quas supra, cum de Hierarchia ageremus, enumerauimus. qui quidem decoris ipsius, & honestatis causa (cuius magna rationem habendam esse, tu supra docuisti) eum cultu vestium, tum torsura capitis, à laicis discernuntur. **G.** Quid ergo? ane aliorum in libris iuris sit mentio? **T.** Fit verò in Pandectis, vbi tam de Pontificibus, & Sacerdotibus, ac sacris, quàm de Hierophylacibus, quasi templorum, siue locorum sacrorum custodes dixeris, & iis qui propter religionem loco se mouere non possunt, cuiusmodi sunt Libertini, qui ad sepulchrum patroni perpetuo agere testamento iussi sunt, nonnunquam tractatur. **G.** Intelligo. **T.** Sed nos ea dumtaxat persequimur quæ de re Christiana in libris nostris existant, non autem quæ à Romana theologia manarunt: de quorum etiam numero est, quòd res aliæ sanctæ, aliæ religiosæ dicuntur: quamquam id ab instituto nostro non vsque ad eò abhorreat, quin & possit accommodari. Nunc autem de priuilegiis & immunitatibus locorum, temporum, rerum, & personarum sacrarum nonnihil dicamus, antequam ad alia pergamus. Nam tantum eorum esse fauorem, vt religionis causa strictam rationem sæpe insuper habeamus, & solutiùs æquitatem sequamur, etiam à Papiniano & Vlpiano est proditum. pertinetque huc Nouella, *De ecclesiasticis canonibus & priuilegiis, quæ sacrosanctas respiciunt ecclesias.*

De immunitate & priuilegiis ecclesiarum.

TITVLVS XI.

G. **N**ITVR quænam autem locorum sacrorum, siue ecclesiarum dicis esse priuilegia? **T.** Primùm vt manumissiones in ecclesiis coram Antistitibus earum & plebe factæ, quibuscumque verbis celebratæ sint, valeant, & plenissimam libertatem inducant, vt ostendit titulus Codicis, *De his qui in ecclesiis manumittuntur*, vbi verba Constantini sunt: Iamdudum placuit vt in Ecclesia Catholica domini libertatem suis famulis præstare possint, si sub adspæctu plebis, assistentibus Christianorum Antistitibus, id faciant.] Item, Qui religiosa mente in Ecclesiæ gremio seruulis suis meritam concesserint libertatem, eandem eodem iure donasse videantur, quo ciuitas Romana solennitatibus decursis dari consuevit. Sed hoc dumtaxat iis qui sub adspæctum Antistitum dederint, placuit relaxari.] **G.** Teneo. **T.** Deinde vt immunitatem habeant qui ad eas confugerint liberi homines Christiani (nam secus est de Iudæis & seruis) ita vt neque extrahi aut extrudi possint, neque ita includi, vt rebus ad vitam necessariis priuentur, dummodo à tumultu concitando abstineant, vt demonstrat Rubrica Codicis, *De iis qui ad ecclesias confugiunt, vel ibi exclamant, & ne quis ab ecclesiis extrahatur.* **G.** Probè. **T.** Quod tum quidem ob præsentiam & maiestatem diuini numinis comparatum est, tum verò misericordiæ causa, vt qui sine graui scelere in crimen inciderint, aliquem tutum habeant receptum. de quo vtroque tactum abs te est superiùs, cum de legibus iuuandis, & misericordia, peccatorumq. distinctione ageres. nam quemadmodum ea quæ dolo fiunt, odio; ita & quæ repentino quodam impetu animi, misericordia digna sunt, vt apud Platonem in nono libro de legibus latissimè disputatur. fueruntque hac de causa certæ ciuitates apud Moysen constitutæ, ad quas qui hoc modo in fraudem incidissent, se reciperent. **G.** Optimè. **T.** Nec dissimili de causa comparatum est, vt tributorum solutiones in sacrosanctis Ecclesiis non fiant, scilicet vt ob loci reuerentiam tumultus, & turbæ quæ in eiusmodi rebus sæpe existere solent, euitentur. **G.** Reuera dicis. **T.** Et quidem quemadmodum loca sacra in commercio non sunt, vt mox tangetur: ita nec à profanis occupari, nec profanum in iis quicquam fieri potest. **G.** Sic est. **T.** Planè quamquam dictum est, è templo neminem extrahi posse; incidunt tamen subinde casus, quibus rectè & sine vitio è sacro loco quis eximitur, scilicet ne quæ iniuriam passis concessa est immunitas, hi qui iniuriam ipsi inferunt, ad scelerum suorum impunitatem conuertant. in his autem numerantur sicarij, raptores virginum, sacrilegi, Iudæi qui Christianis vim inferunt, seditiosi qui tumultus faciunt in Ecclesia, & si qui sunt alij similes, quos vel ab ipsis altaribus auelli leges iubent. Porro si seruus, colonus, adscripticius, familiaris, aut libertus, rebus domino subtractis, ad ecclesiam cum iis confugerit, partes

partes œconomi defensorisq̄ue ecclesiæ quidem sunt, vt apud Dominum intercedat, ne quid durius in eum statuat, sed ita tamen, vt eum cum rebus domino reddat. Et si iure agendum cum debitoribus qui ad ecclesiam cõfugerunt, non debet impediri: & ideo si copiam sui faciant in ecclesia, rectè ibi conueniuntur; estq̄ue illis permiffum, vt ex eo loco causam dicant: si verò latitant, conquiri debent ab œconomo, vel defensore, aut alio, cui id negotij Episcopus dederit, & repræsentari, vt iuri se fistant, siue ipsi per se, siue per procuratorem. Quòd si neutrum faciant, nec ad edicta respondeant, mandatur œconomis, & defensoribus, vt quæ secum attulerint in ecclesiam bona mobilia, conquirantur, & exhibeantur creditoribus. G. Rectè. T. Denique pertinet quoque ad immunitatem Ecclesiæ, quòd non nisi ad canonicam illationem tenentur, sic vt ab omnibus sordidis & extraordinariis muneribus sint immunes, nisi quòd ad instructiones itinerum ac pontium tenentur, & naues, ad publicarum specierum transuectionem, & angarias, & plaustra, cum ad expeditionem Imperator proficiscitur.

De sacrorum temporum priuilegiis & immunitatibus.

TITVLVS XII.

G. SACRORVM temporum quænam sunt priuilegia? T. Vt præter ciuiles lites, & exactiones tributorum, etiam & criminalium causarum cognitio tum cesset: ita vt vbi primus diès Paschalis illuxerit, nullum teneat carcer inclusum, sed omnia vincula dissoluantur; exceptis tamen iis qui ob atrociora crimina detinentur: qui quidem cum sceleris sui immunitate ne sepultos quidem quiescere sinant, indigni habentur vt communis quietis tranquillitate fruantur, ne publicam religionem, quæ pura & immaculata esse debet, scelerum & vitiorum suorum immunitate contaminent. vt supra est expositum.

De rerum sacrarum priuilegiis.

TITVLVS XIII.

G. RERVM sacrarum priuilegia sunt, nunc exspecto vt dicas. T. Hæc partim in acquirendo, partim in alienando consistunt. G. In acquirendo quonam modo? T. Veluti cum Ecclesiæ non modò liberalitate singulorum acquiritur, per oblationes & donationes inter viuos, quæ nec insinuatione quidem indigent, etiamsi modum excedant: vel per legata testamento relicta, quæ quibuscumque verbis concepta valent, nec per Falcidiam minuuntur, aut indebita soluta repetuntur, sed & beneficio publico ipsius legis, veluti cum bona hæreticorum Ecclesiæ addicuntur, vt nonnumquam fieri solere demonstrat Nouella, *De ecclesiis constitutus in Africa*: vel iis qui testatorem apud barbâtos captum mori passi sunt, tamquam indignis, hæreditas auferitur. G. Intellego. T. Porro si quis oratorium aut xenodochium extrui testamento iubeat, Episcopi est curare vt oratorium intra quinquennium, xenodochium intra annum ædificetur: quibus eos præponere tenetur præfectos, quos maximè nouerit idoneos, nisi fortè testator ipse, eiusve hæres, cui id negotij datum sit, & rei ita vti oportet, prospexerit, quod & ipsum tamen Episcopus debet æstimare; ad cuius curam hoc quoque pertinet, vt quæ relicta sunt pia legata, intra sex menses exsoluantur, nec vllò modo pati, vt per Falcidiam minuantur aut alienentur, nisi tam procul ab Ecclesia sita sint, vt nisi diuendita vsui esse non possint. G. Rectè. T. Atque hæc quidem pertinent varia quæ sub dicto titulo Codicis, *De sacrosanctis ecclesiis*, & alibi exstant, vbi verba Constantini Imperatoris sunt: Habeat vnusquisque licentiam sanctissimo Catholico venerabilique concilio decedens bonorum, quod optauerit, relinquere, & nõ sint cassa iudicia eius: nihil est enim quod magis hominibus debeat, quàm vt supremæ voluntatis, postquam iam aliud velle non possunt, liber sit stylus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium.] G. Probè. T. Et quidè cum curiales non habeant liberâ bonorum suorum dispositionem, quantû ad alios attinet, circa Ecclesias habent. Nam cur, inquit Iustinianus, non faciemus discrimè inter res diuinas & humanas? & quare non cõpetens prærogatiua cælesti fauori conseruetur? G. Scitè. T. Atque hinc quidem etiam proficiscitur, quòd, cum profani, minoris temporis præscriptione, ab actionibus suis repellantur, de Ecclesia est constitutio Nouella, *Et ecclesia Romana centum annorum gaudeat præscriptione*, quod & ad alias omnes ecclesias ibidem extenditur. Sed post per constitutionem Nouellam, *De tempore actionum, qua sacris locis competunt*, ad quadraginta annos reuocatur, propter

propter incommoda prius animaduersa. G. Iam in alienando quænam sunt privilegia? T. Sanè quemadmodum acquisitio fauorabilis, & ob id facilis est, propter fauorem religionis: ita alienatio rerum ecclesiasticarum odiosa, & consequenter perdifficilis habetur. Et ideo cum res Deo consecratæ, siue mobiles, siue soli, usque aded alienari prohibeantur, ut ne in commercio quidem humano habeantur; quoniam diuinæ factæ sunt, aliæ non consecratæ, tamen quidem sunt in commercio, si quidem soli sunt (nam mobiles iudicio & arbitrio œconomi rectè alienantur) non possunt quoque ab Ecclesia discedere, idque non modò donando, vendendo, permutando, sed ne pignori quidem opponendo, vel in emphyteusim dando, vel ius colonarium, aut inquilinarium super iis contrahendo, quod est, cum domus aut prædium ecclesiæ ita cui datur, ut is certam pensionem annuam ecclesiæ soluendo, prædio illi aut domui perpetuò sit adscriptus. G. Rectè. T. Si quid contra factum erit, primùm contractus alienationis nullus est: deinde contrahentes ipsi, & tabelliones qui eum conscripserunt, & iudices qui legis actiones super eo permiserunt, sua quique poenâ puniuntur. G. Rectè. T. Ac de his quidem omnibus traditur, primùm sub dicto titulo, *De sacrosanctis Ecclesiis*, ubi verba Imperatorum sunt: Nemo Apostolorum vel martyrum sedem humanis corporibus existimet esse concessam; nemo martyres distrahat, nemo mercetur.] Deinde sub Nouellis, *De alienatione & emphyteusi, & aliis diuersis in vniuersis locis rerum sacrarum. De permutatione rerum ecclesiasticarum, & emphyteusi. Ne res ecclesiastica diuendantur aut permutentur, neue in specialem hypothecam creditoribus dentur, sed ut illi contenti sint hypothecis generalibus. De ecclesiasticarum rerum immobilium alienatione & solutione, qua Constantinopoli sunt. Ut ecclesia sacrosancta resurrectionis Domini domos in eadem ciuitate sitas alienare liceat. Ut agri, domus, atque vinea sanctissima Myra ecclesia, qua aut ad redemptionem captiuorum, aut ad pauperum sustentationem relinquuntur, secundum prescriptum in constitutione comprehensum, alienari possint.* Sub quibus quidem titulis generaliter traditur, alienationem rerum ecclesiasticarum non nisi certis in casibus valere. Quod tum quidem in fauorem ecclesiæ introductum fuit, tum autem in cautionem illius, ne quo modo damnum ipsa patiatur.

De privilegiis personarum ecclesiasticarum.

TITVLVS XIII.

G. **P**OST de personarum ecclesiasticarum privilegiis, si placet, disserito. T. Hæ sunt, ut omnes clerici & monachi à personalibus muneribus sint immunes, ne inuiti tutelam vel curam habeant, quàm diu ecclesiis suis adhærent. Ut nec ipsi nec ipsorum mancipia nouas collationes agnoscere, vel hospites recipere teneantur: ne angarias aut perangarias subeant, nec ipsi, nec coniuges eorum, nec liberi, nec ministri: à sordidis muneribus & extraordinariis ut immunes sint, nec aliud præstent pro se, rebusque suis, quàm canonicam illationem, quam vel repentina necessitas exprimit, vel viarum pontiumque refectio, vel Principis sacra embola, siue expeditio, vel transuetio comeatus. atque hæc quidem, quàm diu ecclesiæ seruiunt, & pro bonis ecclesiasticis, non autem profanis. G. Bene narras. T. Planè circa res ab ecclesia partas, scribit Iustinianus sub titulo, *De ecclesiasticis canonibus*, hoc modo: Interdicimus religiosissimis Episcopis, ne res mobiles aut immobiles, aut seipsas mouentes, quæ post adeptum episcopatum quocumque modo ad ipsos peruenerunt, ad cognatos suos, aut quascumque alias personas transferant. Ad redemptionem tamen captiuorum, & alimenta pauperum, item in alias pias causas, neque non pro utilitate ecclesiæ suæ, ex his expendere licentiam habent. Et si quid ex talibus rebus, post eorum obitum, in patrimonio eorum permanserit, iubemus ut hoc ad Dominum sacrosanctarum ecclesiarum, in quibus gesserint sacerdotium, pertineat.]

De institutis ecclesiasticis ad homines pertinentibus.

TITVLVS XV.

G. **X**POSUITI de institutis ecclesiasticis, quæ ad Dei cultum pertinent: iam quænam sunt quæ hominem spectant, cedo? T. Hæc sunt quæ ab intima hominis bonitate, & operibus misericordiæ, de quibus supra dictum abs te est, proficiscuntur. G. Quænam autem ea sunt? T. Eleemosynæ: quæ ad eum modum à Christo commendantur, ut in extremo iudicio non de aliis quàm de iis Dominus rationem exacturus videatur, dicens: Esuriui, & de-

& dedistis mihi manducare: Sitiui, & dedistis mihi bibere: Nudus eram, & vestuistis me: In carcere eram, & venistis ad me: Peregrinus eram, & collegistis me: Infirmus eram, & venistis ad me. G. Rectè. T. Atque his quidem vestigijs insistentes Apostoli, viduas ac diaconos non alia de re instituebant, quàm vt pauperum per eos cura haberetur, ad quos alendos fiebant Collectæ, quæ vocabantur, quarum Paulus meminit his verbis: De collectis autem quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi ecclesijs Galatiæ, ita & vos facite: per diem Sabbathi vnusquisque vestrum apud se seponat, recondens quod ei bene placuerit, vt non cum venero, collecta fiat. G. Probè. T. Et sancti Patres, eundem morem imitantes, simili modo hac in re progrediebantur. vt apud Iustinum martyrem videre licet, cuius hæc sunt verba: Quibus copiarum suppetunt, ij, si volunt, suo quisque arbitrato quod vult largitur: quodque colligitur & cogitur, apud eum qui præest reponitur, isque pupillis & viduis, iisque quos morbus aliave causa inopes fecit, & iis qui in vinculis sunt, & hospitibus, omninoque omnibus qui aliqua indigentia premuntur, subuenit. Atque ex his principiis profecta sunt quæ de pauperibus hæc tractantur.

De locis ad pauperes pertinentibus.

TITVLVS XVI.

G. **E**A autem quænam sunt? T. Quæ ad pia loca pertinent, vbi pauperes excipiuntur, quæ generali nomine Prochia vocantur, specialiter autem sunt Orphanotrophia, vbi qui parentibus orbi sunt, nutriuntur; Brephotrophia, vbi infantes; Curotrophia, vbi adolescentes; Prochotrophia, vbi mendici; Nosocomia, vbi ægri curantur; Gerontocomia, vbi senes, & Xenodochia, vbi peregrini. G. Optimè. T. Quibus quidem locis qui præsent, ab illis ipsis Xenodochi, Curotrophii, Orphanotrophii, & sic deinceps appellantur, ex quibus alij Episcopo parent, alij propriis sacerdotibus & ministris. G. Rectè. T. Ac cum ad instar tutorum & curatorum sint; de bonis eorum quos suscipiunt, inuentarium facere tenentur, Constantinopoli quidem coram magistro census, in prouincijs verò, coram præsidibus vel loci defensore. G. Probè. T. In administratione autem ipsa hoc diligenter dispici mandatur, vt in veros pauperes, & calamitosos, & qui nullum aliud quàm ad solius Dei & hominum misericordiam per fugium habent, hæc beneficia conferantur, non autem in indignos; cuiusmodi sunt validi mendicantes, qui, vt habet titulus Codicis *De validis mendicantibus*, etiam pœnis coerceri iubentur, à quibus, tamquam à fucis aculeatis, omne genus sceleratorum hominum in republica existit, vt apud Platonem, in libris *De republica* elegantissimè differitur, prohibeturque & lege Mosaica, ne quis sit mendicus in populo.

De priuilegijs piorum locorum & hominum.

TITVLVS XVII.

G. **V**ID autem? anne quemadmodum superius tractatum est, ita & hæc loca sua habent priuilegia? T. Quid ni haberent? Sunt enim, vt ipsi perspicitis, omni fauore digna. Et ideo tametsi legatum incertæ personæ relictum communiter non valeat; si quid tamen pauperibus generaliter legetur, placuit valere. Et donationes quæ alioqui, si ducentos aureos excedunt, insinuatione indigent, in pauperes factæ, ad quingentos vsque sine insinuatione rectè fiunt. G. Intellego. T. Cui accedit, quòd cum alij plerique tutores & curatores satisficere debeant, Orphanotrophii non teneantur, ne callidis quorundam machinationibus vexari eos contingat, qui propter amorem Dei parentibus atque substantijs destitutos sustentare, & velut paterna affectione educare festinant.

De institutis ecclesiasticis quæ ad mortuos pertinent.

TITVLVS XVIII.

G. **R**ELIQUVM est de institutis ecclesiasticis quæ ad mortuos pertinent, vt nunc differas. T. Ea duorum omnino sunt generum. G. Quorum verò? T. Vel enim ad funeris exsequias, & alia quæ mortuis fiunt, pertinent; vel ad eos qui in Diuos sunt relati.

De funeris exsequiis, & aliis qua mortuis fiunt.

TITVLVS XIX.

G. **D**E prioribus quidnam quæso dicis? **T.** Ea tum quidem circa elationem funeris spectantur, tum circa iusta mortuis facienda. **G.** Efferendo funeri quænam autem adhibentur? **T.** Pheretrum, cui corpus ipsum imponitur; & ascetrium, hoc est, chorus eorum qui funus procurant, constans vt minimum, ex tribus acolythis, & octo mulieribus psallentibus; siue ascetriis, siue canonicis. Quæ omnia vnà cum cereis, quæ ibidem deportantur, gratis administrantur, ne in medio luctu ad dandum quis compellatur. Suntque ad eam rem certi redditus constituti, vnde partim canonicis, & acolythis, & aliis sua diaria dantur; partim his rebus peragendis sumptus suggeritur. **G.** Rectè. **T.** Planè si quis communi ascetrio ac pheretro non contentus, plures acolythos, & ascetrias, canonicasve postulet, & de maioribus pheretris aliquid sibi dari velit, Stephani fortè, vel studij (sic enim vocantur) vel tertium sumptuosissimum, quod auro intertextum, in maiori ecclesia asseruatur, cum eo pacisci lecticariis licet, quanti queant, dummodo modum non excedant, qui est, vt singulis octonis mulieribus terni solidi dentur, singulis autem acolythis singulæ siliquæ. Et verò ne quid eius rei aliter fiat quàm oportet, tum quidem præfecto vrbs & prætoriorum, Patriarchæque mandatur; tum verò Imperator ipse, se ac successores suos eam rem curæ habituros, pollicetur. **G.** Iam iusta quæ mortuis fiunt, in quibus consistunt? **T.** In exsequiis quæ vocantur, & memoriis, quæ in tertium, nonumque, & quadragesimum, & anniuersarium diem concipiuntur. **G.** Rectè. **T.** Atque hæc quidem omnia ab Apostolis ipsis profecta fuisse, ex Chryostomo intelligere possumus, qui scribit ad hunc modum: Non frustra ab Apostolis sancitum est, vt in celebratione venerandorum mysteriorum memoria fiat eorum qui hinc discesserunt, nouerunt enim illis multum hinc emolumenti fieri, multumque vtilitatis: nam stante quidem vniuerso populo, & manus in cælum extendente, & sacerdotali verendoque posito sacrificio, quomodo Deum non placaremus pro istis orantes? **G.** Optimè sanè. **T.** Et apud Tertullianum scribitur expressè orandum esse pro anima defuncti, & refrigerium illi postulandum, & offerendum annuis diebus dormitionis eius. **G.** Pulchrè. **T.** Et est lege lata prohibitum, ne ante nonum diem, propinqui eius qui obiit, vlla molestia afficiantur earum rerum nomine, quæ per illum gesta tractatæ sunt. Corpora quoque ipsa defunctorum neque publicè teneri per creditores, neque sepultura prohiberi possunt; infamiae nota cum crediti ipsius amissione, & publicatione tertiarum partium bonorum, ex præstantissimi Philosophi Marci Imperatoris constitutione iis infligenda, qui humanæ sortis conditionisque immemores, tam crudele facinus in se admittere non dubitarunt. Eademque causa est eorum qui moribundos ipsos, & qui animam agunt, aliqua molestia contumeliæ afficiunt, eosque aut res eorum signis ædibus impositis includunt. **G.** Optimè. **T.** Quæ res inde profecta est, quòd, quemadmodum pium & sanctum habetur, ægros & mortuos curare, vt supra demonstratum est: ita contrà crudele, & impium est, & à natura humana prorsus alienum, vim facere corporibus defunctorum, vel eorum rebus, quàm diu tempus luctus durat. **G.** Rectè. **T.** Atque ad hæc quidem omnia pertinent tituli Pandectarum & Codicis: *De religiosis, & sumptibus funerum, & vt funus ducere liceat. De mortuo inferendo, & sepulchro edificando, de sepulchro violato. Item Nouellæ, De sumptibus quos fieri oportet in defunctorum funerationibus. Ne defuncti, seu reliquia eorum, à creditoribus afficiantur contumelia. De officinis siue tabernis Constantinopolitana vrbs, & vt mille tantum, & centum officinarum sacrosanctæ maioris Ecclesie excusentur: omnes reliquæ, ad quamcumque domum pertineant, consueta obeant munia.*

De his qui in Sanctos relati sunt.

TITVLVS XX.

G. **D**E nunc fodes de iis qui in Diuos relati sunt. **T.** Hi sunt, quorum ob vitam pie sancteque transactam, sanguinemve ob Christi nomen profusum, grata sanctaque memoria apud homines celebratur, vt ad eorum imitationem incitentur. **G.** Bene dicis. **T.** Vnde Clemens Pontifex, qui ante centesimum à Christo annum rebus præerat, notarios Romæ creabat, qui vitas martyrum conscriberent: & Dionysius post cœmeteria instituebat vbi sepeli-

sepelirentur, & Felix, festa quibus memoria eorum celebraretur. G. Probè. T. Quorum vestigia sequentes pij Imperatores, lege lata prohibuerunt, ne quis Apostolorum aut martyrum sedem humanis corporibus putet esse concessam, neue martyres quis distrahat, neue mercetur, nec in locis publicis, aut voluptati populi destinatis corpora eorum collocet, sed iis dumtaxat, quæ ab Episcopo sunt consecrata. G. Probè. T. Porro in iurisiurandi formula, post nomen ipsius Dei, nomina quoque sanctissimæ virginis Dei genitricis Mariæ, & Angelorum Michaelis & Gabrielis, ponuntur. G. Sic est. T. Cui adde, quod ipsam sanctissimam virginem Iustinianus inuocat, rogans, vt ipsius intercessione, quicquid minus perfectum est in republica, restitui, & ad perfectum deduci possit. G. Optimè. T. Atque hoc modo, quicquid est omnino in institutis ecclesiasticis, tum quidem eiusmodi est, vt ad pietatem ac iustitiam in hominem inducendam pertineat, tum vt præter hoc etiam per se sua natura exercitium quoddam pietatis & iustitiæ in se habeat.

De disciplina ecclesiastica.

TITVLVS XXI.

G. **D**IXISTI de doctrina ecclesiastica: dixisti item de institutis & ceremoniis: reliquum est de disciplina ecclesiastica vt exponas. T. Verum, & quidem à qua parte vniuersalis Iurisprudentiæ ea dependeat, nomen ipsum, nisi fallor, indicat. G. Rectè. T. Ac si de origine Euangelica quæras, certè Dominus ipse eam constituit, his verbis: Si peccauerit frater tuus aduersum te, vade, & corripe eum inter te & ipsum: & si audierit te, lucratus eris fratrem tuum; si non audierit te, adhibe tecum vnum aut alterum, vt in ore duorum vel trium stet omne verbum: quod si vos non audierit, dic Ecclesiæ: si non audierit Ecclesiam, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Cui accedit, quod Dominus ementes & vendentes, eiiciendo ex ecclesia, acerrimi iudicij exemplum in ecclesia constituit. G. Sic est. T. Et post eum sequentes Apostoli, eandem rationem sequebantur. Nam Petrus Ananiam, & vxorem etiam morte multabat: & Paulus corpus tradebat Satanæ, vt anima salua fieret. Cui adde, quod libri magici conquiri & cremari iubebantur. G. Verum. Caterùm quidnam ipsa sit disciplina, & quibus partibus constet, dicito. T. Enimvero ipsa non aliud est, quàm qua homines ecclesiastici, & alij ad officium coguntur, vt circa religionem & res diuinas id faciant quod oportet, & non aliud quàm oportet: in quo longè maximum positum esse momentum, per se, nisi fallor, perspicitur, & tu suprâ latè demonstrasti. G. Teneo. T. Partes autem eius quibus continetur, sunt duæ, quarum vna generalis est, quæ in Synodis consistit: altera specialis quæ in iudiciis ecclesiasticis: & tertia singularis, quæ in admonitione canonica, & fraterna, de qua iam tactum est: & reliquas duas naturâ præcedit.

De Synodis ecclesiasticis.

TITVLVS XXII.

G. **S**YNODOS autem quas vocas? T. Conuentus clericorum, in quibus dispicitur, ecquis fortasse de religione ac fide malè sentiat, eaquæ sit vita ac moribus quibus secundùm canones minimè decet, quas Synodos secundùm Apostolorum institutû, bis quotannis celebrari Imperator iubet, idquæ præfidente Patriarcha, cum Archiepiscopi conueniunt, Archiepiscopo, cum Metropolitanis, Metropolitanis, cum Episcopi, & Episcopo, cum reliqui sacerdotes & monachi. G. Intellico. T. Atque ab hoc quidem genere disciplinæ manant etiam Perioderitæ, qui quotannis prouincias suas obeant, vt videant & inquirent, ecquid omnia rectè se habeant, nec ne; tam circa vitæ institutum contra prauos mœurs, quàm circa rectam doctrinam contra hæreses; dummodo ne horum prætextu contra iussiones Imperiales quid fiat, quod grauissimè prohibetur. G. Probè. T. Ac sunt quidem profectæ Synodi iam inde ab Apostolorum temporibus: qui, si quid maioris rei incurreret, conuentum indicebant, ibique prout Spiritus sanctus suggerebat, statuebant. qua de re in Actis Apostolorum sic scribitur: Et quidam descendentes de Iudæa, docebant fratres; quia nisi circumcidamini secundùm morè Moyfi, non potestis saluari. Facta ergo seditione non minima Paulo & Barnabæ aduersus illos, statuerunt vt ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alij ex aliis ad Apostolos & presbyteros in Hierusalem super hac quæstione. G. Rectè. T. Et quod de Perioderitis dicitur, qui ecclesias circumeunt, & ipsum ab Apo-

P

stolis

stolis descendit. nam dicitur de Paulo: Perambulabat autem Syriam & Ciliciam, confirmans ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum & Seniorum. G. Pulchrè. T. Atque vt intelligas quonam pacto Iustinianus suas Constitutiones inde deduxerit, recitabo eius verba. G. Illa autem quænam sunt? T. Quia verò quod à sacris dictum est canonibus, de sanctissimis Episcoporum Synodis, quæ per singulas celebrari debent prouincias, hucusque obseruatum non est; vnde multos deprehendimus in peccata incidisse, qui, reueriti subeundam in Synodo redargutionem, studuissent vtrique sacra ediscere mysteria, & honestè viuere: ne condemnationi subiiciantur factorum canonum, maximè necessarium fuit ad rectam id denuo viam reducere. Ac sancti quidem Apostoli, & patres definierunt, vt bis per singulos annos religiosiss. sacerdotum, seu Episcoporum in quaque prouincia celebrarentur Synodi, & quæ suppullularent, examinarentur, potirenturque competenti correctione: hoc est, altera quidem, quarta Feria sanctæ Pentecostes, altera verò, in mense Septembri. Nos autem cum ex huiusmodi negligentia multos, vt dictum est, variis implicitos peccatis inuenerimus; iubemus, vt omnibus modis in quaque prouincia per singulos annos, vel in mense Iulio, vel Septembri, vna Synodus celebretur, coeantque in vnum apud beatissimos quidem Patriarchas, illi qui ab iis ordinantur, neque ius habent alios ordinare Episcopos; apud religiosissimos verò cuiusque prouinciæ Metropolitanos, hi qui ab Episcopis ordinantur: quo magis motæ causæ, & quæ ab aliquibus denunciantur, vel occasione fidei, vel canonicarum quæstionum, vel administrationis rerum ecclesiasticarum, vel de Episcopis, aut presbyteris, aut diaconis, aut aliis clericis, vel de monasteriorum præsulibus, aut monachis, vel de reprehensibili vita, aut aliis quæ correctionem desiderant, agitentur iuxta, & conuenienter examinentur, neque non correctio iis adhibeatur, quæ sacris canonibus, & nostris conueniat legibus. Non tantum autem hæc quærantur in Synodis per singulos annos celebrandis, sed etiã quotiescumque aliquis vel sacerdotum, vel clericorum, vel præsulum, vel monachorum, vel de fide, vel de turpi vita, vel quòd contra sacros canones aliquid peregerit, accusatus fuerit. Et si quidem is qui accusatur, Episcopus fuerit, huius Metropolitanus ea quæ proferentur examinato. Si verò Metropolitanus, beatissimus Archiepiscopus, sub quo censetur. Si presbyter, aut diaconus, aut alius clericus, aut præsul monasterij, aut monachus; religiosissimus Episcopus, sub quo hi censentur, delata in accusationem examinato. Et veritate comprobata, vnusquisque, pro modo delicti, canonicis censuris subiicitor, iudicio eius qui causæ examinationem accommodat. Atque hæc omnia non tantum obrinento in iis Episcopis, & clericis, neque non præsulibus, qui posthac ordinabuntur; sed etiam in iis qui modò sunt, si quis (quod licet coniciere) de certis causis per sacros canones nostrasque leges prohibitis accusetur. His enim ita obseruatis, laici quoque magnum circa rectam fidem & honestam vitam profectum, atque in melius emendationem promerebuntur.]

De iudiciis ecclesiasticis.

TITVLVS XXIII.

G. **N**UNC de iudiciis ecclesiasticis quid dicis? T. Ea sunt, quæ in episcopali auidientia tractantur, perueniturque ad ea, cum superiora remedia non profunt. Nam hos gradus atque ordines in republica seruandos esse ad iustitiam in eam inducendam, tu supra luculenter probasti. G. Quid? circa iudicia quænam spectantur? T. Tria. G. Cedo quæ? T. Ordo, poenæ, & delicta.

De ordine iudiciorum ecclesiasticorum.

TITVLVS XXIIII.

G. **Q**UO autem iudiciorum ecclesiasticorum in quonam consistit? T. In hoc potissimum, vt scias vbi nam agere quis, vel conueniri debeat: nam reliqua suum habent processum ordinarium, qui non tam iuris publici est, quàm privati. G. Id autem quid? an aliqua formula potes comprehendere? T. Aliqua quidem, vt videor, tametsi res, ob iuris varietatem, fatis est intricata. G. Dic ergo, quænam ea est? T. Si quidem inter duos clericos, vel laicos duos quæstio est; clarum & apertum est, illos quidem iudicem ecclesiasticum, hos profanum adire debere: sed difficultas tum potissimum existit, cum alter ex litigatoribus clericus est, alter verò laicus: vbi nec hoc quidem multum habet scrupuli, si clericus laicum vocare velit; nam non ad alium quàm ad profanum iudicem cum adigere potest. Vnde quod

quod restat, eò recidit, vt scias quonam laicus clericum in ius vocare debeat, ubi inter ciuiles & criminales causas distinguitur. G. At quo pacto? T. Etenim in ciuilibus communiter non alium quàm ecclesiasticum iudicem clericus agnoscit, nisi Episcopus absens fortè sit, vel occupatus, vel res hominem iuriconsultum exposcat. Quibus casibus rectè aditur iudex laicus, qui & sententiam iudicis ecclesiastici exsequitur, & ex appellatione de ea cognoscit, nisi inter duos Episcopos, vel eorum œconomos agatur. G. Teneo. T. In causis autem criminalibus, si quidem communia delicta sunt, ciuilis magistratus cognoscit, ita tamen, vt si mors irroganda sit, per Episcopum fiat degradatio. Si verò ecclesiastica, cognitio est Episcopi, nisi præueniat magistratus ciuilis, qui rectè ea de re cognoscit, dummodo Episcopum certiore faciat eorum quæ aguntur, qui, si quid peccatum fieri videatur, ad Imperatorem id deferre potest: quo medio tempore interiecto, suspenditur exsecutio. G. Intellego. T. Atque hæc quidem ita se habent, nisi aliter sit constitutum, quod seruari debet. G. Rectè. T. Cui adde, quòd etiam inter laicos & de rebus ciuilibus non numquam Episcopus cognoscit, veluti si iudex laicus abest, si occupatus, si suspectus, negligens. quibus casibus vel cognitionaliter, hoc est, pro tribunali, de causa cognoscit, vel per annotationem ad libellum iubens causam, aut viua voce, aut in scriptis, prout res fert, discipari. G. Probè. T. Sed & hoc prouident Episcopi, ne infantes expositi, in seruitutem rapiantur, & vt furiosis coram se, ac præside, & tribus primatibus vrbis curatores dentur, & liberi eorum non nisi suo & magistratus consensu matrimonium contrahant. G. Optimè. T. Denique clerici conuenti non alios fideiussores quàm œconomos aut apocrisarios suos dare tenentur, & pro commonitionibus, & sportulis Episcopi, nihil omnino, reliqui inferiores clerici perparum soluunt. Quæ omnia partim ex fauore ordinis Ecclesiastici, partim ex præsumptione bonæ fidei, virtutis, & dignitatis præstantia proficiuntur. G. Probè. T. Atque huc quidem pertinet titulus Codicis *De Episcopali audientia, & diuersis capitulis, quæ ad ius curamq; & reuerentiam pontificalem pertinent.* Item Nouellæ: *Apud quos oporteat litigare monachos & ascetrias. Vt clerici apud Episcopos causam dicant,*

De pœnis ecclesiasticis.

TITVLVS XXV.

G. ERGE nunc de pœnis ecclesiasticis exponere. T. Præterquam quòd Dei iram constitutiones Imperatorum sæpe minantur, tum duplex est genus pœnarum ecclesiasticarum, quorum vnum ad emendationem pertinet eius qui punitur, si sanabilis fortè est, alterum vt exemplum de eo edatur, & malum ab Ecclesia tollatur, si insanabilis. Nam iam tum superius tu nos docuisti, neminem sic puniri, quasi quòd factum est, infectum fieri queat, sed vt in posterum vel ipse melior fiat, vel exemplo sit aliis. G. Prioris generis quænam sunt? T. Obiurgatio, comminatio, conclusio, sacrorum interdictio, suspensio à diariis, multa pecuniaria, detrusio temporalis in monasterium, corporis castigatio per tormenta, & si quæ sunt alia eiusmodi. G. Quænam sunt secundi generis? T. Pœnæ quæ vocantur vltimæ, sic dictæ, non quia mortem omnes irrogant, sed quia suo in genere atque gradu siue ordine sunt vltimæ: veluti si à maiori ecclesia ad minorem ob vitium quis detrudatur, si clericali honore exutus, in laicorum ordinem redigatur, si libertate priuatus, curiali vel officiali conditioni subiciatur, si communionem Christianam prohibitus, sicut ethnicus & publicanus habeatur, & si denique degradatus, mortis pœna afficiatur, quòd quidem non nisi summa necessitate propòsita peruenitur. G. Rectè. T. Et verò vel maximè sanctis Patribus hoc fuit curæ, vt, prout delictum est, ita modus & proportio pœnarum habeatur. Quam quidem proportionem qui negligunt, aut non ea diligentia qua decet obseruant, dici non potest, quantam rerum omnium confusionem in rempublicam inducant, grauitèr in eam iustitiæ partem peccantes, quæ, quòd cuique, prout bene aut malè meritis est, sua præmia pœnæ siue distribuit, iustitiæ distributiue nomen inuenit. G. Reuera dicis. T. Pessimè autem omnium merentur de republica, qui quæ ad communem hominum salutem descriptæ sunt pœnæ, & cuique delicto per leges accommodatæ, sui commodi causa inter se confundunt, & ad eam solam speciem, quam sibi maximè iudicant esse vtilem, conuertunt; cuius generis est, quòd reliquas ecclesiasticas pœnas quis omittens, ad vnam pecuniariam intendit, ad eamque alias transferens, ex incommodo Ecclesie summi parat commodum. Quòd quidem cum sit, reliquas obsolescere necesse est, nisi quatenus pœnæ quærendæ parandæque videantur esse idoneæ. Quòd translata, non modò vim naturamque suam propriam amittunt, quemadmodum semina quæ in peregrinum

solum inlicitur, sed vel degeneres factæ, contemptui sunt populo vel in alienam peregrinamque naturam mutatz; pro bono publico, quod ab iis expectatur, magnas sæpe dant turbas in Ecclesia.

De delictis ecclesiasticis.

TITVLVS XXVI.

RELIQVVM est de delictis ecclesiasticis vt exponendum videatur. T. Ita est. Et verò hæc vel eorum sunt qui Christianam religionem suscipere recusant, cuiusmodi sunt Pagani, Iudæi, Cœlicolæ, Samaritani, vel qui, postquam eam susceperunt, ad malas artes, ac mores, falsasque opiniones se conuertunt, vt mathematici, blasphemæ, hæretici, apostatz. De vtroque genere, quantum huic breuitati satis videbitur, dicemus: nec non de hæreticorum variis generibus, quorum in Iure civili fit mentio: quos, quales fuerint, breuiter strictimque trademus.

De Paganis, Iudæis, Cœlicolis, Samaritanis.

TITVLVS XXVII.

DE prioribus quidnam dicis? T. Primum Paganos esse qui veterum gentilium superstitionem sequuntur, quorum templa clausa esse, & sacrificia, honoresque simulacrorum cessare iubentur: cæterum autem, si quidem quietè degant, nec res vllas nouas tentent, vt antiquis conuentibus & lecticis publicis frui possint, nec vllò modo à Christianis iniuria afficiantur, placuit, prout Honorius & Theodosius statuerunt his verbis: Christianis, qui verè sunt, vel esse dicuntur, specialiter demandamus, vt Iudæis & Paganis quietè degentibus, nihil tentantibus turbulentum, legibusque contrarium, non audeant manus inferre, religionis auctoritate abusi. Nam si contra securos fuerint violenti, vel eorum bona diripuerint, non ea sola quæ abstulerint, sed conuicti, in duplum, quæ rapuerint restituere compelluntur. Rectores etiam prouinciarum, & officia, & principales cognoscant, se (si non ipsi talia vindicent, sed fieri à popularibus hoc permiserint) vt eos qui fecerint, puniendos. Ac dicuntur quidem inde Pagani, inquit Orosius, quòd à ciuitate Dei alieni, in locorum agrestium compitis & pagis oberrant. G. Audio. T. Iudæi sunt, qui literæ legis Mosaicæ adhærentes, Iesum negant esse Christum, aliumque Messiam expectant. Quos modeste se gerentes, tolerari iubent Imperatores, & Patriarchas suos, synagogas, seniores, syndicos, sabbatha, & id genus alia habere permitti; sic tamen, vt nullam formam reipublicæ inter se habeant, nec ad partem vllam Christianæ reipublicæ admittantur. Porro si quid moliantur turbulentum, vel eum qui ab eorum superstitione fortè deficiens, ad Christi religionem se contulerit, faxis appetere, aut qua alia contumelia afficere tentent, flammis comburantur. Ad hæc si sacra sua cum legis Christianæ contemptione derisioneque miscuerint, veluti si (quod subinde facere solent) sanctæ crucis assimulatam speciem exusserint, grauissimis pœnis subiiciuntur: bonorum quoque proscriptione, & perpetuo exilio castigandi, si nostræ fidei hominem circumcidisse, vel circumcidendum mandasse deprehendantur. G. Intellego. T. Cœlicolæ à Basilidianis orti, & eorum obsoletam sectam multo post renouasse videntur. hi enim eoslos trecentos sexaginta quinque esse dicebant, & singulis singulos deos præsidere. iubentur autem puniri vt hæretici, nisi resipiscant, & domus eorum, in quibus conuentus suos habuerint, ecclesiæ addici. Qua de re Honorij & Theodosij hæc sunt verba: Cœlicolarum nomen inauditum quodammodo, nouum crimen superstitionis vindicauit. hi, nisi ad Dei cultum, religionemque Christianam conuersi fuerint, iis legibus quibus præcipimus hæreticos adstringi, se quoque nouerint adstringendos: ædificia autem eorum (quæ nescio cuius noui dogmatis conuentus habent) ecclesiis vindicentur. Certum est enim, quicquid à fide Christiana discrepat, legi Christianæ esse contrarium. G. Teneo. T. Samaritani sunt, qui in libris Mosaicis cum Iudæis consentientes, in reliquis ab iis, vt apud Theophylactum est, dissentiunt: quos alij ab Ismaele ortos, & ad maculam illam eluendam, à Sara vxore Abrahami nomen sumpsisse aiunt: alij ab Assyriis, cum occupatam Iudæam præsidis & custodibus murerent, quos Samarros eorum lingua vocari, apud Sulpitium Seuerum scribitur. Hos antitius prius habitos, cum insolentiùs se agere Imperatores animaduertent, intestabiles esse iusserunt, & à reipublicæ militiæque functionibus penitus remoueri,

ueri, vsque adeò vt ne Christianum quidem mancipium habere possint, nec ad baptismum admitti, nisi post duorum annorum in Christi religione exercitium. G. Rectè. T. Atque his quidem de rebus tractant tituli Codicis & Nouellarum: *De Pagani, & sacrificiis, & templis. De Iudæis, & Cælicolis. De Samaritanis.*

De Mathematicis, blasphemis, apostatis, & hereticis.

TITVLVS XXVIII.

G. **N**UNC de posterioribus quid ais? T. Primum Mathematici hinc vocantur, qui ex astris futura prædicunt, & superstitiosis artibus, ac venenis, res admirabiles & superstitiosas perpetrant: vnde & malefici cum eis coniunguntur, magique & Chaldæi, nec non aruspices, arioli, augures, vates, & id genus alij, quos grauibus suppliciis puniri, Imperatores voluerunt, & item eos qui ipsos consulunt. vnde Constantinus, sub titulo Codicis, *De maleficiis, & Mathematicis, & cæteris similibus*: Nullus aruspex, inquit, nullus sacerdos, nullus eorum qui huic ritui assolept administrare, limen alterius accedat, nec ob alteram causam, sed huiusmodi hominũ amicitia (quamuis vetus) repellatur, conctemando illo aruspice qui ad domum alienam accesserit, & illo in insulam deportando, post ademptionem bonorum, qui eum euocauerit suasionibus, vel præmiis. Accusatorem autem huius criminis, non delatorem esse, sed dignum magis præmio arbitramur.] Item Constantius, Augustus, & Iulianus: Multi malis artibus vsũ elementa turbare, vitas insontium labefactare non dubitant, & manes accitos audent ventilare; vt quisque suos conficiat, malis artibus, inimicos. Hos (quoniã naturæ peregrini sunt) feralis pestis absumat. Porro si quis in comitatu Principis reperiatur qui his artibus exercendis, vel somniis obseruandis operam dederit, præsidio dignitatis exutus, grauissimos cruciatus & tormenta subire debet; sic tamen, vt ne quis priuatim in quempiam sæuiat, sed deprehensum in publicum producat.] Imperatores Honorius & Theodosius sic de iis rescripserunt: Mathematicos, nisi parati sint, codicibus erroris propriij sub oculis Episcoporum incendio concrematis, Catholicæ religionis cultui fidem tradere, numquam ad errorem primum redituri, non solum vrbe Roma, sed etiam omnibus ciuitatibus depelli decernimus. Quod si hoc non fecerint, & contra clementiæ nostræ salubre constitutum in ciuitatibus fuerint comprehensi, vel secreta erroris sui, & professionis insinuauerint, deportationis pœnam accipiant.] De his qui maleficos consulunt, Lex est huiusmodi: Nemo aruspicem consulat, aut Mathematicum, nemo ariolum: augurum & vatum praua confessio conticescat. Chaldæi, & magi, & cæteri, quos maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur, sileat omnibus diuinandi curiositas: etenim supplicium capitis feret, quicumque iussis nostris obsequium denegarit.] G. Rectè. T. Blasphemi sunt, qui verbis execrabilibus, & horrendis iuramentis conuicium Deo faciunt, quos ob id grauissimè puniri Iustinianus lege lata iubet his verbis: Insuper quia vltra prædictos quidam execrabilia etiam verba, & iuramenta de Deo proferunt, Deum prouocantes ad iracundiam, consimiliter & hos admonemus, vt tam execrabilibus verbis, & etiam per capillum & caput adiurationibus, & id genus aliis verbis abstineant. Nam si conuicia hominibus ingesta, inulta non relinquuntur: multo magis qui diuinum numen conuiciis incessit, dignus est qui supplicium sustineat. De his Nouella est: *Vt qui contra naturam luxuriantur, & per Deum adiurant, item qui blasphemias in Deum ingerunt, afficiantur supplicio.* nec non altera: *Edictum de his qui luxuriantur contra naturam.* G. Intellego. T. Apostatæ sunt, qui à religione falsa ad Christum conuersi, ab eo rursus deficiunt. Pœna eorum est, vt omnibus bonis & honoribus priuentur, & à quolibet etiam post mortem accusari possint, nec recipiatur eorum pœnitentia. Nam lapsis, inquit Imperatores sub titulo Codicis *De apostatis*, & errantibus subuenitur; prædictis verò, hoc est, sanctum baptismum profanantibus, nullo remedio pœnitentiæ, quæ solet aliis criminibus adesse, succurritur. G. Probè. T. Hæretici sunt qui Christianum nomen præ se ferentes, cum Ecclesiâ Catholica in fide non consentiunt: qui quidem tametsi vt plurimum inter se dissident (nam infinitæ eorum sunt sectæ) hoc tamen habent commune, vt aduersus Ecclesiam Catholicam omnes conspirent. vnde Iustinianus pleniùs eos describens, Hæreticos, inquit, illi dixerunt, & nos dicimus, quicumque diuersarum sectarum sunt: quibus connumeramus eos qui Iudaicam Nestorij sequuntur velaniam, & Eutychnianistas, & Acaphalos, & qui peruersa Dioscori & Seueri opinione laborant, qui Manichæorum & Apollinaris impietatem renouarunt, & insuper quicumque membrum sanctæ Dei Catholicæ

est, in quo ipsis etiam elementis fiat iniuria.] Idem in l. 3. *Ne sacrum baptismum reiteretur.* Si quis rebaptizare quempiam de ministris Catholicæ sectæ fuerit detectus, vñ cum eo qui piaculare crimen commisit (si tamen criminis per ætatem capax sit) & hic cui persuasum sit, ultimo supplicio percellatur.] G. Bene habet. T. Atque has quidem pœnas à Christo, & Apostolis, Patribusque profectas esse, ex iis quæ supra dicta sunt, constare potest. Cui accedit, quod cum eorum qui peccant, alij errore peccant, vt Pagani, Iudæi, & similes; alij cupiditate, vt fures, adulteri: qui sanctam Christi religionem semel susceptam deserunt, aut falsis suis doctrinis inficiunt, & errore peccant, & cupiditate, suntque ex eorum numero, quos per vim & dolum leges ipsas inuadere, & ad optimam integramque partem reipublicæ, quæ in recta religione consistit, euertendam, omnes neros intendere dixisti: vnde quanto studio ac conatu obuiam illis eundum sit, per se lucet. G. Reuera dicis. T. Ac pertinent quidem huc tituli Codicis & Nouellarum: *De hæreticis, & Manichæis, & Samaritanis. Ne sanctum baptismum reiteretur. Ne Christianam mancipium hæreticus, vel Iudæus, vel Paganus habeat, vel possideat, vel circumcidat. Vt Anthimus, Seuerus, Petrus, Zoaras, & reliqui hæretici, ecclesiastico gradui detrahantur. Ne Iudæi, Samaritani, & hæretici, per causam religionis & cultus sui, curiali fortuna liberentur, sed cum curialibus muneribus subdantur, priuilegiis eorum non perfruantur. Item vt eadem possint contra orthodoxos, qui curiali fortuna subditi sunt, testimonium dicere, vt qui præclara pro orthodoxa republica testimonia perhibent. De mulieribus fide hæreticis. De interdictis collegiis hæreticorum.*

De variis generibus hæreticorum.

TITVLVS XXIX.

G. EST AT de variis generibus hæreticorum, quorum in Iure ciuili fit mentio, vt exponas. T. Hi (vt secundum ordinem literarum procedam) sunt Arriani, qui ab Arrio presbytero orti, Dei Filium creaturam esse tradunt. Apollinariani siue Apollinaristæ, qui Christum corpus tantummodo sine anima suscepisse aiunt, nomen habentes ab Apollinario Laodiceno. Audiani, qui cum Ecclesia Catholica quidem sentiunt, sed vitam degunt solitariam, & à communi hominum consuetudine remotam, schismaticis quàm hæreticis similiores. Refert Epiphanius, ortum eos habuisse ab Audio, quodam viro integro cum primis, & prisca fide: qui cum ecclesiasticos non secundum canones viuentes liberius reprehenderet, odio & iniuriis eorum qui id ægrè ferrent, tandem coactus est secedere. Et quia de Palschate paulo alienius sentiebat; tantum effectum est apud Constantinum, vt ad Scythas relegaretur: vnde ad vltimos Gothos profectus, primus Christianam religionem in eam gentem intulit, vbi monasteria plurima castissima ædificauit. Ascodrogitæ, siue potius Tascodrugitæ sunt, qui Manichæos secuti, animum hominis ex Deo ipso decerptum ac delibatum esse tradunt: sic dicti, quod tristitiæ monstrandæ causâ, digito indice in nasum inserto orant; tascus enim apud Phrygas digitum, qui index vocatur, significare fertur, drugus verò nasum. Sunt his nomine non absimiles Ascodruti vel Ascodruperetæ, qui, vt Theodoretus refert, negant ministeria diuina, per res quæ cerni possunt, rectè peragi. Apocritæ sunt, qui se Apostolorum imitatores iactant, renunciantes bonis ac possessionibus suis, à qua re nomen inuenerunt: semel lapsos numquam recipiunt in gratiam. Acephali dicti, inquit Rabanus ex Isidoro, quasi sine capite, quod nullus eorum reperitur auctor, à quo exorti sunt: hi trium Chalcedonensium capitulorum impugnatores duarum in Christo substantiarum proprietatem negant, & vnam in eius persona naturam prædicant. Borboritæ, siue Borboriani, sunt qui Barbeliotæ quoque apud Epiphanium & Theodoretum nominati, promiscuis libidinibus, & factis quibusdam horrendis vtuntur, quorum vel solam mentionem pius animus reformat: nomen acceperunt à Barbeloth, siue Barcabba, quem Deum siue Prophetam introducunt, cui ex coniunctione maris & feminæ id nominis lingua Syrorum impositum est. Batrachitæ qui fuerint, nondum potui inuenire: reperias in quibusdam exemplaribus pro Batrachita, Ascodrogita scriptum, de quibus modò diximus. Carpocratitæ sunt, qui Carpocratem quendam Alexandrinum secuti, superiorem partem mundi à Deo factam docent, inferiorem verò ab Angelis: Christum autem ex Iosepho & Maria natum: bona & mala, non re, sed opinione distingui. Additur autem ex Ireneo apud Theodoretum, in scriptis eorum errorem nefandum exstare: Iesum in mysterio eum discipulis suis & Apostolis seorsum fuisse locutum, eumque iis qui digni

erant, & parebant, tradere voluisse per fidem & dilectionem homines servari: reliqua autem cum sint indifferentia, pro hominum opinione, aliquando quidem bona, aliquando mala existimari, cum nihil sit natura malum. De Cataphrygibus dicemus cum de Phrygibus ageretur. Donatistæ à Donato quodam in Africa initium sumentes, eadem probant cum Arrianis: cum quibus & hoc coniungunt, quod manibus hominum sponte perire præclarum ducunt. & si qui Catholici ad ipsos deficiunt, eos rebaptizant, quæ res causam dedit Legi, Ne sacrum baptisma reiteretur. Dioscoriani iidem sunt cum Severianis, qui & ipsi mundum hunc inferiorem ab Angelis fabricatum esse dicunt. Diabolum autem, patre Sabaoth natum, serpentem esse, cuius saxu vir & mulier exstiterunt, & si quæ sunt alia, neanicularum quidem fabulis digna. Eunomiani sunt, qui ab Arrianis exorti, eam sectam in duo capita disseuerunt, auctore Eunomio, quem Aëtij sectatorum suis temporibus, hoc est, sub Valentino, Valente, & Gratiano Impp. in viuis fuisse refert Epiphanius. Præterquam quod de Filio & Spiritu sancto malè sentiebat, multa circa baptizandi formam innouabat: itaque proposito à Constantio Imperatore edicto, Ne quis de Dei natura quæ supra captum ingenij humani esset, disputaret, relegatus est in solitudines Phrygiæ, vbi diu delituit, nullas novas opiniones proferens ex compacto quod cum Eudoxio habebat, qui circa Principem degens, cum eiusdem sententiæ esset, dissimulandum, & opportunum tempus expectandum suaserat. Sed circumuentus Eunomius à quibusdam piis, qui se eiusdem sententiæ esse sinxerant, aperuit se. A quibus ad Imperatorem delatus, per ipsum Eudoxium, quamuis eiusdem opinionis, iussu Imperatoris Episcopatu motus est. Hæc Theodoretus. Euchetarum & Enthustarum nomina satis indicant quales ipsi fuerint, nimirum qui vni orationi, & Spiritus sancti afflatibus omnia tribuerent refert Theodoretus, eos Messilianos quoque vocatos, contra quos acerrimè scripsit Benedictus Flavianus Episcopus Antiochenus, etiam verba eorum, euidentioris confutationis causa, scriptis suis inserens. Encratistæ sunt, qui Tatianum securi, vinum & nuptias damnant, neque non esum carniùm, vnde nomen habent, secundum Rabanum. Fuit autem Tatianus æqualis & discipulus Iustini philosophi & martyris, ex Samarita Christiani: quo mortuo, tamquam amisso ductore, in hos errores incidit. Eutychiani sunt, qui tertium genus Arrianorum constituerunt, docentes, Christum à beata Virgine nihil assumpsisse, sed immutabiliter carnem fuisse factum. nomen habent, secundum Rabanum, ab Eutyche Constantinopolitano quodam Abbate. Græci quinam fuerint, equidem nequeo satis conijcere, nisi inter Iudæos, hæreticos, Samaritanos, & alios, eos inuenio numeratos, nec alibi quàm in nostris Legibus eorum hoc modo memini mentionem extare. Ipse suspicor per Græcos Iustiniano intelligi, qui veterem ritum & superstitionem Græcorum sequerentur, qui Pagani vulgo vocantur. Hydroparastæ iidem sunt Theodoro qui Encratistæ: quos ideo scripsit sic vocatos, quod aquam pro vino offerant. Euangelium habebant compositum ex quatuor Euangelistis, resectis iis ex quibus demonstratur, Christum secundum carnem à Dauide ortum. Quo libro, quia commodius videbatur, non ipsi modò, verum etiam Catholici ignari fraudis utebantur. quam detegens tandem Theodoretus Episcopus, omnes in sua Ecclesia conquiri, & eorum loco quatuor Euangelistas legi iussit. Hermogeniani sunt, qui materiam Deo æqualem statuunt, vnde Deus omnia fabricavit. Philastrius Sabellianis eos adnumerat. Macedoniani, Macedonium Constantinopolitanum, successorem Arrij, habent auctorem. Hic Filium Patri non omnino quidem ab similem esse docuit, sed verè *ὁμοιόσιον*, hoc est, similis substantiæ: cæterum *ὁμώσιον*, eiusdem substantiæ negavit. In Spiritum sanctum quoque mirificè conuiciatus est, vnde eius sectatores Pneumatomachi dicti sunt, quasi qui cum Spiritu bellum gererent. Montanistarum nomen coniungunt Imperatores cum Priscillianistis, Phrygibus, & Pepuzitis. dicti enim sunt Montanistæ à Montano quodam à Phrygia, vnde & Cataphryges: nec non Pepuzitæ, quod Pepuzam, vicum quendam illius regionis, Hierosolymam esse dicebant: & Priscillianistæ à Priscilla femina, quam Montanus Prophetissam vnà cum Maximilla introducebat: quarum scripta pluris faciebat quàm ipsa sacra Euangelia. Inter cæteras cerimonias quas habent plurimas præter instituta Ecclesiæ, rem diuinam facturi, puellum infantem virgis æneis cædunt, cuius sanguine in sacrificiis vtuntur. auctor est Epiphanius. De Messilianis dictum est, cum de Euchytis ageremus. Marcellianos hæreticos fuisse, & de Trinitate malè sensisse satis conuenit: verum quid de ipso Marcello, à quo nomen habent, dicendum sit, dubitat Epiphanius. Nam cum fortasse nonnulli aduersum eum scripsissent, tamquam à fide orthodoxa dissentientem, Romam se contulit, vt rationem fidei redderet, & aduersariis responderet: vbi cum an-

num

num & tres testes fuisset commemoratus, nec quisquam accusatorum compareret, domum rediit, libello purgationis & confessionis fidei Romæ relicto. Scribit idem Epiphanius, se ipsum Athanasium Papam Alexandrinum ea de re aliquando compellasse, quid de homine sentiret, illumque lepiter attridendo, neque vehementer eum inuensas, neque tamen omni suspitione liberasse, sic tamen, ut pro purgato haberi posset. Manichæi sunt, quos Iuris nostri conditores ad imum usque malorum venisse scribant, ea putant autem eorum doctrinæ est, quod duo principia statuunt, bonum, & malum, augustinus vero Manes se Paracletum esse prædicat. Novatiani originem sumpserunt à Novato quodam presbytero urbis Romæ, negant autem semel lapsis gratiam recte ferri. hinc Catharos seiplos vocant, quasi vitæ puritate præcellentes. Nestoriani sunt, qui diuam virginem non Deiparam esse docent, sed Christiparam: profecti à Nestorio quodam presbytero Antiocheno, qui externo cultu, & moribus, magnam vitæ sanctorum moniam, virtutisque & doctrinæ studium præ se ferens, eaque re Episcopus Constantinopolitanus factus, cum multos simulatione probitatis, suis falsis opinionibus imbueret, usque defectis, tandem per Concilium Ephesinum Episcopatu motus est. Ophitæ à serpente nomen habent, de quo mira fabulantur, eumque magna veneratione colunt, domi viuam serpentem alentes, quam delicate auerunt, inque eius conspectu mysteria sua, & conuiuia peragunt. Qui Pneumatomachi, Priscillianistæ, Phryges, Pepuzitæ sint, superius exposuimus: nisi quod sciendum est, quosdam fuisse Priscillianistas, à Priscilliano vocatos, qui in Hispania ex errore Gnosticorum & Manichæorum permixtum dogma composuit. Is cum Romam venisset, ut se Damaso purgaret, ne in conspectum quidem admissus est. Itacius accusator eius cum postea apud Maximum Imperatorem tantum effecisset, ut Synodus Burdegalæ indiceretur, Priscillianus, ne ab Episcopis audiretur, ad Principem nouo exemplo prouocauit. Postquam ad Principem peruentum est, qui Treueris oras increpuit Iractum accusatorem Martinus Episcopus, nouum esse & inauditum nefas, ut causam Ecclesiæ iudex sæculi iudicaret. Non audit virum sanctum Itacius, sed magis insolescit, optimis quibusque, in quibus aut studium inerat lectionis, aut propositum erat ieiuniis certandi, etiam ipsi Martino, hæresis infamiam obiecit. Itaque post abatum Martini, res eò deducitur, ut causa Priscilliani per præfectum Prætorio cognita, & gestis ad palatium delatis, ille cum suis capitis damnaretur: quod primum in Ecclesia capitale iudicium fuisse, scriptum reliquit Sulpitius Seuerus, libro secundo sacræ historię. Pauliani à Paulo Samosateno Episcopo Antiocheno profecti sunt. hi verbo quidem Christum profitebantur, sed re negabant: vnde & secundi Iudæi vulgo vocabantur, inquit Epiphanius. Quo autem tempore primum vulgata fama erat, Paulum alienum esse à fide Catholica, multi ad eum profecti sunt Episcopi, ut in viam eum reducerent. Cæterum quia constanter negabat rem ita esse, in eoque perstabat, domum quisque suam reuersi sunt, egregiam hominis virtutem & fidem collaudantes. Procedente tempore, cum iterum fama increbuisse, primum per literas cum eo agere, deinde coram antice admonere: quibus cum non proficerent, tandem in disputationem res adducta est, in qua cum se pertinacem & immedicabilem ostenderet, tandem omnium Episcoporum sententiis à sacris remotus est: sed cum rei iudicæ non pareret homo contumax, adierunt Episcopi Aurelianum Imperatorem; qui, tamen ipse ethnicus, eum ab Ecclesia amouit, ratus non debere eum præesse Ecclesiæ Christianæ, qui cum Christianis non sentiret. Hæc Theodoretus. De Papinianistis nihil vquam memini me legere. Photiniani à Photino originem ducentes, eadem propè docent cum Paulianis. Erat autem Photinus homo in dicendo acer & promptus, nec minus confidens: quare multos in fraudem illiciebat, propterea quod per multitudinem verborum inuidus videretur. Cui rei ut occurreret Basilus, cum eo congressurus coram arbitris à Constantino Imperatore datis, constituit, qui verba omnia quæ vltro citroque fierent, celeriter exciperent, in quibus vnus exceptor erat Rufini præsidis prouinciarum, duo memoriales Basilij, & duo notarij. Porphyriani sunt, qui Porphyrium sequuntur; qui verbum ab homine in Christo separabat. Eum tradit Epiphanius offensum lectione Euangelistarum, in errorem incidisse, cum, quæ diuinitus scripta sunt, humano sensu metiti conaretur. Sebastiani, siue potius Sabbatiani sunt, qui nomen duxerunt à Sabba, quem Enthusiatarum hæresis præfuisse tradit Theodoretus, libro quarto hæreticarum fabularum. De Seuerianis diximus, cum de Dioscorianis tractarem. Sabelliani à Sabellio Afro sunt, qui Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, nomina tantum esse docebat, rem autem vnã esse & eandem. Saccophori qui fuerint, nusquam quod sciam exstat, nomen

non tamen indicat fuisse, qui saccos induti incederent. De Sacrophotis quoque nihil venit in mentem quod aliquando legerim. Festa tricescadecaditis nomen impositum est. Luna quarta decima, qua Iudaei neu Pascha celebrant contra institutum Ecclesie, quos ex Phrygiis & Priscillianis tradit Epiphanius emeruisse. Tascodrogita qui sunt, superius expositum. Valentiniiani sunt, qui & Gnostici vocantur, quorum de cetera diuersa sunt sectae, omnes plenae fabularum deliramentis, de seculis octonariis, coniugationibus, & similibus. orti autem sunt sub Antonino Pio Imperatore dicti Gnostici ab eo quod soli scientiae & cognitioni omnia deserunt. De iis verba Theodoretus sunt huiusmodi: Dicunt autem se quidem seruari ex sola cognitione, nos autem ex fide, & bona actione, se autem operibus non indigere, cum ad salutem sufficiat cognitio. Quocirca qui sunt apud eos perfectissimi, quicquid est diuini legis prohibitum, secure, & absque villo metu perpetrant. Nam & festa Gentilium celebrant, & immolatis vescuntur, & libidini ac voluptati seruiunt, & quicquid malum est, indiscriminim audent admittere. Sed haec quidem de his iam facta, quae ideo paulo fufius sumus persecuti, quod in iis nostri temporis mores tamquam in speculo licet intueri. Qui cum his monstis pugnabant, multi erant sanctissimi, ac fortissimi viri, in quibus princeps erat Athanasius, quem Iuriconsultum fuisse Souerus Sulpitius prodit.

LIBER SEPTIMVS.

G. **H**ABEO de rebus diuinis: agens de humanis nunc pergamus dicere, quandoquidem totum Ius ciuile publicum in hac duo capita partiti sumus. **T.** Ita fiat. **G.** Eas igitur quas vocas? **T.** Quae ad exteriorem partem reipublicae tuendam ac gubernandam pertinent. Nam cum homo à summo rerum omnium opifice Deo ita conditus ac formatus sit, vt partim supera spectet, partim infera, vt tu antè rectè probasti, res diuinae ad supera, humanae ad infera referuntur. **G.** In quibus autem haec res humanae consistunt? **T.** In tribus: Nam vt in homine vnum est quod praest, ratio in capite, alterum quod pareat, cupiditas in hepate, tertium medium inter vtrumque, animositas in corde, vt tu idoneo loco demonstrasti: ita in republica vnum est quod praest, vt Imperator apud Romanos, de quorum Iure agimus, alterum quod pareat, vt populus, tertium quod partim praest, partim pareat, qui sunt varij magistratus: quibus quarto loco accedit Ius, quod tria ista continet, ac coarctat. **G.** De his autem quo pacto tractas? **T.** Duobus modis, generali vno, & speciali altero.

De generali tractatione rerum humanarum.

TITVLVS I.

G. **G**ENERALIS tractatio quam in re consistit? **T.** Vere ab origine reperta, intelligatur quis initio urbis Romae, cui à fundatore Romulo nomen mansit, tam reipublicae quam iuris status fuerit, & per quas mutationes ad eum statum quo de in his libris Iustinianus agitur, sit peractum: nam hoc & ad rem melius intelligendam, & ad prudentiam ciuilem mirifice conducere, tu antè docuisti. **G.** Circa eam igitur rem quid dicis? **T.** Enimvero vt de formis reipublicae prius exponam, dico vniuersae reipublicae Romanae quatuor omnino status reperiri, per quos ad eum quo de hic agimus, fuit peruentum.

De primo statu reipublica Romana.

TITVLVS II.

G. **R**IMI status quænam erat forma? **T.** Equidem, vt secundum tria supradicta capita, eius quod præest, quod patet, & quod medium est inter vtrumque, progrediar: Primum, quantum ad id quod præest attinet, summa rerum apud vnum Regem erat, qui partim populi suffragio creabatur, partim Deorum immortalium iudicio, auspiciis de cælo captis. quorum formula erat, vt augur super eum ita precaretur: Iupiter pater, si est fas hunc, cuius ego caput teneo, Regem Romæ esse, vt tua signa certa & clara sint. **G.** Audio. **T.** Ac insignia quidem regia erant, corona, sceptrum, lictores duodecim, cum securibus & fascibus, & vestis purpurea: soliumque in medio foro habebat, vnde ius diceret, partim legibus curiatis, partim manu regia, septus trecentis iuuenibus armatis, qui Celeres vocabantur, quibus præfectus Celerum præerat. **G.** Id autem quod parebat, in quonam consistebat? **T.** In populo Romano, qui tum quidem ordinibus, tum verò membris distinguebatur: nam his quemadmodum in corpore humano, ita & in republica opus esse, tu supra demonstrasti. **G.** Ordinibus autem quonam modo? **T.** In ordinem patritium, apud quem auspicia & iudicia erant: & plebeium, qui partim terram ruri colebat, & per pagos distinctus erat, partim artes in vrbe, non viles quidem, sed honestiores exercebat, vt scribæ, tribunitarij, lictores, præcones, tubicines, argentarij: quibus duobus ordinibus multo tempore post tertius accedebat, ordo equestris, de quo suo loco attingetur. **G.** Rectè. **T.** Atque ad hos ordines sic distinctos, rursus inter se colligandos (nam vinculis opus esse supra docuisti) constitutum erat, vt patres plebeiorum patroni essent, eosque iniuria prohiberent; contra autem plebeij patrum clientes, iisque honorem & obsequium præstarent. Quæ res sæpe Romæ saluti fuit, quàm diu pudor (quem iustitiæ indiuiduum socium esse supra ostendisti) valuit, & vtroque, tam clientes quàm patronos, in officio continebat. Quo vinculo Gracchanis temporibus rupto, mox dissoluta est respublica. **G.** Quid? membris quo pacto distinctus erat populus? **T.** Per tribus, curias, & centurias. **G.** Per tribus autem quo pacto? **T.** Quo totus populus (quo nomine tam patritij quàm plebeij comprehendebantur) in tres partes erat diuisus, quæ ab illo ipso numero tribus vocabantur, & qui iis præerant, Tribuni, & comitia tributa, si quando secundum hanc diuisionem populum conuocari contingeret. **G.** Per curias verò? **T.** Quo singulæ tribus in denas curias, quæ à curando dicuntur, erant diuisæ: quibus qui præerant, Curionum nomen habebant. Ac quia singulæ curiæ denas porro habebant decurias; qui his præpositi erant, Decuriones dicebantur. Et si quando populum secundum hanc descriptionem conuocari contingeret, curiata comitia appellabantur. **G.** Per centurias autem? **T.** Quo totus populus Romanus non secundum capita, vt per superiores partitiones; sed pro censu diuidebatur: scilicet vt hac ratione & pauperes sumptu leuarentur, & prout quisque plus minusve pecuniæ in vsus reipublicæ conferret, ita plus minusve auctoritatis in suffragiis ferendis haberet. Ac cum secundum hoc institutum populus coibat, centuriata comitia dicebantur. **G.** Quid? hoc institutum in quibus consistebat? **T.** In classibus sex, & centuriis centum nonaginta tribus. **G.** Quomodo in classibus sex? **T.** Nam prima classis eorum erat, qui maximi essent census, hoc est, non minus quàm centum minas in bonis habebant: secunda, qui non minus quàm septuaginta: tertia, qui quinquaginta: quarta, qui viginti: quinta, qui viginti: sexta, qui infra duodecim. Ex quibus, quinque assiduorum classes vocabantur, ab assibus dandis, quos tributis nomine pro ratione census conferebant: sexta, capite censitorum, qui nulla bona, sed solum caput in censum ferebant, & prole gignenda rempublicam iuuabant, vnde & proletarij vocabantur. **G.** Quomodo in centuriis centum nonaginta tribus? **T.** Quoniam prima classis in octoginta centurias diuidebatur, quadraginta seniorum supra quadragesimum quintum annum, qui custodiam vrbis agerent; & quadraginta iuniorum militari ætate, qui belli remgerent: secunda, tertia, & quarta, singulæ in singulas turmas: quinta, in triginta: sexta in vnam. quæ erant centum septuaginta & vna centuriæ. Quibus ex locupletissimis quibusque addebantur octodecim equitum, vnde equestris ordo post exstitit: Item duæ fabrum, & duæ tubicinum, qui signa canerent; sic vt ex istis centum nonaginta tribus centuriis, centum viginti diuitum essent, septuaginta mediocrium, vna pauperum. Vnde fiebat vt colligendis suffragiis, & imponendis tributis secundum has centurias, plus auctoritatis & oneris apud diuites esset, minus apud pauperes: quod contra accidebat in tributis & curiatis

comitiis

comitiis, vbi cùm sola capitum ratio haberetur, fiebat, vt pauperes equè grauarentur atque diuites: & quoniam ferè plus est pauperum in ciuitate quàm diuitum, respublica per suffragia pauperum magis quàm diuitum regeretur: quod vtrumque quibusdam in rebus iniquum videbatur. quæ huius partitionis instituendæ fuit causa. G. Iam, quod inter id quod præerat, & quod parebat, interponebatur, quidnam erat? T. Senatus, ac diuersi magistratus. G. Senatus quidnam erat? T. Ordo centum Patrum, quibus pòst alij conscripti, & pedarij addebantur, & calceorum ornatu à plebe distinguebantur. Et quidem cùm Regis esset, sacra procurare, leges custodire, res maiores iudicare, exercitum ducere, senatum & populum consilij habendi causa conuocare, primo loco sententiam dicere, quod pluribus placuisset decernere, pecuniæ publicæ curam agere; populi autem, magistratus Rege rogante creare, leges sciscere, bellum iubere, idem vetare: Senatus erat, res vrbanas Rege referente curare, lites contractas iudicare, magistratus gerere, eorum quæ populus decreuisset, auctores fieri. Vnde videre licet, quomodo tria ista, id quod præerat, suberat, & medium inter ea interiectum, intertextum erant inter se, & vnum per aliud in officio continebatur. Nam ista, propter imbecillitatem & malitiam humanæ naturæ, opus esse, tu suprâ demonstrasti. G. Quinam autem erant magistratus? T. Alij ciuiles, tam profani, vt præfectus vrbi, qui & princeps erat senatus, & decemviri capitales; quàm sacri, vt decemviri Sibyllinorum librorum interpretandorum: alij militares, vt præfectus Celerum, qui nimiam potentiam Regis in quibusdam cohibebat, & feciales, quibus hoc curæ erat, ne iniustum bellum cuiquam inferretur: alij rerum ad pecuniam publicam pertinentium, vt quæstores. quorum omnium ratio ac descriptio, quomodo à natura ipsa dependeat, tu suprâ docuisti. G. Rectè. T. Quæ est summa reipublicæ Romanæ, qualis erat sub Romulo, conditore Urbis, & aliis Regibus. vnde reliqua, quæ pòst sequuntur, dependent, vt res ipsa demonstrabit.

De secundo statu reipublicæ Romanæ.

TITVLVS III.

NAM secundus status reipublicæ Romanæ quis erat? T. De hoc duo breuiter nobis sunt videnda. G. Quænam illa? T. Quomodo ad eum peruentum sit, & quæ illius fuerit forma. G. Quomodo autem ad illum fuit peruentum? T. Certè cùm tres sint rerum publicarum status, vt tu optimè docuisti, vnus Regis, optimatum, & populi; fatali quodam quasi circulo accidit, vt, quemadmodum vulgo dicitur, vnus corruptio generatio sit alterius. G. Quid ita verò? T. Nam cùm corruptio Regis potestatis sit, vt in tyrannidem mutetur, cùm non populi sed suum commodum quærit; tyrannorum autem hoc ferè sit proprium, vt optimates, quorum vires metuunt, habeant exosos: fit, vt discordia inter eos orta, si quidem optimates superent, respublica ad eos transferatur. G. Audio. T. Et cùm vitium potestatis optimatum sit, paucorum potentia, quibus tamen populus naturaliter est infensus: accidit, vt eo vincente, ad populi imperium res transeat. G. Intellego. T. In quo quidem populi imperio, quoniam ferè fit, vt diuitum & pauperum (quorum maior plerumque est numerus) studia distrahantur; sæpe euenit, vt, tumultuantibus illis inter se, existat aliquis homo popularis, qui multitudinem amplexus, eius fauore Regem se facit, ac Principem. G. Atque hoc modo perficitur circulus ille fatalis, qui aliud semper ex alio gignendo, in se vsque reuertitur, quemadmodum & in republica, qua de agimus, vsu venit. G. Quis sic autem? T. Nam cùm, Numa Pompilio excepto, plerique Reges aut per tyrannidem rempublicam occupassent, aut, contemptis patribus, pro libidine sua imperarent; Tarquinio Superbo regnum obtinente, quod & partim arripiebat, & contra omne ius & fas gerebat, mortem minitans plerisque omnibus ex patribus, cepit iamdudum patres cædium, non dico illius, hoc est, Regis, sed ipsius status Regij, sic vt causa eius euertendi iam nata, nihil aliud deesset, quàm occasio, quam docti à causa distinguunt. Quæ quidem cùm in stupro Lucretiæ se offerret, mox auidissimè ab omnibus arripitur; expulsisq. Regibus, secundus hic status, quo de nunc agimus, constituitur. quod factum est anno ab Vrbe condita ducentesimo quadragesimo quarto. G. Huius autem status quænam erat forma? T. Vt eam non modò secundum primum sui initium, sed generaliter (quemadmodum de superiore statu fecimus) describamus, primum de eo quod imperabat, pòst quod parebat, tum de medio interiecto dicemus. G. Igitur quisnam imperabat? T. Ordo patrum, siue optimatum, apud quem non modò auspicia erant, & iudicia, sed & summi magistratus. G. Quis autem parebat? T. Ordo plebeius, eius domi-

minantibus patribus exiguæ partes erant in republica, nisi quòd per patrum frequentes iniurias tumultibus ortis, quosdam magistratus habere ac gerere paulatim incipiebant.

G. Qui autem inter vtrumque medij erant interiecti? T. Vrij magistratus, maiores, minores, & medij. G. Quos vocas maiores magistratus? T. Apud quos ex ordine patricio summum erat imperium, tam ordinariè in rebus profanis ac diuinis, quàm extra ordinem.

G. Ordinariè in rebus profanis apud quos erat? T. Apud Consules, qui non vnus, ne regiam dignitatem præ se ferret, sed duo creabantur pari potestate, idque cum prouocatione ab ipsis ad populum, & detractis insignibus regis corona, scepro, purpura, & relictis solis fascibus, qui non vtrique, ne duplicatus terror videretur, sed vni dumtaxat concedebantur. Ac vocabantur quidem Consules à consulendo, Prætores à præuendo, & Iudices à iudicando, siue iudicari iubendo.

G. In rebus autem diuinis? T. Apud Regem sacrificulum. Nam cum quædam essent publica sacra, quæ per Reges factitata erant, necubi Regum desiderium esset, visum est, vt ad eam rem obeundam Rex sacrificulus crearetur, qui tamen Pontifici Maximo subiiceretur, ne additus nomini honos aliquid libertati officeret.

G. Extra ordinem autem apud quos erat imperium? T. Apud vnum Dictatorem, cui inde nomen erat, quòd rebus laborantibus, & ad eam necessitatem deductis vt vnus imperio opus esset, Consul nocte silenti dictabat quisnam ille esset, & ad sex menses fasces cum imperio, & sine prouocatione teneret. Nam per necessitatem sæpe fieri vt ad extraordinaria remedia sit veniendum, tu optimè supra docuisti: vnde & senatusconsultum vltimæ necessitatis apud Romanos quoque nomen habebat, cum nimirum Consul mandabatur, ne quid respublica detrimenti pateretur. Addebatur autem Dictatori Magister equitum, qui nimiam eius potentiam refrenaret, quemadmodum prius Præfecti Celerum Regibus addebantur, & apud Lacedæmonios Ephori, summæ apud eos potestati opponerentur: vt, quemadmodum vinum infusa aqua, ita & summa illa potentia hoc modo mitigaretur.

G. Iam minores quos vocas magistratus? T. Plebeios: quos ideo dico minores, non quia exigua eorum erat auctoritas, sed quòd ex plebe deligebantur.

G. Hi autem quinam erant? T. Tribuni plebis, qui tumultibus ob iniurias patrum ortis, ad hoc creati cœperunt, vt plebs auxiliij lationem contra patres haberet.

G. Intellego. T. Atque eos inuolatos etiam & sacrosanctos esse iusserunt his verbis: Tribunum inuitum nemo, vt vnum è vulgo, quicquam facere cogito, nec vulnerato, nec alium verberare iubeto: si quis contrà fecerit, sacer esto, & boia eius Cereri dicata sunt: & qui eum occiderit, purus à cæde esto.

G. Rectè. T. Curatio autem Tribunorum propria erat, auxilium ferre iis qui se obsessos quererentur à senatu aut magistratibus, quorum actiones & decreta irrita fiebant, si vel vnus Tribunus plebis intercederet: vnde fiebat, vt per hunc potestas patrum mirificè paulatim diminueretur, donec tandem apud popolare imperium veniret, de quo post tractabitur.

G. Probè. T. Ac quamquam quidem hi Tribuni plebis initio nomen magistratus non haberent, nec curiam ingrederentur, sed in vestibulo sedentes senatusconsulta recenserent, paulatim tamen factum est, vt intromissi, non in Senatorum modò numero essent, sed & senatum ipsi conuocarent, leges à plebe rogarent, quæ plebiscita dicerentur, & Consulem in carcerem ducerent. Vnde Quintus apud Ciceronem, hac potestate orta, grauitatem optimatum cecidisse, & vim multitudinis conualuisse ait.

G. De medijs magistratibus nunc exspecto vt exponas. T. Hi partim veteres erant, à Regibus constituti, partim noui: qui variis de causis & occasionibus, vt sit, rebus auctis instituebantur.

G. Veteres qui erant? T. Præfectus Vrbi, qui, quemadmodum antè Regè, sic hoc tempore Consulibus ex Vrbe excedentibus, domi relinquebatur. Item Quæstores, qui cum antè duo tantum vrbanus è patribus essent, iis per hæc tempora alij duo partim è plebe, partim è patribus addi cœperunt, qui Consulibus ad ministeria belli præsto essent. Et Decemviri capitales, siue litibus iudicandis, qui hastæ centum virali præerant. Nam cum hoc tempore aucta republica tribus essent triginta quinque, ex singulis terni eligebantur ad lites contractas, defixa hasta iudicandas, vnde & Iudices dicebantur: qui tamen quidem centum quinque essent numero, quo tamen facilius nominarentur, Centumviri appellabantur.

G. Noui autem magistratus qui erant? T. Ex his alij instituti fuere, vt perpetuò durarent in republica, siue continenter, siue cum res ita ferret; alij vt ad tempus, propter res, & necessitates temporales.

G. Perpetui qui erant? T. Proconsules, Censores, Præfecti annonæ, & Ædiles.

G. Proconsul quisnam erat? T. Qui, rebus sic exigentibus, pro Consule ad bellum, aut alias res administrandas mittebatur.

G. Qui Censores? T. Qui populi censendi potestatem habebant, & in quinquennium præerant: quorum munus erat censum agere, publica vectigalia elocare, vias & ædificia publica reficere, possessiones bonorum recipere, morum ac disciplinæ publicæ curam agere, pro cuiusque vir-

Q

tute,

tute & merito in tribus & ordinem siue senatorium, siue equestrem legere, ordine rursum mouere, & si qua sunt alia eiusmodi. Estque dignum notatu, quomodo hic magistratus ex paruis initiis in eam amplitudinem excreceret, ut ipsum etiam Consulatum superare videretur. G. Praefectos annonae quos vocas? T. Qui rei frumentariae in Vrbe praerant, quos, cum fame quodam tempore Vrbs laborare coepisset, visum est instituire. G. Aediles verò? T. Qui aedium sacrarum ac publicarum curam habebant, vnde & nomen accipiebant. Cui accedebat, quod rerum venalium procuratio illis incumberebat, & quod initio adiutores erant Tribunorum, ad senatusconsultorum, plebiscitorum, & aliorum id genus custodiam agendam, eaque de re cognoscendum ac iudicandum, vnde & Iudices initio dicebantur, sed postea Aediles, ut dico, nominati sunt, addita praetexta, sella eburnea, & insignibus regis. G. Temporales magistratus qui erant? T. Decemviri ordinandae reipublicae, & Tribuni militum consulari potestate. G. De Decemviris istis quid dicis? T. Hi reuersis Legatis à Græcia, qui ad leges conquirendas iuerant, ut post doceretur, creabantur ad leges componendas, & rempublicam regendam: vnde natum est ius illud nobile in primis duodecim Tabularum, quod tum quidem ius civile ex prudentium responsis & interpretationibus mox consequbatur, tum verò Legis actiones, quae in formulis quibusdam consistebant, vnde ius Flavianum & Aelianum post nascebantur: ipsi autem Decemviri cum insolentius se gererent, tumultu orto, magistratu se abdicare cogebantur, addita lege, ne quis vnquam magistratus sine prouocatione crearetur. G. De Tribunis autem? T. Quoniam summa contentione certabatur à plebe, ut Consules etiam plebeij esse possent, & patres totis viribus nitebantur ne id fieret; inuenta fuit ratio ad tempus, qua non Consules, sed Tribuni militum fierent consulari potestate, tam ex plebe quam ex patribus; qua re tumultus aliquot annis conqueuit, sed post recruduit, vnde tertius status exstitit reipublicae, ut mox dicetur: fuitque per hæc etiam tempora primitiu excitata quaestio agraria, & constituti Decemviri agri diuidendi, quæ res numquam cessauit urbem Romam exagitare, & aliis atque aliis seditionibus affligere.

De tertio statu reipublica Romana.

TITVLVS IIII.

G. **D**EINCEPS de tertio statu reipublicae Romanae quidnam habes dicere? T. Eum Democraticum, hoc est, totius populi aio fuisse: qui tunc exoriebatur, cum summum consulare imperium plebi communicaretur: qua de re dicendum est, quo pacto huc fuerit peruentum, & quæ forma tum fuerit reipublicae. G. Quomodo autem ad hunc statum fuit peruentum? T. In hac re, & causa spectanda est, & media, & occasio proxima: nam harum rerum diligens obseruatio mirifice conducit ad prudentiam ciuilem. G. Causa autem quæ fuit? T. Equidem praeter naturale odium (loquor autem de natura corrupta) quod est inter nobilitatem & plebem, dum illi pares, hi superiores habere nolunt; tum impotentia imperandi in patribus, maxime post Reges, qui in exilium acti erant, extinctos, praecipue causam dedit plebi quaerendi res nouas, dum per vsuras, & carceres priuatos, æris alieni causa eos opprimunt, nec ad vllam partem reipublicae, aut agri ab hostibus rapri admittunt: vnde tum quidem discessio plebis exsistebat, in montem sacrum trans Anienem; tum verò varij tumultus de re agraria, de iuris inæquali administratione, & aliis id genus exoriebantur. G. Media autem quaenam fuerunt? T. Per quæ, seditionibus ortis, patrum potestas paulatim diminuebatur, & crescebat vis multitudinis: idque creatis primum Tribunis plebis, deinde tributis comitiis inductis, quibus magistratus plebeij inconsulto senatu, & sine auspiciis (quod curiatis comitiis aliter fiebat) vno die à populo creabatur; tum constitutis legibus duodecim tabularum, datis auspiciis Tribunis plebis, quæ prius soli patricij in sua potestate retinuerant; permisso connubio patrum & plebis, quod Romulus interdixerat, ordinatis Tribunis militaribus consulari potestate, tam è plebe quam è patribus; creatis duobus nouis Quaestoribus, qui non minus è plebe quam patribus sumi possent, & si qua sunt his similia, per quæ nunquam res cessabat tamquam per gradus procedere, donec ad summum esset peruentum. G. Proxima autem occasio, qua ad hoc perueniebatur, quaenam erat? T. Post Urbem à Gallis captam ac recuperatam, cum M. Fabius Ambustus, vir patricius, duas filias haberet, quarum alteram patricio, alteram illustri quidem viro, sed plebeio C. Lucinio Stoloni collocarat, eaque conquereretur honores consulares, quos in foceri domo videbat, suam intrare non posse; inuenta fuit ratio, qua Stolo tribunus plebis crearetur: quo facto tres rogationes tulit valde populares: vnam de ære alieno,

vt de-

vt deducto de capite quod vsuris pernumeratum esset, id quod superesset, triennio æquis pensionibus persolueretur. Alteram de modo agrorum, ne quis plus quingenta agri iugera possideret. Tertiam, vt consulum vtique alter ex plebe crearetur. Quibus rogationibus latis, quantumcumque patres reniterentur, & decemviros sacrorum etiam plebeios capi posse concederent, si fortasse ea re plebi animus expleri posset, non antè cessatum est tumultuari, quàm vel ipso Camillo suadente, tandem profertur Lex, vt alter consulum de plebe crearetur qua re occidit optimatum potentia, & exortum ac constitutum est imperium populare, anno ab Vrbe condita trecentesimo octogesimo septimo, centum quadraginta tribus annis post Reges exactos. G. Huius autem forma quænam erat? T. Primum, qui summum imperium tenebat, ipse erat populus Romanus, qui ex patricio, plebeio, & equestri ordine constans, conuocatis comitiis, & magistratus creabat, & leges condebat, & summa iudicia sustinebat, & bellum iubebat aut vetabat, & pecuniæ publicæ curam habebat: adè vt nihil propè esset in republica, quod non per populum in comitiis administraretur. G. Rectè. T. Secundò autem, quod parebat, idem ipse erat populus: nam cum populus & vt vniuersus considerari potest, quemadmodum fit cum publicè in comitiis coit, & vt in singulos diuisus, veluti cum res suas quisque agit: nihil mirum est, vnum eundemque populum & imperare, & parere legibus, ac magistratibus, iudiciisque ab se constitutis. G. Probè. T. Tertio verò, qui medij inter populum imperantem, & parentem erant interiecti, magistratus erant diuersorum generum, vt fit in omni republica: qui tum quidem erant ciuiles, tum militares, tum quæstorij, vt naturaliter euenire, tu supra demonstrasti. G. Ciuiles autem qui erant? T. Alij veteres, alij noui. G. Quos dicis veteres? T. Qui iam à Regum ac patrum temporibus erant constituti, vt dictum est, præfectus Vrbi, præfectus annonæ, dictator, rex, sacrificulus, decemviri Sibyllinorum librorum, decemviri capitales, centumviri, proconsules, ædiles, qui cum primum duo essent plebeij, post duo illis adduntur patricij & consules, quos non multo post constituebatur licere ambos plebeios esse. Cui accedebat, vt & sacerdotia quæ hucusque patrum fuerant, plebi communicarentur, & maximus curio etiam de plebe caperetur. G. Quos nouos? T. Qui per hæc tempora primum creabantur, vt quinqueviri mensarij ad æs alienum dissoluendum, triumviri coloniæ deducendæ, triumviri nocturni, qui nocte excubias agerent, triumviri epularum, qui aliquam partem sacrorum curarent, & prætores. Nam cum plebs vrgeret consulatum sibi communicari, patribus vicissim concedebatur, quoniam Consules finitimis bellis occupati, iuri dicendo præesse non poterant, vt Prætor de patriciis crearetur, qui collega consulis iisdem auspiciis factus, & sex ante se lictores cum securibus habens, ius in vrbe diceret, cui sub bellum Punicum primum alter fuit adiunctus, sic vt vnus urbanus diceretur, qui ius inter ciues redderet; alter peregrinus, qui inter peregrinos. Nec multo post fiunt sex prætores, & dicuntur prouinciæ, aliæ consulares, aliæ prætoriz, fiuntque tam huius rei quàm aliarum omnium plebeij participes. G. Militares magistratus qui erant? T. Qui vniuerso exercitui, qui tum quidem sociorum auxiliariis, tum domesticis legionariis copiis constabat, iussu populi Romani præerat, Imperator vocabatur: ad singulas autem legiones tribuni erant militum, qui quidem milites, partim pedites erant, partim equites: ex quibus peditum, qui vel veterani erant, vel tyrones, quatuor erant ordines: nam alij erant triarij, ex solis veteribus selecti, alij principes, alij hastati, alij verites, siue verarij, qui ferè tyrones erant. Qui autem his præfecti erant, ductores vocabantur ordinum, & centuriones, & vexillarij, quibus ordines ipsi, manipuli que, & signa parebant: erantque ex centurionibus, qui primi pili centuriones vocabantur. Equites in alas diuisi erant, quibus decuriones imperabant. G. Quinam autem quæstorij erant magistratus? T. Qui censum publicum tractabant, vt Censores & publicani, pecuniam conquirebant vt quæstores, de quibus supra est explicatum. G. Rectè. T. Atque his quidem magistratibus ita constitutis, hoc accedebat, quòd ciuitates & plebiscita describebantur, quibus quisque magistratus peti posset. Addito, ne quis eundem magistratum intra decem annos caperet, nève duos magistratus vno anno teneret, & si qua sunt his similia: quæ conseruata, saluti Romanis fuere; rupta autem, perniciem ciuitati attulere, vt paulo post videbimus.

De quarto statu reipublicæ Romanæ.

TITVLVS V.

G. **N**AM quartum statum reipublicæ Romanæ in quonam ponis? **T.** In vnus dominatu, cum fatali circulo confecto, ad vnus Imperatoris potestatem res iterum recideret. qua de re duo nobis planè sunt videnda: quomodo ad hunc statum sit peruentum, & quæ eius fuerit forma.

G. Quomodo autem ad eum fuit peruentum? **T.** Id quidem in tribus spectatur, in causa, progressu, & occasione proxima. **G.** Causam autem fuisse quam dicis? **T.** Inueteratum odium inter nobilitatem & plebem, nimio rerum successu inflammatum: nam cum ex paupertate virtus ferè nascatur, ex virtute opulentia, ex opulentia fastus & luxus, ex fastu & luxu discordia, ex discordia paupertas iterum, & seruitus: Romani postquam libera reipublica deuicta tota Italia, sub annum Urbis quingentesimum, magnam partem orbis ferro deuicissent, & opes plurimarum prouinciarum Romam transportassent; luxu & fastu perdit, in summam rerum omnium corruptionem inciderunt, dum forum & senatum tam Rhetores & Sophistæ, quàm pecuniarum corruptelæ inuadunt: vnde cupiditatibus vtrimque inflammati, in summas dissensiones, & bella ciuilia deducuntur. **G.** Horum progressio quo pacto se habet? **T.** Enimvero initio à Gracchorum Tribunorum plebis cædibus factò, quo tempore primùm sanctum illud clientelæ vinculum, quo de suprâ diximus, rumpebatur: mox Marij, hominis popularis, seditiosæ actiones sequebantur, quibus se opponens Sylla, plebi infensus, incredibiles strages edit, Pompeiumque, antequam per tempus lege præscriptum liceret, summis honoribus, & maximis exercitiis præponit. Quod ægrè ferens Iulius Cæsar, homo popularis, copias contra Pompeium ducit, plebis aduersus patres tuendi specie, cum Pompeius patrum dignitatem se defendere diceret: nec antè res quieuit, quàm Pompeio occiso Dictator in perpetuum crearetur, addito Patris patriæ titulo, & vt sacrosanctus esset & inuiolatus. Quo factò, iam ad vnus potestatem reipublica redacta videri poterat, nisi Cæsar paulo post confossus, & reipublica quadam ratione in libertatem restituta fuisset. Quod fortasse durare potuisset, nisi alia occasio fuisset subsecuta. **G.** Quænam autem occasio? **T.** Quod cum Antonius, homo popularis, Cæsaris mortem vindicare pararet, ad eamque rem plebem inflammaret, Octavius, Cæsaris ex sorore nepos, quem testamento hæredem instituisse, & in nomen suum adoptasse reperiebatur, id videns, ad eum se adiungebat; & constituto triumviratu ipsius Antonij & Lepidi, non antè quiescebat, quàm interfectores Cæsaris occidisset. Quo factò contra collegas suos Octavius se conuertens, non priùs ab armis destitit, quàm Antonio & Pompeij filiis deuictis, solus rerum Romæ potiretur: qua re occidente tertio supradicto statu reipublicæ, exoritur hic quartus, anno ab Vrbe condita septingentesimo vicesimo secundo. **G.** Formam autem illius quam dicis fuisse? **T.** Ea autem per quatuor omnino tempora, siue mutationes est deducenda. **G.** Quænam autem illa? **T.** Octauij Augusti, Adriani Imperatoris, Constantini, & Iustiniani, cuius iura legesque persequimur, & statum reipublicæ, quem suis locis sparsim descriptum reliquit, in vnum quasi conspectum proponere conamur. **G.** De Augusto quid dicis? **T.** Is Cæsari succedens, primus Imperium istud, lege Regia lata, qua populi potestatem in se transferebat, fundauit. Atque Imperatoris, Augusti, Cæsaris, & Patris patriæ nomen sumens, perpetuam dictaturam, Pontificatum Maximum, censuram, & tribunitiam potestatem arripiebat, & vt magistratum gerere posset, legibusque solutus esset. Porro in palatio degens, militibus prætorianis se sepebat, quibus præfectus prætorio præerat, censum senatorium & equestrem augens, præfectum vigilum, & curatorem operum publicorum creabat, prouincias imbelles senatui populoque relinquebat, quibus Proconsules, vel Prætores præficiabantur; alias bellicosiores sibi seruabat, quibus Præsides præponebat; & instituto cursu publico milites multis priuilegiis augebat. quæ omnia quo pacto se habeant, & ad dominatum stabiliendum pertineant, non est difficile intelligere. **G.** Quid de Adriano? **T.** Equidem cum ad illud vsque tempus ea ferè forma, qua dictum est, constitisset Imperium, is sub annum ferè Urbis octingentesimum octogesimum quintum aliam induxit, qualis ferè in libris nostris Iustinianicis, de rebus ciuilibus, militaribus, & Dalmaticis exstat. Ait enim de illo Aurelius Victor, qui sub Theodosio scripsit, his verbis: Officia sanè publica & palatina, nec non militiæ, in eam formam statuit, quæ paucis per Constantinum immutatis hodie perseverant. **G.** De Constantino autem? **T.** Cum ad hoc vsque tempus sine vero Deo Romani vixissent, is anno ferè Urbis millesimo sexagesimo quarto,

quarto, primus Christi religionem suscepit, & in hanc rempublicam intulit, & quod Romanæ semper fuerat imperium, Bisantium transtulit; vnde & Constantinopolis dicta est, & noua Roma. G. De Iustiniano verò? T. Is cum Romanum & Constantinopolitanum Imperium ab exteris nationibus, quibus tum mirificè opprimebatur, vindicasset, tandem ad hoc animum adiecit, vt ex omni antiquitate prædicta certum ac definitum ius colligeret, & in vnum quasi corpus colligaret. estque res animaduersione digna, eo demum tempore ius Romanum plenè perfectèque constitutum fuisse, quo, Imperio Bizantium iam multo antè translato, ipsa vrbs Roma iam occideret, & non multo post sub Iustino secundo, successore Iustiniani, in municipij formam redigeretur, Exarchoque Italix, qui Rauennæ degebat, parere iuberetur.

De iuris in republica Romana origine & processu.

TITVLVS VI.

G. **D**OST hæc de iuris, nisi fallor, origine ac processu reliquum est vt dicas. T. Rectè meministi. Et quidem initio ciuitatis nostræ, inquit Pomponius, cuius verba tibi recitabo, populus sine lege certa, sine iure certo primum agere instituit, omniaque manu à Regibus gubernabantur: postea aucta ad aliquem modum ciuitate, ipsum Romulum traditur populum in triginta partes diuississe, quas partes Curias appellauit, propterea quòd tunc reipublicæ curam per sententiam partium earum expediebat, & ita leges quasdam & ipse curiatas ad populum tulit; tulerunt & sequentes Reges: quæ omnes conscriptæ exstant in libris Sexti Papirij, qui fuit illis temporibus, quibus Superbus, Demarati Corinthij filius, ex principalibus viris. Is liber, vt diximus, appellatur Ius ciuile Papirianum, non quia Papirius de suo quicquam ibi adiecit, sed quòd leges sine ordine latis in vnum composuit. Exactis deinde Regibus, lege tribunitia omnes leges hæc exoleuerunt, iterumque cœpit populus Rom. incerto magis iure, & consuetudine ali, quàm per latam legem, idque propè viginti annis passus est. Postea, ne diutius hoc fieret, placuit publica auctoritate decem constitui viros, per quos peterentur leges à Græcis ciuitatibus, & ciuitas fundaretur legibus, quas in tabulas eboreas per scriptas, pro rostris composuerunt, vt possent leges aperius percipi: datumque est eis ius eo anno in ciuitate summum, vt leges & corrigerent, si opus esset, & interpretarentur, neque prouocatio ab eis, sicut à reliquis magistratibus, fieret. Qui ipsi animaduernerunt aliquid deesse istis primis legibus, ideoque sequenti anno alias duas ad easdem tabulas adiecerunt; & ita ex accidenti appellatæ sunt Leges duodecim tabularum; quarum ferendarum auctorem fuisse Hermodorum quendam Ephesium, exulantem in Italia, quidam retulerunt. His legibus latis, cœpit, vt naturaliter euenire solet, vt interpretatio desideraret prudentium auctoritate necessariam esse disputationem fori. Hæc disputatio, & hoc ius quod sine scripto venit, compositum à prudentibus, propria parte aliqua non appellatur, vt cæteræ partes iuris suis nominibus designantur, datis propriis nominibus cæteris partibus; sed communi nomine appellatur Ius ciuile. Deinde ex his legibus eodem tempore ferè actiones compositæ sunt, quibus inter se homines disceptarent: quas actiones ne populus, prout vellet, institueret, certas solennisque esse voluerunt: & appellatur hæc pars iuris, Legis actiones, id est, legitimæ actiones. Et ita eodem penè tempore, tria hæc iura nata sunt, leges duodecim tabularum; ex his fluere cœpit Ius ciuile; ex iisdem Legis actiones compositæ sunt. Omnium tamen harum, & interpretandi scientia, & actiones apud collegium Pontificum erant; ex quibus constituebatur, quis quoque anno præesset priuatis: & ferè populus annis propè centum hæc consuetudine vsus est. Postea cum Appius Claudius proposuisset, & ad formam redegisset has actiones, Cneus Flavius scriba, eius libertini filius, subreptum librum populo tradidit: & adeò gratum fuit id munus populo, vt Tribunus plebis fieret, & Senator, & Ædilis curulis. hic liber, qui actiones continet, vocatur Ius ciuile Flauianum, sicut ille, Ius ciuile Papirianum: nam nec Cneus Flavius de suo quicquam adiecit libro. Augescente ciuitate, quia deerant quædam genera agendi, non post multum temporis spatium Sextus Ælius alias actiones composuit, & librum populo dedit, qui appellatur Ius Ælianum. Deinde cum esset in ciuitate Lex duodecim tabularum, & Ius ciuile, essent & Legis actiones: euenit vt plebs in discordiam cum patribus perueniret, & secederet, sibi que iura constitueret, quæ iura, plebiscita vocantur. Mox cum reuocata est plebs, quia multæ discordiæ nascebantur de his plebiscitis, pro legibus placuit & ea obseruari lege Hortensia: & ita factum est, vt inter plebiscita & legem, species constituendi interessent, potestas autem eadem

eadem esset. Deinde quia difficilè plebs conuenire cœpit, populus certè multo difficilìus; in tanta turba hominum, necessitas ipsa curam reipublicæ ad senatum deduxit. Ita cœpit senatus se interponere: & quicquid constituisset, obseruabatur, idque ius, appellabatur senatusconsultum. Eodem tempore & magistratus iura reddebant: & vt scirent ciues quod ius de quaque re quisque dicturus esset, seque præmunirent, edicta proponebant, quæ edicta prætorum, ius honorarium constituerunt. Honorarium dicitur, quod ab honore prætoris venerat. Nouissimè sicut ad pauciores iuris constituendi via transisse, ipsis rebus dictantibus, videbatur, per partes euenit, vt necesse esset reipublicæ per vnum consuli: nam senatus non perinde omnes prouincias probè gerere poterat. Igitur constituto Principe, datum est ei ius, vt quod constituisset, ratum esset. Ita in ciuitate nostra, aut iure, id est, lege constituitur; aut est proprium ius ciuile, quod sine scripto in sola prudentum interpretatione consistit, aut sunt legis actiones, quæ formam agendi continent; aut plebiscitum, quod sine auctoritate patrum est constitutum; aut est magistratum edictum, vnde ius honorarium nascitur; aut senatusconsultum, quod solum senatu constituyente inducitur sine lege; aut est principalis constitutio, id est, vt quod ipse Princeps constituit, pro lege seruetur. Hactenus Pomponius. G. Rectè. T. Atque ad huius quidem iuris descriptionem pertinent tituli Digestorum: *De iustitia & iure*. qui generalis est, & supra expositus. *De origine iuris, & omnium magistratum, & successione prudentum*. *De legibus senatusque consultis, & longa consuetudine*. *De constitutionibus Principum*. cum quibus congruunt tituli Codicis: *De constitutionibus Principum, & edicto*. *De mandatis Principum*. *De senatusconsultis*. *Qua sit longa consuetudo*. Quibus quidem titulis speciatim agitur de iure Romano, & eius diuisione in scriptum, & non scriptum; inque id quod vnus Principis est, & quod totius populi: vt post latius tradetur. Ac quantum ad titulum Codicis attinet, *De veteri iure euoluendo, & de auctoritate Iurisprudentium, qui in Digestis referuntur*; sub eo particulatim agitur de iure ciuili per Iustinianum in ordinem digesto. Vbi obseruare licet, auctoritate primarij legislatoris sepe fieri, vt scripta secundariorum Iurisconsultorum pro primariis habeantur; & quæ ab aliis condita, à primario legislatore confirmantur, perinde haberi, atque si ab eo condita essent: vt supra traditum est.

De speciali tractatione rerum humanarum.

TITVLVS VII.

G. **A**VDIVI de generali rerum humanarum diuisione: de speciali vifne vt nunc porrò queram? T. Volo sanè, & quidem eam verò quæ libris his nostris Iustinianicis est prodita. G. Rectè. T. Atque vt ordine progrediamur, primùm dicam de Imperatore, qui præest; tum de populo siue Imperio, quod paret; tum de magistratibus, qui sunt medij inter vtrosque interiecti, vt antè dictum est; idque adducta similitudine ab homine ad rempublicam, vbi ratio, quæ in capite est, imperat; cupiditas, quæ in iecore, paret; & fortitudo, quæ in corde, partim paret, partim imperat. G. De Imperatore autem quid tractas? T. Quis sit, quæ eius dignitas, & quod officium.

De Imperatore Romano, & Augusta.

TITVLVS VIII.

G. **I**MPERATOREM quem vocas? T. In quem populus omne ius, & auctoritatem suam lege Regia, vt modò diximus, contulit. Vnde & Dominus terræ, & Lex maris dicitur, penes quem solum tam totius reipublicæ, quàm belli & pacis est arbitrium. G. Rectè. T. Ac quamquam quidem Augusta vxor per se legibus soluta non est, fulget tamen radiis mariti, & iisdem cum eo in multis prærogatiuis illo tribuente fruitur, & tam in illam, quàm in ipsum Imperatorem, iusiurandum, quod ab his qui publica munera suscipiunt, præstat, concipi solet. Cui accedit, quod & consiliis nonnumquam adhibetur, & ex illius sententia nonnulla facta fuisse, apud Iustinianum de Theodora Augusta proditur. G. Probè. T. Porrò cubicularij Augustæ, iisdem quibus cubicularij Principis priuilegijs fruuntur, & donationes ab ea factæ, iisdem quibus ipsius Imperatoris donationes viribus subsistunt. G. Intellego. T. Planè tametsi quod principi legatum est, ipso, antequam dies legati cedat, moriente, successoris eius debeatur, quoniam dignitas ipsa Imperatoria magis quàm persona spectata videtur: si tamen Augustæ quid legatum est, eaque

eaque, antequam dies legati cedat, inter homines esse desierit, deficit quod ei legatum est: quoniam cum Augusta non propriis, sed mariti radiis splendeat, non dignitas, sed persona eius in legando spectari censetur.

De dignitate Imperatoris.


TITVLVS IX.

G. AM dignitatem Imperatoris in quo ponis? **T.** In titulis imperialibus, insignibus, honoribus, & prerogatiuis. **G.** Tituli quinam sunt? **T.** Vt Imperator, Rex, Dominus, Princeps appelleretur à summa auctoritate, Caesar à Iulio, Augustus ab Octauius, Pius ab Antonino, Flavius à Constantino, Felix, victor, triumphator, Allemanicus, Gothicus, Francicus, à rebus gestis, & populis subactis: sed & maiestatis, vt ostendit titulus Digestorum & Codicis *Ad legem Iuliam maiestatis*; clementiæ, diuinitatis, numinis, æternitatis, & alia his similia nomina ei tribuuntur. siue vitio adulatorum id primùm accidit, siue arrogantia ipsorum Principum, siue tacito Dei iudicio, vt tam ipse Princeps officij ac muneris sui, quàm alij dignitatis eius memores reddantur: nam viuum Dei imaginem, & vicarium ipsius esse Principem, superiori sermone ostensum est. **G.** Quæ autem insignia? **T.** Quæ & ornamenta vocantur, vt diadema, sacra purpura, cui & sacri muricis nomen est; vestes holosericæ, ad quas pertinet titulus Codicis, *De vestibus holobericis*; tituli, siue inscriptiones, & vexilla regia, in quibus maximum labarum, quod vt apud Tertullianum & Ambrosium est, & sub titulo Codicis, *De prepositis labarorum*, per nonnullos traditur, ante Imperatorem gestatur, & id genus alia, quæ in frenis, sellis, vehiculis, auro & gemmis distinctis, consistunt, nec ab aliis quàm ab vno Imperatore gestari aut ferri possunt, vt docent tituli Codicis: *Nulli licere in frenis, & equestribus sellis, & in baltheis, margaritas, & smaragdos, & hyacinthos aptare. & de artificibus palatinis: Vt nemo priuatus titulos prædiorum suis vel alienis imponat, vel vela regia suspendat.* Verba legis sub priore titulo sunt: Sanè si quis posthac contra veritum huiusmodi sanctionis effecerit, & efferendo clementiæ meæ ornamenta, quæ vsibus Regiis deputata sunt, auro gemmisque decorata, ausus fuerit præparare; centum librarum auri condemnatione sciat se esse feriendum, capitali quoque subdendum esse supplicio: ornamenta enim regia intra aulam meam fieri à palatinis artificibus debent, non passim in priuatis domibus vel officinis parari. **G.** Qui honores? **T.** Enimvero qui Principi exhibentur honores, quatenus quidem legibus describuntur, hi ferè sunt. Primùm de nomine eius cautum est, vt omnibus actis publicis, tam iudicialibus quàm aliis, tabellionumque instrumentis præponatur ante Consules, & ciuitatum prouincialium conditores. hæc ferè formula Imperij Iustiniani sacratissimi Augusti & Principis, anno illo, vt latius videre licet constitutione Nouella, *Vt Imperatoris nomen in instrumentis & actis publicis præponatur, & vt tempora quæ Latinis designantur literis, manifestis scribantur.* Porro legitimum censetur quoque iusiurandum quod in nomine Imperatoris concipitur. De quo tamen si dicatur periculum corporis, vel maiestatis crimen non inferri, si per Principis venerationem quodam colore fuerit peieratum; tradit tamen Vlpianus, rescriptum aliquando fuisse, si quis in re pecuniaria per genium Principis iurauerit, & peierauerit, fustibus castigari debere, & ita ei superindici: Ne temere iurato. Haud eadem res est, si quis Imperatori maledixerit; quem neque pœnæ subiici, neque durum aliquid aut asperum pati, Theodosius, Arcadius, & Honorius voluerunt. Quoniam si id ex leuitate processit, inquit sub titulo Codicis, *Si quis Imperatori maledixerit*, contemnendum est; si ex insania, miseratione dignissimum; si ab iniuria, remittendum, & ex persona statuendum vtrum prætermitti, an exquiri debeat. **Q**uin & festi dies Principibus aguntur, ad natalem eorum, vel res feliciter gestas celebrandas; quos quidem non aliis quàm ipsis Imperatoribus indicere licet. His accedunt imagines & statuae, quæ ipsis argenteæ, vel æneæ, aut marmoreæ poni solent, idque præsertim Præsides prouinciæ, qui, cum eriguntur, adesse debet. Cæterum quemadmodum sine onere collatorum id fieri voluerunt Theodosius & Valentinianus: ita adorationis quoque fastidium facessere iusserunt. Qua ratione etiam illud comparatum est, vt crimen maiestatis non contrahat, qui statuas vetustate corruptas reficit, vel qui lapide iactato incerto fortuito, vt inquit Marcellus, statuam attigerit, aut nondum consecratas imagines vendiderit. Secus est, si quis iam consecratas conflauerit, aut eum qui iusto metu ad sacram statuam confugerit, siue seruum, siue liberum hominem, inde per vim abstraxerit; quod minimè impune esse Principes voluerunt, nisi quis eò fortasse confugerit, vt dominum suum, aut aduersarium

odio grauet, falsisque criminationibus in inuidiam adducat. Pertinentque huc tituli Codicis: *De statuis & imaginibus*, &, *De his qui ad statuas confugiunt*. Denique qui præterea Imperatori fit honor, est, quod magistratus, & quæ honores gerunt, certis anni temporibus ad Imperatorem salutandum, eiusque sacram purpuram adorandam, magna cerimonia accedunt, quodque inter publicas læticias humeratur, si quando se populo spectandum contuendumque præbeat. G. Quæ prerogatiua? T. Ut coram illo, haud secus atque coram toto populo fieri solet, quem solus repræsentat, arrogationes celebrentur, testamenta condantur, insinuationes donationum fiant: ut à sententia eius non prouocetur, sed ipse appelletur, ac consulatur, ut habet Nouella *De consultationibus*. ut quod dederis, vice castrensis peculij sit: ut donationes ab eo factæ insinuatione non indigeant: ut tam in magistratibus quam aliis obeundis, legibus solutus sit; non quidem ut contra rationem, ac primas Dei ac naturæ leges uiuat, sed ut secundum eas non imperij humani auctoritate, sed libera voluntate, tamquam Dei administer se gerat, & inferiores leges, si quando sic usus postulat, corrigat, & in melius producat. Vnde digna vox est, inquit Theodosius & Valentinianus Imperatores, maiestate regnantis, legibus alligatum se profiteri; aded de auctoritate iuris nostræ pendet auctoritas. Et verò maius imperio est, summittere legibus principatum: & oraculo præsentis edicti, quod nobis licere non patimur, indicamus.]

De officio Imperatoris.

TITVLVS X.


G.  FFCIUM Imperatoris in quonam consistit? T. In vera ac Catholica Christi religione, & eius iustitia in rempublicam inducenda, quod caput est omnium, libertate armis defendenda, quod secundum, & commerciorum ad vitam necessariorum constituendo, quod tertium: ut supra latius per te probatum est. Pertinetque huc quod Iustinianus ait: Imperatoriam maiestatem non solum armis decoratam, sed & legibus oportet esse armatam; ut utrumque tempus, bellorum & pacis, rectè possit gubernari, & Princeps Romanus non solum in hostilibus præliis victor existat, sed etiam per legitimos trames calumniantium iniquitates expellat, & fiat tam iuris religiosissimus, quam deuictis hostibus triumphator magnificus.] G. Optimè. T. Atque ad hæc quidem tria rectè administranda, tribus aliis tamquam instrumentis est opus, quæ sunt, iudicia, magistratus, & leges. G. De iudiciis quid ais? T. Hæc partim in cognitione Principis consistunt, partim in precibus tractandis. G. De cognitione Principis quid ais? T. Cognitio Principis est, cum vel ex appellatione, vel pupillorum, vel viduarum, aduenarumque, & aliarum miserabilium personarum, quarum ipse refugium est, ut in legibus Mosais sæpe videre licet, causas tractat. de qua re est titulus Codicis: *Quando Imperator inter pupillos, vel viduas, vel alias miserabiles personas cognoscit, & ne exhibeantur*. Ac cognoscit quidem Imperator vel de plano, summamque, sine figura & strepitu iudicij, vel cognitaliter, cuius forma apud Marcellum Iurisconsultum exstat his verbis: Sententia Imperatoris Antonini Augusti, Pudente & Pollione Consulibus: Cum Valerius Nepos mutata voluntate inciderit testamentum suum & hæredum nomina induxerit, hæreditas eius secundum diui patris mei constitutionem, ad eos qui scripti fuerint, pertinere non videtur. & aduocatus fisci dixit: Rogo Domine Imperator, audias me patienter, de legatis quid statues? Antoninus Cæsar dixit: Videtur tibi testamentum valere voluisse, qui nomina hæredum induxerit? Cornelius Priscianus aduocatus Leonius dixit: Nomina hæredum tantum induxit. Calphurnius Longinus aduocatus dixit: Non potest vllum testamentum valere, quod hæredem non habet. Priscianus dixit: Manumisit quosdam, & legata dedit. Antoninus Cæsar, remotis omnibus, cum deliberasset, & admitti rursus eosdem iussisset, dixit: Causa præsens admittere videtur humaniorem interpretationem, ut ea dumtaxat existimemus Nepotem irrita esse voluisse quæ induxit.] G. Rectè. T. Atque hæc quidem cum cognitionis publicæ forma sit, quo pacto, remotis partibus cum amicis suis Iurisconsultis Imperator tractare soleat, describit Vlpianus his verbis: Comperimus à peritioribus dubitatum aliquando, an nepos contra tabulas auiti liberti, bonorum possessionem petere possit: si eum libertum pater patris, cum annorum viginti quinque esset, capitis accusasset, & Proculum sanè non leuem Iuris auctorem in hac opinione fuisse, ut nepoti in huiusmodi causa non putaret dandam bonorum possessionem: cuius sententiam nos quoque secuti sumus, cum rescriberemus ad libellum Cæsidæ Longinæ. Sed & Volusius Mæcianus, amicus noster, & Iuris ciuiliis præter

præter veterem & bene fundatam peritiam, anxie diligens, religione rescripti nostri ductus est, vt coram nobis affirmauerit, non arbitratum se aliter respondere debere. Sed cum & ipso Mæciano, & aliis amicis nostris iurisperitis adhibitis plenius tractaremus, magis visum est nepotem neque verbis, neque sententia legis, aut edicto Prætoris ex persona, vel nota patris sui excludi à bonis auiti liberti. plurium etiam iuris auctorum, sed & Saluij Iuliani, amici nostri, clarissimi viri, hanc sententiam fuisse.] G. Iam de precibus tractandis quid dicis? T. Precum tractatio est, cum libellos supplicantium Princeps recipit, ad eosque annotationes, epistolas, rescripta, mandata, & alia eiusmodi fieri imperat, vt ostendunt tituli Codicis: *De precibus Imperatori offerendis. De diuersis rescriptis, & pragmaticis sanctionibus. De mandatis Principum.* Ac inest quidem in libelli oblatione tanta vis, ob Regiæ dignitatis, tamquam diuini numinis, de quo abs te dictum est, maiestatem, vt si alioqui actio tempore peritura esset, per solam libelli oblationem principi factam perpetuetur. de qua re est rubrica Codicis, *Quando libellus Principi datus, litis contestationem faciat.* Quamquam ne quid contra ius, vel vtilitatem publicam, cui commoda priuatorum cedere debere tu ostendisti, vel pendente lite, vel post sententiam latam, & appellationem interiectam, noui iuris impetrandi causa supplicetur, grauius prohibitum est, ne scilicet, quod cui ius quæsitum est, auferatur. vt ostendunt Rubricæ Codicis: *De precibus Imperatori offerendis, & de quibus rebus supplicare liceat, vel non. Vt lite pendente, vel post promocationem, aut definitiuam sententiam, nulli liceat Imperatori supplicare, si contra ius, vel vtilitatem publicam, vel per mendacium, fuerit aliquid postulatum vel impetratum.* Pertinetque huc Nouella: In medio litis non fieri sacras iussiones, sed secundum antiquas generales lites decidi. G. Iam de magistratibus quid ais? T. Hi sunt, quibus tanquam oculis & auribus, manibusque & pedibus Imperator vtitur: & ideo vel maximè videndum est, vt quàm aptissimos, & ab omni labe alienissimos eligat, & rebus præponat: quod non ad alium, quàm ad ipsum pertinet. G. De legibus autem? T. Enimvero quemadmodum magistratus tamquam viæ leges sunt: ita leges tamquam muti sunt magistratus, in quibus, cum opus est, condendis, abrogandis, mutandis, vel præcipuum munus Principis versatur, vt tu supra docuisti. Ac cum hæc quidem leges generali nomine Placita Principum, & Constitutiones vocentur, specialiter appellantur Edicta, quæ publicè edicuntur, siue proprio motu Principis id fiat, siue ex suggestione alicuius: Orationes, quas in senatu recitare Principes solent: Pragmaticæ sanctiones, quæ de rebus forensibus in consistorio sanciantur: Rescripta siue epistolæ, quæ ad preces priuatorum, & consultationes siue relationes iudicum respondentur, sub notatione literis purpureis facta propria manu Principis: Decreta, quæ causa cognita inter litigatores decernuntur: Interlocutiones, quæ de plano Princeps pendente lite statuit: Annotationes, quæ ad preces supplicantium apponuntur. & si quæ sunt aliæ diuersæ sacræ formæ legum condendarum: in quibus sunt & Exempla, cum factum suum Princeps ad exemplum trahi, aliosque imitari, & pro iure esse vult, quemadmodum in fidei commissis, & aliis videre licet, vbi non modò placita, sed & dicta & facta Principis sæpe pro lege habentur. G. Intelligo. T. Et quidem generalis formula, qua in legibus condendis Princeps vtitur, est, vt primùm à palatinis iudicibus res tractetur, certoque modo primùm concipiatur, tum in senatu, post in consistorio Principis: quo facto, in formam constitutionis redigitur, & manu Imperatoris signatur: post quem sequitur annotatio Quæstoris sacri palatii. His peractis, pluribus exemplis describitur constitutio per memoriales, dictantibus magistris scriniorum, & mittuntur ad Præfectos prætoriorum; à quibus porro ad rectores prouinciarum dantur, quorum munus est, vt in Metropolitanis vrbibus suæ prouinciæ nouam constitutionem edendam curent, tam per programmata, quàm voce præconis; quod subinde non semel tantum, sed & iterato siue repetito faciunt. Quo rite perfecto, plenam vim & auctoritatem suam habet, vt post duos inde menses omnes teneat. Quæ ratio condendarum legum vnde deducatur, non est difficile perspicere, qui quæ abs te antè disputata sunt in memoria habeat. Pertinentque huc tituli Digestorum, Codicis, & Nouellarum constitutionum: *De legibus & constitutionibus & edicto. De mandatis Principum. De interpretatione à Principe facta, & vt usura particulatim soluta, duplum sortis non excedant. Ne sacra formula, qua de causis procedunt aliter robur accipiant, quàm si gloriosissimis prætoriorum Præfectis insinuata sint, vel fuerint, illisq; habeantur rata. Vt noua constitutiones post insinuationes earum post duos menses valeant: parci autem non custodientibus subtilitatem constitutionum super testamento, & relinquendo quadrante, aut non subscribendo nomine hæredis, aut non dictando. Vt constitutio piensissimi Principis, qua in successione nuptialium lucrorum ex pacto, Si liberi non existant, lucra introducit, in facti speciebus, qua post constitutionem incidere, obtineat;*

neant, in illis verò quæ ante illum incidissent, Leonis constitutio locum habeat. G. Probè. T. Et quidem vt intelligatur quo pacto circa edicta, pragmaticas sanctiones, & rescripta versari soleant Imperatores, primùm verba Theodosij Augusti, & Valentiniani Cæsaris ad senatum, ea de re sunt: Vt leges generales ab omnibus æquabiliter in posterum obseruentur, quæ vel missæ ad venerabilem cœtum oratione conduntur, vel inserto edicti vocabulo nuncupantur: siue eas nobis spontaneus motus ingesserit, siue precatio, siue relatio, vellis mora legis occasionem postulauerit: nam satis est, edicti eas nuncupatione censi, vel per omnes populos iudicum programmate diuulgari, vel expressius continere, quòd Principes censuerint, ea quæ in certis negotiis statuta sunt, similibus quoque causarum fata componere. Sed & si generalis lex vocata est, vel ad omnes iussa est pertinere, vim obtineat edicti: interlocutionibus, quas in vno negotio iudicantes protulimus, vel postea proferemus, non in commune præiudicantibus, nec iis quæ specialiter quibusdam concessa sunt ciuitatibus, vel prouinciis, vel corporibus ad generalitatis obseruantiam pertinentibus.] Hæc illi.


De Imperio siue orbe Romano.

TITVLVS XI.

G.  C E P I de eo quod imperat: iam de eo quod paret volo cognoscere. T. Id equidem non aliud est, quàm Imperium Romanum (vt sic nunc hoc vtar vocabulo) siue (vt Imperatores ipsi loquuntur) orbis Romanus, qui Imperatori paret. G. De eo quid habes dicere? T. Equidem vt à summis ad infima paulatim progrediar, primùm de sede Imperij Romani dicam; tum de Italia, quæ proximè ei subiecta est; post de regionibus & prouinciis; deinde de ciuitatibus & vicis; & ad extremum de populis externis: nam his omnino partibus, siue gradibus, totus orbis Romanus continetur.

De vrbe Roma, & eius ordinibus.

TITVLVS XII.

G.  R G O de Roma quid ais? T. Eam esse dico, quæ per excellentiam Vrbs solo nomine, & verè respublica dicitur, cum aliæ ciuitates priuatarum loco habeantur. Item caput Imperij orbisque terrarum, & omnium vrbiū, & communis patria; & mater legum, cuius consuetudinem & ecclesiam omnes sequuntur. Et quidem Vrbs appellatio, muris; Romæ, continentibus ædificiis finitur. G. Rectè. T. Sed est autem Roma duplex: vna vetus, & altera noua. vnde & Imperium Orientale, & Occidentale appellatur. G. Quam dicis veterem Romam? T. Quam Romulus fundauit, cuius tamquam matris multa passim inueniuntur iura præcipua præ populis Latinis, vt in excusationibus tutorum, & curatorum, vsucapionibus, magistratibus, & similibus videre licet: nam ob fauorem multa iura singularia constitui, suo loco demonstrasti. Habetque suum canonem frumentarium, vt ostendit titulus Codicis, *De canone frumentario vrbs Roma: & annonas ciuiles*, vt videre licet titulo Codicis, *De annonis ciuilibus*. & alia eiusmodi. G. Quam nouam? T. Constantinopolim, quæ præterquam quòd Vrbs regia, & amplissima, & gloriosissima, & caput orbis terrarum appellatur, tum & Xecolophon suum habet, vbi programmata & edicta proponuntur: & ad ornatum eius prohibitum est, ne qua opera noua fiant, quæ prospectum in mare hortosque Vrbi proximos impediunt. vt sub Nouellis, *De noui operis nunciatione maritimi adspectus, de prospectu in mare, & de hortulanis* proditur. Porro quia veteris Romæ prærogatiua vitur, habet, quemadmodum illa, sua priuilegia, & canonem frumentarium. de quibus sunt tituli Codicis: *De priuilegiis vrbs Constantinopolitana, & De frumento vrbs Constantinopolitana*: nec non professores & ordines, qui quo pacto in veteri Roma distinguantur, dicendum est. G. Quot autem habet ordines vetus vrbs Roma? T. Tres. G. Cedo quos? T. Primus est amplissimus ille ordo patrum, & clarissimorum honoratorumque hominum (nam sic vocantur) qui senatorius dicitur, vt sub titulo Pandectarum, *De legibus & senatusconsultis*, & Codicis, *De senatusconsultis*. & cum coit, consilium habere dicitur, quod manumittendi causa nonnumquam fieri solet: pertinetque ad hunc ordinem propriè honor trabearum. G. Quis est alter? T. Equestris, qui inter senatorium & plebeium medius, secundum gradum post clarissimatus dignitatem, vt sub titulo Codicis, *De equestri dignitate*, traditur, obtinet; & est eius quasi seminarium,

parti-

pertinetq. huc ius aureorum annulorum, quod secundum titulum Digestorum, *De iure aureorum annulorum*, in libertinis speciem habet ingenuitatis. G. Quis reliquus? T. Plebeius infimus: in quo tamen hæc est distinctio, ut alij curiales dicantur, qui minoribus negotiis & iudiciis procurandis, minorem curiam Romanam constituunt; ut habet titulus Codicis, *De curialibus urbis Roma*: alij corporati, ut pistores, suarii, susceptores vini, & similes, qui victum populo præbent; de quibus sunt tituli Codicis: *De privilegiis corporatorum urbis Roma*, *De pistoriis*, *De suariis*, & *susceptoribus vini*, & *ceteris corporatis*: alij collegiati, qui inter dictos quodam modo sunt medij, ut professores artium liberalium, argentarii, nummularij, chartoprati qui chartam vendunt, chalcoprati qui ferrum & æs ad arma, & nautæ Tyberim, ad quos pertinent tituli Codicis: *De collegiatis*, & *chartopratis*, & *nummulariis*. *De studiis liberalibus urbis Roma*, & *Constantinopolitane*. *De nautis Tyberipis*. G. Probe. T. Arque omnes quidem hi ordines (quorum distinctio quam sic necessaria, idoneo loco demonstrasti) simul sumpti, populum Romanum constituunt, quo nomine universi ciues significantur; connumeratis etiam patriciis & senatoribus; cum plebis appellatione sine patriciis & senatoribus, ceteri ciues significantur. Et quidem vni hi omnes, Romani à Romulo, ita Quirites à Quirino appellari solent, unde potest ius manere Quiritium; quod Iustinianus per titulum Codicis, *De nudo iure Quiritium tollenda*, sustulit.

De Italia, & Latinis coloniis.

TITVLVS XIII.

G. AM de Italia quid narras? T. Post utramque urbem Romam, & ciues Romanos, fauore proxima est Italia, cuius pars etiam insulæ eius censentur, & homines Italici ac Latini, qui in multis iuris partibus, cuiusmodi sunt immunitates, excusationes, libertates, vsucapiones, prouincialibus olim præferri solebant: ex quibus Iustinianus post quædam mutauit, ut per titulos Codicis, *De Latina libertate tollenda*, & *De vsucapione transformanda*, apparet. G. Audio. T. Nec sunt ab his alieni coloni Latini, quibus ius Italicum plenum conceditur. Quod ideo dico, quia quibusdam nihil præter nudum nomen tribuebatur, veluti coloniz Ptolomeensium, quæ inter Phœnicem & Palæstinam sita est. Aliis præter nomen coloniz, etiam ius Italicum dabatur, quod Heliopolitanis contigit, sed saluis tributis, quemadmodum de Antiochensibus Paulus refert. Quibusdam hoc addebatur, ut vnâ cum nomine coloniz, & iure Italico, etiam à capitis tributo immunes essent, quod Cæsariensibus Vespasianus tribuit. Nonnullis denique, ut non modò capita, verum etiam solum immune haberent: quod quidem cum sit, simpliciter & absolute ius Italicum eis tribuitur, quod plenam perfectamque immunitatem inducit. G. Intellego. T. Ac dicuntur quidem hi coloni Latini, ad differentiam aliorum colonorum, quorum meminerunt tituli Codicis: *De colonis Illyricanis*. *De colonis Palæstinis*. *De colonis Thracensibus*.

De regionibus, & prouinciis.

TITVLVS XIII.

G. DE regionibus & prouinciis nunc dicito. T. Enimvero post Romam & Italiam, reliquum Imperium Romanum in certas dioceses, siue tractus orbis terrarum distinguitur. Qui tractus rursum in certas deducuntur regiones, & regiones in limites & prouincias. G. Rectè. T. Ac sunt quidem limites, vbi contra hostes, & barbaros perpetua castra, vel milites limitanei habentur, veluti contra Vandalos, Mauros, Francos; prouinciz quæ à Romanis deuictæ, & potestati eorum subiectæ, in certam reipublicæ formam redactæ sunt, & suos habent magistratus prouinciales, ut post dicitur, nec non iura, & leges, siue suas proprias, siue Romanas; ut demonstrat constitutio Nouella, *De Armeniis*, ut & ipsi per omnia Romanas sequantur leges.

De

De ciuitatibus & vicis.

TITVLVS XV.

NUNC de ciuitatibus & vicis vt dicas exspecto. T. Enimvero in quaque prouincia ita fere contingit, vt in suas ciuitates, & earum territoria, vicosque distinguatur. G. De ciuitatibus quid ais? T. Enimvero cum earum diuersa sint nomina; nam & vrbes ab vruate, quod est, curuatura aratri locum describere, & municipia à muneribus subeundis; & oppida ab opo & auxilio; & castella à castris, & burgi, à locis editis, lingua nostra Germanica; & clausuræ à muris & portis, apud iuris nostri auctores vocantur. diuisio earum est, vt vel maxime sint, veluti metropoles gentium, vt Ephesus, Berytus, Tyrus; quæ quasi matres sunt aliarum ciuitatum, quod pertinet titulus Codicis, *De Metropoli Beryto*, nec non quæ de Alexandria nominatim tractant sub rubricis Codicis, *De frumento Alexandrino*, & *De Alexandria primatibus*: vel maiores, quæ forum habent cansarum: vel minores, quæ forum rerum venalium dumtaxat, & formam quandam seipublicæ; ad quam spectant tituli Codicis, *De iure reipublicæ*, *De administratione rerum publicarum*, *De vendendis rebus ciuitatis*, *De debitoribus ciuitatum*, *De solutionibus & liberationibus debitorum ciuitatis*, & rubrica Pandectarum, *De administratione rerum ad ciuitatem pertinentium*. G. De territorio autem? T. Territorium est vniuersitas quæ intra fines est cuiusque ciuitatis; inde nomen habens, quoddam magistratus eius loci, intra eos fines terrendi, id est, submonendi ius habent. Et qui in territorio ciuitatis degit, non minus incola ciuitatis dicitur, quàm qui ciuitatem ipsam inhabitat. G. De vicis denique? T. Hi sunt pagi: in quibus qui degunt, vicanei appellantur, habentque quosdam suos præfectos, & formam corporis. Et quod inter ciuitates sunt metropoles, hoc inter vicos sunt metrocomiz; quibus, quod quasi matres sint aliorum vicorum, quorum caput sunt, nomen est tributum. Pertinetque huc titulus Codicis, *Vt nullus vicaneus pro alienis vicaneorum debitis teneatur*.

De populis externis.

TITVLVS XVI.

RESTAT de externis populis vt exponas. T. Hi sunt, qui Imperio Romano non sunt subiecti. qui quidem vel amici sunt, vel hostes. G. Amicos quos vocas? T. Cum quibus populo Romano hospitium, amicitia, vel fœdus est, siue æquo iure id sit, siue cum adiectione vt populum Romanum comiter iuuent; qui tamen re non desinunt esse liberi: quod fecus est in populis tributariis, qui tametsi subiecti omnino non sunt, liberi tamen non habentur. quibus de rebus verba Proculi Iurisconsulti sunt hæc: Non dubito quin fœderati & liberi nobis externi non sint, neque inter nos & eos postliminium sit. Liber autem populus est is, qui nullius alterius populi potestati subiectus est, siue qui fœderatus est: item siue qui æquo fœdere in amicitiam venit, siue fœdere comprehensum est vt is populus alterius populi maiestatem comiter conseruaret. Hoc enim adiicitur, vt intelligatur, alterum populum superiorem esse, non vt intelligatur alterum esse liberum: & quemadmodum clientes nostros intelligimus liberos esse, etiamsi neque auctoritate, neque dignitate, neque viribus nobis pares sunt; sic etiam eos qui maiestatem nostram comiter conseruare debent, liberos esse intelligendum est.] Hæc Proculus. G. Quos autem dicis hostes? T. Hostes sunt, inquit Vlpianus, quibus bellum publicè populus Romanus decreuit, vel ipsi populo Romano: cæteri latrunculi, vel prædones appellantur: & ideo qui à latronibus captus est, seruus latronum non est, nec postliminium ei necessarium est; ab hostibus captus (vt puta Germanis seu Parthis) & seruus est hostium, & postliminio statum recuperat pristinum. Quos nos hostes appellamus, eos veteres Romani perduelles appellabant. In his non sunt quidem, sed tamen proximè ad eos accedunt, quos leges nostræ barbaros vocant, ad quos neque arma deferre licet, neque aurum, sed contra iubetur, vt si quid apud eos reperiat auri, subtili ingenio auferatur. In Perfidem quoque non vterius proficisci licet mercatus causa, quàm ad ea vsque loca, quæ inter Imperatorem Romanum, & Regem Persarum ad eam rem sunt designata; nisi legationis tempore, ad legatos deducendos aliqui fortè publicè mittantur, qui sine reprehensione limites illos vrgredi possunt.

De magistratibus, & eorum diuisione.

TITVLVS XVII.

G. **M**AGISTRATVS. de eo quod imperat, & item de eo quod paret: age nunc, si placet, de eo dicamus, quod medium inter vtrumque interiectum est. **Et** verò nihil est profectò aliud (vt iam antè dictum est) quàm magistratus omnis generis, quorum descriptione vtique vel maximè quis cuiusque ciuitatis status sit, & quod ius eius publicum, cognoscitur. Atque vt ordine progrediamur, primùm generaliter de diuersis magistratum appellationibus, insignibus, gradibus, & speciebus differemus, tum autem singulas species ordine persequemur. G. Quæ sunt diuersæ appellationes magistratum? T. Magistratus speciali nomine, quod vocabulum à magistrando, secundum Festum Pompeium, hoc est, regendo ac moderando deducitur. Imperium, quod à mandando, & imperando: Potestas, quod ab auctoritate, & potentia, & in mero & mixto Imperio ferè consistit, & ad provincias regendas maximè pertinet. Dignitas, quod ad decus & honorem qui magistratibus exhibetur pertinet. Curatio, quod ad sollicitudinem ac curam adolescentium, aquæductuum, ac similibus. Officium, quod ad seruitiùm maioribus magistratibus exhibendum. Magisterium, quod à magistratu deducitur. Honor, quod cum dignitatis gradu, siue cum sumptu, siue sine erogatione contingit. Munus, quod cum sumptu, sine titulo subimus. Onus, quod corporis labore, & sumptu ferè constat. Ministerium, quod populo fit. Seruitium, quod maiori. Administratio, quod vtrique. Atque hæc quidem cum singulorum que reipublicæ regendæ ac gubernandæ præsumunt, ferè sint nomina; eorum corpora, & collegia, tum quidem ordo vocantur, vt senatorius decurionum; tum autem schola, vt agentium in rebus; tum verò militia, vt scriniorum. Et quidem cum militia vel armata sit, quæ ad militares expeditiones pertinet, vel literata, quæ ad ministeria palatina; hæc palatina, vel ad heredem transit, & vendi oppignorarique potest; vel non transit, & non potest vendi, aut oppignorari, nisi fortè eius generis sit militia, vt ob causam mortis eius qui militiam tenebat, hæredibus ipsius à corpore ipso, siue schola in qua militabat, certa pecuniæ summa, cui scholæ placito nomen est, dari debeat: nam hunc casum militiæ, siue scholæ placitum, vtique pignori opponere licet. G. Insignia magistratum quæ sunt? T. Sellæ, & vehiculum, frena, equi, vestes, baltheus, cingulum, infulæ: quibus accedunt honores acclamationum, adorationum, annonarum, & similibus. Nam quemadmodum Imperator Dei, ita magistratus Imperatoris, sua quique in parte imaginem gerunt: pertinetque ad iusticiam distributiua, de qua abste dictum est, vt harum rerum diligens ratio habeatur. quæ de re sunt tituli Codicis, *De dignitatibus. De honoratorum vehiculis. Nulli licere in frenis, & equestribus sellis, & in baltheis margaritas, smaragdos, & hyacinthos aptare, & de artificibus palatinis. De annoniis, & capit. administrantium, vel assessorum, aliorumve publicis sollicitudines gerentium, & eorum qui aliquas consecuti sunt dignitates.* G. Quinam gradus? T. Primùm, quod magistratum alij ordinarij, & administratores, & in actu constituti dicuntur: alij vacantes, qui præsentibus cingulum & insignia adepti sunt: alij honorarij, qui præsentibus codicillos dumtaxat habent, vel absentes insignia. Deinde, quod cum omnes magistratus vel minores sint, sine imperio & potestate, vel maiores, qui vtrumque habent: hi rursus vel illustres sunt, vel spectabiles, vel clarissimi, vel perfectissimi. quæ distinctio, tum quidem ab ipsis magistratibus maioribus & minoribus proficitur, tum autem à fauore Imperatoris erga personam cuiusque, cui hunc vel illum titulum tribuit. Cum quo & diuersa priuilegia circa iudicia, patriam potestatem, tutelam, & alia eiusmodi sunt conuincta, vt videre licet sub titulis Codicis, *Vbi Senatores vel clarissimi ciuilitèr vel criminaliter conueniantur. Vt illustres in pecuniariis omnimodè per procuratores causas agant: cum verò de iniuria criminaliter agitur, dumtaxat secundum priuilegium ipsis ad hoc concessum. clarissimis autem tam per se quàm per procuratores liceat pecuniarias causas agere. Vt dignitatum ordo seruetur. De prefectis pratorio & magistris militum in dignitatibus exæquandis. De perfectissimatus dignitate. De quaestoribus & magistris officiorum, & comitibus sacrarum largitionum, & rei priuata. Pertinentque huc etiam Nouellæ, *Vt ab illustribus, & qui supra eam dignitatem sunt, omnino super pecuniariis causis, sed & iniuriarum criminaliter per procuratorem dicantur. Clarissimis autem in pecuniariis licere eis, & per procuratorem, & per se litigare: vt ordinaria prefectura, & urbana, & pratoriana dua, & prefectura quæ in cingulo, & qua in actu sunt sola, non etiam honoraria; liberent à curiali fortuna.* G. Species autem quænam? T. Enimvero omnes magistratus sic*

R

diui-

diuiduntur, vt vel generales sint, vel speciales. G. Generales quos vocas? T. Qui circa latus Principis versantes, nulli certæ administrationi addicti, omniū consiliorum eius sunt participes. In quibus principem locum tenent qui patricij dicuntur: quos à veteribus patriciis Romanis multum diuersos, licet nomine cum iis congruant, quia Principis ipsius & reipublicæ quasi patres habentur; mox vbi ad eum honorem peruenerint, patria potestate liberari, leges nostræ voluerunt. Alterum senatores, qui consiliarij Principis, & quasi pars corporis eius habentur. Tertium iurisperiti, quos amicos suos & parentes Principes sæpe vocant, & in magno precio habent. G. Quos speciales? T. Qui circa certam aliquam functionem administrationemq. versantur: qui rursus diuiduntur. G. At quonam tandem modo? T. In palatinos magistratus, & publicos. G. Quos vocas palatinos? T. Qui in palatio Principis versantur. G. Quos publicos? T. Qui in reipublica. Sed dicendum est ordine de singulis: nam quamquam quidem in quibusdam, non tam genere quam loco inter se differant, confusionis tamen vitandæ, & clarioris doctrinæ causâ necessarium est, vt separatè distincteque de iis tractetur.

De palatinis magistratibus.

TITVLVS XVIII.

G. R. E. O palatinos magistratus quonam modo describis? T. Hi generali nomine sunt, vt dixi, qui ad Principis palatium pertinent, eumque sequuntur; vnde & comitatenses, & honorati ab honore comitiarum vocantur, qui honor & professoribus Constantinopolitanis post certum tempus tribuitur. Et sunt gradus comitatensium, prima, secunda, tertia comitiaria. Sed & sunt nonnulli de palatinorum numero, qui à palatio in prouincias ad res gerendas mittuntur, qui & Palatini dicuntur, à palatio vnde mittuntur; & Cæsariani, à Cæsare à quo mittuntur; & Catholiciani, à generali rerum agendarum cura ad quas mittuntur: habentque certa priuilegia, & peculium castrense, vt ostendunt tituli Codicis, *De priuilegijs eorum qui in sacro palatio militant.* &, *De castrensi omnium palatinorum peculio.* G. Quid? quonam pacto autem omnes palatinos magistratus diuidis? T. In domesticos, & publicos, & mixtos. G. Quos vocas domesticos? T. Qui personarum, ac domus Principis, sub magistro officiorum, curam gerunt; vnde & magisteriani appellantur. G. Quos publicos? T. Qui res ac negotia publica in aula Principis procurant: & trium rursus sunt generum. G. Cedo quorum? T. Vel enim ad iura legesque in sacro consistorio administrandas pertinent, vnde consistoriani appellantur: vel ad rem militarem, qui sub magistris militum sunt: vel ad rem pecuniariam, qui sub comitibus rei priuatæ, & sacrarum largitionum. de quibus singulis ordine tractandum est. G. Quos mixtos? T. Qui varias artes in palatio exercent. G. Intellico. T. Dicemus autem de singulis ordine, clarè, & apertè, quatenus rei fert difficultas, & pater tum quidem libris iuris & alijs legendis, tum autem officijs aulicis apud serenissimum Regem nostrum Philippum Diui Caroli quinti Imperatoris filium, vbi de consilio status, & magno sigillo Regio præfectum eum esse, rebusque inferiorum ditionum præsidere scitis, quàm diligentissimè cognoscendis, & cum hac antiquitate conferendis potuit obseruare: relinquendo porrò suum cuique iudicium, si quis fortè aliter aliquibus de rebus sentiat.


De magistro officiorum, & magisterianis.

TITVLVS XIX.

G. H. I. T. V. R. de magisterianis quid dicis? T. Hi sunt qui magistro officiorum parent, cuius summa in aula dignitas est, nomen habens ab eo quod officialibus Principis præest: inueniasque nonnumquam vbi magister sine adiectione vocetur: estque de eo, & iurisdictione illius in omnes magisterianos, & alijs ad eum pertinentibus titulus Codicis, *De officio magistri officiorum*, & post depositum munus, expræfectus dicitur. G. Quid? hi autem magisteriani quomodo diuiduntur? T. In domesticos speciali nomine, scriptionarios, & officiales. de quibus singulis separatè distincteque dicemus.


De domesticis Principis.

TITVLVS XX.

G.  O MESTICOS quosnam vocas? T. Qui in domo Principis ministerium exhibent, & vel circa corpus eius versantur, vel vestes, vel cubiculum, vel domum. G. Quinam autem versantur circa corpus? T. Partim medici, qui & archiatri appellantur, & si primæ comitiæ adepti sunt insignia, quod per multorum annorum sit ministerium, cum vicariis censentur, vt habet titulus Codicis, *De comitibus & archiatri sacri palatij*: Partim domestici, particulari nomine, & protectores, qui circa latus Principis versantes (qua de re præsentales dicuntur) armis ipsum protegent, hi quidem pedites, illi verò equites: de quibus est Rubrica Codicis, *De domesticis & protectoribus*. Horum primicerij (quod perinde est, atque si primos ac principes dixeris) & tribuni, spectabilium ducum honore fruuntur: decem primi autem siue decuriones, aut decani, clarissimatus: ipsi autem inter omnes milites primi censentur, habentque certum ac statutum numerum; de quo qui sunt, statuti appellantur, quemadmodum & in aliis scholis, veluti Castrensiarum, Ministerialium, & aliorum accidit. Nec verò ab his alieni sunt silentarij, qui silenti nocte custodiam Principis agunt, & in spectabilibus numerantur, suaque insignia habent, ac priuilegia, tribunosque, & comites, ac decuriones, aliaque multa, vt ostendit titulus Codicis, *De silentariis, & eorum decurionibus*. nam & à tutela & cura excusantur, nec alibi conueniri possunt, quam apud magistrum officiorum: & peractis stipendiis, vel senatores sunt, vel agentes, vel comites domesticorum, post triginta annorum excubias peractas. Ac possunt hic annumerari præpositi labari, hoc est, qui magnum vexillum Principis, quod Labarum appellatur, ante eum gestant: & statores, qui equum eius tenent, & conscendentem subleuant, ad quos pertinent Rubricæ Codicis, *De præpositis labari*, vt quidam legunt, & *De statoribus*. G. Qui versantur circa vestes? T. Qui in schola sacræ vestis militant. Ac in primo quidem ordine suos habent ducennarios & centenarios, qui pro modo pecuniarum quas tractant, aut numero eorum quibus præsumt, sic dici videntur: & epistolares siue scribas, aliosque officiales, primæ, secundæ, & tertie formæ, qui alij aliis præsumt, ac parent. In secundo ordine habent suos deputatos, vbi rursus ducennarij sunt, centenarij, & epistolares. Planè hi qui in schola sacræ vestis militant, inquirunt Valentius & Theodosius Imperatores, vel matres eorum, vel vxores criminalem vel ciuilem litem contra se mouendam, in nullo alio, nisi in sublimitatis tuæ (qui magister es officiorum) suscipiant examine. G. Quinam circa cubiculum Principis & Augustæ? T. Cubicularij, & cubiculariæ, & eunuchi, qui præpositis & primicerijs sacri cubiculi parent, vt habet titulus Codicis, *De præpositis sacri cubiculi, & de omnibus cubicularijs, & de priuilegijs eorum*. nec malè hic ponas admissionales, qui fores cubiculi seruant, & ingredi volentes admittunt, vnde nomen habent. G. Circa domum verò. T. Comes domorum Augusti & Augustæ, qui domum seruat; & castrensis sacri palatij, qui castrensiarum siue ministerianis famulis præest, qui per totam domum, quæ instar castrorum habetur, versantur; & cura sacri palatij, ad quem facta tecta pertinent: quibus adiungas comites sacri stabuli, qui stabulo equorum sunt præfecti, & cum cura palatij numerantur.

De scholaribus.


TITVLVS XXI.

G.  VDIAMVS iam de scholaribus. T. Hi à scholis, in quibus militant, quas sua certa priuilegia, comitesque & tribunos habere ostendunt Rubricæ Codicis, *De priuilegijs scholarum, & De comitibus, & tribunis scholarum*, nomen habent: quarum duo præcipuè sunt genera. G. Dic primum. T. Id verò rerum est militarium, vt scutariorum, sagittariorum, fabricariorum, & similibus: qui & adiutores suos habent, & subadiuuas, & barbaricarios, qui arma deaurant, picturisque exornant. G. Dic alterum. T. Id agentium in rebus est, qui varia Principis negotia obeunt, à quibus & magister officiorum magisteria dignitate inter agentes præditus dicitur. Habent autem ex ordine matriculæ suos Principes agentium in rebus, ad quos summa earum rerum pertinet, suosque centenarios, ducennarios, biarchas, qui à numero eorum quibus præsumt, nomen habent; item circuitores, qui circumeundo lustrant quid quisque agat; equites, qui horsum versum mittuntur; & deputa-

tos, qui vicariam aliis operam præstant: vt videre licet sub titulo Codicis, *De agentibus in rebus. De præpositis agentium in rebus. De principibus agentium in rebus.* Est hoc omnibus illis commune, vt tum demum munus suum exerceant, postquam per sacram probatoriam epistolam, quæ scrinio memoriæ inscribitur, in hanc militiam recepti sunt, idque non solum in aula & consistorio Principis, verum etiam in prouinciis, ad annonas, & tributa colligenda, & cursum publicum dirigendum, tam velocem, per equos curules publicos, plaustraque & veredos; quàm ambularem, per angarias, & perangarias, de quibus mox dicetur; & tam eum qui in præfenti sit apud Principem, quàm alterum qui in prouincias est dispositus. G. At quo pacto? T. Cum scilicet à magistro officiorum mittuntur vt dispiciant an omnia rectè se habeant, vnde & curiosi dicuntur; & id quod agunt, delatoria curiositas vocatur, propterea quòd obseruare debent, ecquid qui circa cursum publicum versantur, officium faciant, nec ne. G. Quinam illi sunt? T. Hippocomi, qui equos curant & agitant, veredi, qui rhedas; stationarij, qui in stationibus ac mutationibus degunt, tractatores, qui literas tractatorias, hoc est, diplomata Principis, quibus ad cursum opus est, & sine quibus nemo cursu publico vti potest, procurant: qui omnes generali nomine cursores appellantur, de quibus sunt Rubricæ Codicis, *De curiosis & stationariis. De cursu publico, & angariis, & perangariis. De tractatoriis & statinis.*


De scriniariis.

TITVLVS XXI.

G.  VNC de scriniariis quid dicis? T. Nomen hi habent à scriniis, in quibus militant: quæ quidem, quantum ad dispositionem magistri officiorum attinet, quatuor sunt numero, quæ sacra scrinia vocantur. G. Quænam illa sunt? T. Vnum memoriæ, vbi tamquam in Archiuo & Grammatophylacio (nam & sic vocantur) rescripta & constitutiones Principis adseruantur, & excipiuntur cum primùm dictantur, & implentur redigendo in mundum, idque per magistros memoriæ, & memoriales, & palatinos, quorum munus est, his rebus peragendis, signandis, instruendis, & edendis præesse: Alterum epistolarum, vbi epistolæ ad Principem, & ab eo missæ seruantur ac diriguntur: Sequens dispositionum, vbi sub comite dispositionum tractantur ea quæ ad cognitionem Principis pertinent: Et vltimum libellorum, vbi per magistrum libellorum, & libellenses, de precibus Principi oblatis tractatur. G. Quid: in his scriniis, quinam potissimum versantur? T. Qui scriniarij generali nomine vocantur, specialiter autem magistri sacrorum scriniorum, qui principem locum in iis obtinent: proximi sacrorum scriniorum, qui proximè post magistros sequuntur: mellopropini, qui in exspectatione sunt, vt fiant proximi anno sequente: adiutores, qui proximis adiumento sunt, & quasi vicarij: laterculenses, qui circa laterculum maius & minus versantur: (atque est quidem laterculum catalogus siue notitia, vt vocant, dignitatum, & officiorum, maiorum & minorum, aliorumque quæ eò pertinent) pragmaticarij, qui libellis & aliis rebus concipiendis & scribendis operam præstant: à secretis, qui secretiora tractant: primicerij, secundicerij, & terciocerij, qui sunt primi, secundi, & tertij inter notarios, qui notis scribunt: antiquarij, qui antiquarum chartarum custodiam agunt: exceptores, qui dictata celeriter excipiunt: quindecim-primi, qui quindecim scribis & agentibus præfunt: statuti, qui intra statutum numerum scribarum comprehenduntur. Ultra quos sunt alij supernumerarij, chartularij, qui chartas tractant; numerarij, qui vnà cum tabulariis rationes agunt. ad quos omnes pertinent tituli Codicis, *De magistris sacrorum scriniorum. De proximis sacrorum scriniorum, caterisque, qui in sacris scriniis militant. De primicerio, & secundicerio, & notariis. De numerarijs, actuarijs, & chartularijs, & adiutoribus, siue scriniarijs, & exceptoribus sedis excelsæ, caterorumque iudicum, tam militarium quàm ciuilium.*

De officialibus magisterianis.

TITVLVS XXIII.

G.  E officialibus magisterianis reliquum est vt reddas. T. Horum munus est, varia in aula officia obire, tum quidem circa Principem, tum autem circa magistrum officiorum: & habent curam vel generalem, vel specialem. G. Generalem quinam? T. Quos castrensianos & ministerianos supra vocauimus, qui & decanos suos habent, qui maxime præ cæteris famulationibus Principis adhzrent. G. Quos speciales? T. Qui mensores vocantur, inui-

Inuitatores, Cellarij, Pædagogj, Lampadarij, Admissionales, Curfores, Cancellarij, Apparitores. Ac sunt quidem Menfores, qui hospitia Principi præparant; Inuitatores, qui inuitandos vocant; Cellarij, qui cellis cibi & potus præfunt; Pædagogi, qui puerorum & iuuenum, qui inter Castrenfianos & Ministerianos Principi feruiunt, custodiam habent; Lampadarij, qui lampades & luminaria in curia accendunt; Curfores, qui sursum deorsum, quocumque mittuntur, cursitant, Principique pedites adfunt; Cancellarij, qui cancellos feruant vbi ius dicitur, & in ius vocatos citant, nominaque eorum notant, aut circumducunt, vnde & inter Scribas quodammodo censentur; Admissionales, qui ingredi volentes admittunt, vt supra dictum est; Apparitores, qui magistro officiorum apparent, vnde Apparitores magisterie potestatis vocantur. Ad quos plerosque omnes pertinent Rubricæ Codicis: *De Castrenfianis, & Ministerianis. De Statoribus. & De Menforibus. De Decanis.* G. Rectè. T. Estque hoc omnibus commune, quod sua habeant priuilegia, & castrensia peculia, vt habent tituli Codicis: *De priuilegijs eorum qui in sacro palatio militans: & De castrensi omnium palatinorum peculio.* G. Intellico. T. Ac quantum ad Magistrum officiorum attinet, cui parent; is etiam deposito officio in honore habetur, sic vt acclamationem populi mereatur, quod cum Quæstoribus & alijs quibusdam ei est commune. vt demonstrat titulus Codicis, *De Quæstoribus, & Magistris officiorum, & Comitibus sacrum largitionum, & rei priuata.*

De sacro consistorio, & consistorianis.

TITVLVS XXIII.

QUONIAM de magistratibus magisterianis audiuius, proximum est de consistorianis vt exponas. T. Nomen hi habent à sacro Principis consistorio, vbi causas Princeps cognoscit, & de bello ac pace, magistratibusque & legibus, aliisque mundi negocijs tractat: quod & auditorium procerum sacri palatij, & consilium siue consistorium Principis appellatur. in quo quidem videndum est qui præsideant, qui assideant, & qui ministrent.

De iis qui in sacro consistorio præfident.

TITVLVS XXV.

QUI autem sunt qui præfident? T. Præcipue Princeps ipse, cuius hoc munus est proprium: sed quoniam ob grauissimas occupationes, pro mundi vtilitate, ab eo officio sæpe auocatur; fit, vt (nisi de pupilli aut viduæ causa, vel illustri iudicis sententia ex appellatione cognoscendum sit, à qua cognitione numquam abest) alij vices eius gerant: nam sæpe supra abste tactum est, Principem solum omnia obire non posse, nec debere; sed maiora gerendo, minora alijs esse committenda. G. Hi autem quoniam sunt? T. Præfectus prætorio in comitatu, & Quæstor sacri palatij, qui vel simul, vel seorsim, cum nonnullis alijs, prout res fert, de causis cognoscunt: prout latè tractant Nouellæ, *De officijs qua ministrant in sacris appellationibus: & De iudicijs.* Ac quamquam quidem patroni causarum coram iis hodie non iisdem vestibus, calceamentis, & verborum formulis vtantur, quibus coram Principe, non minus tamen valet quod per eos actum est, ac si Princeps ipse fecisset. Nec refert vtrum relatio ad Principem ea de re facta sit, per formam sacre consultationis, nec ne: vt ostendunt suprascriptæ Nouellæ, & alia quæ inscribitur, *Exemplum sacre formæ de appellationibus. & item alia De consultationibus.* G. Intellico. T. Et præter hoc Præfectus prætorio, tam inter milites prætorianos cognoscit; quam ex appellatione de sententijs Rectorum provinciarum, qui non sunt illustres, aut spectabiles, nec appellatur ab eius sententia, sed supplicatur tantum. Habetque suos iudices pedaneos, assessores, & aduocatos, qui amplius sedis prætorianæ aduocati vel patroni dicuntur, vt produnt Rubricæ Digestorum & Codicis: *De officio præfecti prætorio. De aduocatis diuersorum iudicum. De sententijs præfectorum prætorio. De apparitoribus præfectorum prætorio, & priuilegijs eorum.* Ac de origine quidem præfectorum prætorio scribit Arcadius Iuriscultus hoc modo: Breuiter commemorare necesse est, vnde constituendi præfectorum prætorio officium origo manauerit: ad vitem enim magistri equitum præfectos prætorio antiquitus institutos esse, à quibusdam vetitoribus traditum est. Nam cum apud veteres dictatoribus ad tempus summa potestas crederetur, & magistris equitum sibi adlegerent, qui associati principali curæ militiæ gratia, secundam post eos potestatem gererent, regimentis reipublicæ

blicæ ad Imperatorem perpetuò translatis, ad similitudinem magistrorum equitum, præfecti prætorio à Principibus adlecti sunt, data eis pleniore licentia ad disciplinæ publicæ emendationem. His cunabulis præfectorum auctoritas initiata, in tantum meruit augeri, ut appellari à præfectis prætorio non possit. Nam cum antè quæsitum fuisset, an liceret à præfectis prætorio appellari, & iure liceret, & exstarent exempla eorum qui prouocauerint; postea publicè sententia principali lecta, appellandi facultas interdicta est. Credit enim Princeps, eos qui ob singularem industriam (explorata eorum fide & grauitate) ad huius officij magnitudinem adhiberentur, non aliter iudicatos esse, pro sapientia ac luce dignitatis suæ, quàm ipse foret iudicaturus. Subnixi sunt etiam alio priuilegio præfecti prætorio, ne à sententiis eorum minores ætate ab aliis magistratibus, nisi ab ipsis præfectis prætorio, restitui possint.] G. Probè. T. Ac Quæstoris quidem sacri palatij (nam de aliis Quæstoribus post dicetur) munus est, mandatis Principis, antequam edantur, subscribere, ut dictum est, & totius laterculi minoris curam gerere; & officiorum quæ in eo continentur, cuiusmodi sunt præfecturæ castrorum, & similes. habetque ad eas res administrandas suos scriniarios notarios, adiutores, & alios id genus, ut videre est sub titulo Codicis, *De officio Quæstoris*, & sub Nouella, *De Quæstore*, & *de adiutoribus Quæstoris*. Ac quemadmodum quidè qui Præfectus prætorio fuit, Expræfectus prætorio; ita & qui Quæstor fuit, Exquæstor vocatur. Estque titulus Codicis, *De Quæstoribus*, & *magistris officiorum*, & *comitibus sacrarum largitionum*, & *rei priuatae*. ubi dignitate eos exæquari traditur.

De iis qui in sacro consistorio assident.

TITVLVS XXVI.

G. **D**E iis qui in sacro consistorio assident quid ais? T. Alios maiores esse, alios minores. G. Maiores qui sunt? T. Patres & proceres sacri palatij, ut patricij, senatores, consulares, expræfecti, exquæstores, & alij qui magnos magistratus gesserunt: qui tamen iuris periti non sint, propter auctoritatem tamen & vsum rerum his rebus adhibentur. G. Minores verò? T. Iurisperiti, qui iudices consistoriani, & pedanei appellantur: & prout res maioris minorisve momenti sunt; ita plures aut pauciores iis cognoscendis præsent, ut sub Nouella, *De iudicibus*, traditur. Nam de minoribus causis, quæ centum solidos non excedunt, in porticu regia pedanei isti iudices; de aliis autem, vsque ad decem auri libras, vnus de proceribus, & vnus de iudicibus, quos ad hoc Princeps delegat, & de aliis vsque ad viginti duo cuiusque ordinis: inter quos si conueniat, proferunt sententiam, sin minus, ad Quæstorem sacri palatij rem referunt, & cum eo iudicant. Quinimo si in prouincia à iudice non illustri vel spectabili sententia lata sit, quæ decem auri libras non excedat, de qua ex appellatione in sacro consistorio cognoscere oportet, constitutum est, litium & sumptuum minuendorum causa, ut alij sint in prouincia iudices, qui vice sacri cognitoris causam cognoscant, ac dirimant, nisi fortè spectabilis vel illustris sit qui iudicauit, quo casu, sine vlla distinctione quantitatis, veniendum est ad comitatum Principis.

De his qui in sacro consistorio Principis ministrant.

TITVLVS XXVII.

G. **N**AM quinam sunt qui in sacro consistorio ministrant? T. Referendarij sacri palatij, qui de litibus & supplicantium libellis referunt; nec non circa suggestiones iudicantium, & consultationes versantur, ad quos pertinet Nouella, *De referendariis sacri palatij*, nec non alia *De litigatoribus*, & *de sporulis*, & *ut quæ iubentur, referendarij compleant, neque se causa immisceant, & per se exsequantur*. Comitès consistoriani, qui sunt aduocati, quantum videtur, & patroni causarum intra numerum, de quibus est Rubrica Codicis; *De comitibus consistorianis*, quos spectabilibus & proconsulibus æquari, nec alibi conueniri quàm vbi clarissimi viri Principes scholarum agentium in rebus conueniuntur, Imperatores decreuerunt item Scriniarij libellenfes, de quibus iam dictum est, qui & magistri libellorum vocantur Epistolares, qui acta iudicialia excipiunt, & peragunt: & nonnumquam officiales cohortalesque præfecti prætorio, si quando illorum, opera est opus, cum aliis officialibus & ministris, de quibus est Nouella, *De officiis quæ ministrant in sacris appellationibus*.

De magistro militum.

TITVLVS XXVIII.

G. **S**EQVITVR de magistro militum vt exponas. T. Verum. Et quidem cum multi sint magistri militum speciales, vt per Illyricum, Armeniam, Pontum; nos de eo hinc agimus, qui Præfentalis dicitur, ob id quod in comitatu Principis, exercitus ipsius Imperialis, & aliorum omnium curam gerit, tam equitum quàm peditum; inter quos etiam cognoscit, dignitatemque habet æqualem cum præfecto vrbis, & præfecto prætorio. de qua re verba legis sub titulo Codicis, *De præfectis prætorio, siue vrbis, & magistris militum in dignitatibus exequendis*, sunt hæc. G. At quænam autem? T. Præfectum vrbis, & præfectum prætorio, & magistros equitum ac peditum, indiscretæ ducimus dignitatis, vsque adeo videlicet, vt cum ad priuatam secesserint vitam, cum loco velimus esse potioem, qui alios potior tempore, & codicillorum adeptione præcesserit.] Habere autem magistrum militum iurisdictionem inter suos milites, & ad eam rem suos quoque apparitores, aliud rescriptum Imperatoris declarat: Viri illustres, comites, & magistri peditum, & equitum, in prouinciales nullam penitus habeant potestatem, nec amplissima præfectura in militares viros. Item apparitores per Orientem statutos officij tui ad aliud iudicium trahi minimè oportebit. Sciat igitur illustris magnificentia tua, sub te, siue ciuilitè, siue criminaliter appetantur, eos litigare debere.] G. Rectè. T. Et quidem, vt à præfecto prætorio magistrum militum distinguas, scire oportet, tria omnino genera militum circa Principem versari: custodes corporis, qui magistro officiorum parent: prætorianos milites, qui præfecto prætorio: & exercitum Imperialem, qui huic magistro militum, de quo est titulus Codicis, *De officio magistri militum*.

De comitibus sacrarum largitionum, & rei priuata.

TITVLVS XXIX.

G. **R**ELIQUVM est de iis vt reddas qui rem pecuniariam in aula tractant. T. Ita est. Et quidem cum res pecuniaria omnis vel in iis consistat quæ ex largitate populi proficiscuntur, vel ex iis quæ Augusto vel Augustæ pro certo perpetuoque reddito Imperij priuatim sunt destinata: qui illis præest, comes sacrarum largitionum, remunerationumque siue thesaurorum dicitur: qui his, comes rei priuatæ, ad quem & eorum quæ in fiscum rediguntur cura pertinet. Et si quid apud Principem tractatur ad has res pertinens, id quemadmodum quæstoris, ita comitis etiam rerum priuatarum annotationem habere debet. quibus de rebus sunt tituli Codicis, *De officio comitis sacrarum largitionum. De officio comitis rerum priuatarum*. vltra quos est alius titulus, *De officio comitis sacri patrimonij*, ad quem earum rerum cura pertinet, quæ non causa Imperij, vt superiora; sed ex proprio patrimonio Principi competunt. G. Rectè. T. Vtrique autem tam largitionum quàm rei priuatæ comiti hoc commune est, vt publica populi acclamatione salutentur, quemadmodum quæstores, & magistri officiorum, & in iudiciis tam ciuilibus quàm criminalibus, pari vtuntur priuilegio, vt demonstrat titulus Codicis, *Vbi senatores vel clarissimi ciuilitè, vel criminaliter conueniantur*. Cui hoc accedit, quod palatinos suos habent, & officiales, quorum scholæ ambæ iisdem fruuntur priuilegiis, vt videre licet sub rubrica Codicis, *De palatinis sacrarum largitionum, & rerum priuatarum*. G. Probè. T. Porrò habent autem ambo scholas suas, in quibus militant Rationales, Scriptorij, Numerarij, Tabularij, Notarij, Exceptores, de quibus supra dictum est; Thesaurenses, qui pecunias recondunt; Mitendarij, qui ad pecunias colligendas mittuntur, & eorum adiutores, ac similes, cum suis primicerijs, & primatibus, centenariisque, & ducennariis, qui primis, secundis, tertiis quartis formis distinguuntur, quorum opera in colligendis pecuniis, ac debitoribus fisci exigendis, aliisque similibus vtuntur. Vnde fit, quod res aliquas eiusmodi conductas habere prohibentur. G. Intellego. T. Adde quod singuli isti comites certos habent, sub dispensatione sua constitutos. G. Comes rei priuatæ quos habet? T. Rationales sacri ærarij, bastagam priuatam eorum qui rebus deportandis seruiunt, præpositos gregum & stabulorum, procuratores saltuum, agricolas, pastores, venatores ad domum Principis pertinentes. G. Quosnam autem comes largitionum? T. Primùm comites diuersorum generum, nempe horreorum, vbi species reconduntur; thesaurorum, vbi pecuniæ; largi-

tionum per omnes prouincias, qui largitionibus præest; metallorum cum suis procuratoribus, & metallariis; & commerciorum: sub quo sunt negotiatores ad domum Principis pertinentes, vt vestiarij, linteones, purpurarij, parthearij, metararij, & alij id genus mercatores, qui à mercibus, in quibus negotiantur, nomen habent. G. Intelligo. T. Tum præpositos diuersos, vt thesaurorum, qui thesauros cuiusque prouinciæ curant; bastagorum, qui rebus importandis & exportandis præsunt; & barbariciorum, de quibus supra est expositum. G. Teneo. T. Ad hæc procuratores varios, vt gynæciorum, vbi vestimenta muliebria seruantur; monetarum, vbi pecunia cuditur; textinarum, vbi vestes texuntur; baphorum, vbi tinguntur; murilegolorum, qui circa conchas, vnde purpura fit, legendas versantur, de quibus sunt tituli Codicis: *De murilegulis, & gynaciariis, & procuratoribus gynacij, & de monetariis, & bastagiariis. De vestibus oloberis, & auratis, & de intinctione sacri muricis.* G. Rectè. T. Pòst scriniarios diuersos, vt canonum, hoc est, ordinariorum tributorum auri massæ, quod infectum est; auri ad responsum, quod responsalibus Principis destinatum est; miliacensis, quod militibus; auri vestiarij sacri, quod vestibus; argenti, qui argentum custodiunt; à pecuniis, qui pecuniam. G. Probè. T. Denique artifices varij generis, qui suæ conditioni ac fortunæ tamquam serui sunt addicti. de quibus speciatim nos exposituros diximus.

De artificibus Palatinis.

TITVLVS XXX.


G. **H**I igitur quinam sunt? T. De quibus tractant tituli Codicis: *De nauiculariis, seu naucleris, publicas species transportantibus, & de tollenda lustralis auri collatione. De prædiis, & omnibus rebus nauiculariorum. De nauibus non excusandis. Ne quid oneri publico imponatur. De metallariis, & metallis, & procuratoribus metallorum. De classicis.* pertinetque huc in genere Nouella, *Edictum de formula artificum.* Ac sunt quidem aurifices specierum, aurifices solidorum, sculptores, officiales sacrarum vestium, argentarij, barbaricarij, fabricenses, nauicularij, classici, metallarij, & eorum procuratores, & monetarij, qui monetæ cudendæ præsunt. G. Intelligo. T. Quæ quidem moneta omnis vel in ære consistit, vel in argento, vel in auro, sic vt vna auri libra, quatuordecim libris argenti, & quinque vncias æstimetur; æris verò, mille quadraginta quatuor libris. vt ostendunt rubricæ Codicis: *De collatione æris. De argenti precio, quod thesauris inferatur. De veteris numismatis potestate.* G. Rectè. T. Ac cum vna auri libra in duodecim vncias diuidatur, singulæ vnciæ rursus diuiduntur in senos solidos siue aureos. G. Probè. T. Qui solidus primùm diuiditur in quatuordecim scrupulos, qui scrupuli faciunt singuli obolos binos, & oboli rursus ceratia duo, siliquas tres, & ceratia quatuor, ex quibus siliquæ sextam scrupuli, solidi vicesimam quartam partem constituunt. G. Pulchrè. T. Deinde in semissem, hoc est, dimidiam partem solidi, tremissem tertiam, denarium duodecimam, & quinarium vicesimam quartam, ex quibus denarius libellas decem continet, quinarium quinque. Ac continet quidem libella sembellas duas, teruncios quatuor, faciuntque libella & sembella sestertium nummum, qui dupondios continet duos, asses autem quindecim. G. Optimè. T. Præter hæc fit etiam mentio in Iure nostro miliarensium, ouoque & cyatho signatorum, & quadrangulorum, quæ minutissima æra fuisse constat.

L I B E R

LIBER OCTAVVS.


De magistratibus publicis, & eorum diuisione.

TITVLVS I.

G.  VANDO QUIDEM de magistratibus palatinis satis, vt videmur, diximus: transeamus nunc, si placet, ad magistratus publicos. **T.** Placet. nam iis cognoscendis vel maxima pars reipublicæ continetur, adeo vt si quis ea quæ dicta sunt, & quæ sequentur, bene notata & animaduersa habeat, certus esse possit, nihil penè occurrere posse ad ciuitatem bene constituendam ac regendam, cuius non aliqua viua hîc expressa sint vestigia. **G.** Ergo hos magistratus publicos quos vocas? **T.** Qui extra palatium Principis reipublicæ gerendæ ac moderandæ præsent. **G.** Illos autem quonam pacto diuidis? **T.** In ipsos magistratus, quasi magistratus, & ministros magistratum. Sed prius dicemus de ipsis magistratibus, quorum ratio latius patet; post autem de aliis. **G.** Ipsos igitur magistratus quonam modo partiris? **T.** Eodem quo superiores; nam alij pendent ex aliis: & ideo cuncti magistratus publici, qui circa rempublicam gerendam extra Principis palatium versantur, vel ciuiles sunt, ad rempublicam administrandam, & iustitiam in eam inducendam; vel militares, ad res bellicas gerendas; vel tamiaci, ad rem pecuniariam tractandam: nam hanc diuisionem ab hominis ipsius natura deduci abs te demonstratum est. **G.** Verum. **T.** Sed videamus, si placet, de singulis, ac primùm quidem de ciuilibus magistratibus, qui pro amplitudine Imperij Romani in vrbicos rursus diuiduntur, & prouinciales, & municipales: de quibus singulis ordine distincteque exponendum est.


De magistratibus ciuilibus vrbicis, & eorum diuisione.

TITVLVS II.

G.  RGO de vrbicis magistratibus quid habes dicere? **T.** Hi sunt qui Romæ & Constantinopoli rem administrant. Qui quidem omnes sic diuiduntur, vt vel magistratus sint, vel iudices, vel medij inter eos interiecti. **G.** Qui sunt magistratus? **T.** Qui corpori reipublicæ regendo ac gubernando pace ac bello præsent. **G.** Qui iudices? **T.** Qui iuri dicundo secundùm leges sunt præpositi, ad iustitiam tamquam animam in ciuitatem inducendam. **G.** Qui medij? **T.** Qui vtrisque se præstant, & inter eos quasi medij sunt interpositi.

De magistratibus vrbicis.

TITVLVS III.

G.  E magistratibus primùm, si placet, expone. **T.** Eos quatenus Iustiniani temporibus extabant (nam alij iam antè intercederant) sic diuido, vt vel maiores sint, qui rebus administrandis præsent, pacemque ac tranquillitatem ciuitatis procurant, vt Consules, Præfectus vrbi, & Præfectus vigillum: vel minores, qui rerum ad vitam necessariarum curam habent, vt ædiles, præfectus annonæ, & quæstores siue magistri census. **G.** De Consulibus quid ais? **T.** Consulatus, primus post Principem est honor: quamquam auctoritatem vix aliam per se Consul habet (iam enim supra diximus, postrema tempora reipublicæ Romanæ nos persequi, idque quatenus libris Iustinianois est productum) quàm vt mandumittere volentibus consilium præbeat, & in senatu primus sententiam dicat. Progrediens in publicum siue solus, siue cum vxore vel matre, quibus solis honoris causa id permittitur (quod certis statisque sic anni temporibus, vt post dicitur) sella vrbis Imperatoria, & fascibus, alisque insignibus, acclamatque ei populus, & proicit missilia in vulgus, non aurea quidem, nam hoc prohibitum est, sed argentea: & anni secundùm ordinem Consulatum describuntur. Ac sunt quidem Comules alij ordinarij, qui reipublicæ magistratum hunc gerunt; alij hono-

honorarij, quibus honoris causa ab Imperatore titulus hic tribuitur. Defuncti hoc munere consules oneribus curiae liberantur, & exconsules vocantur, quemadmodum expraefecti, exmagistri, exquaestores, qui praefecti, magistri officiorum, & quaestores aliquando fuere. Tituli Pandectarum, Codicis, & Nouellarum de iis sunt: *De officio Consulis. De Consulibus, & non spargendis ab his pecuniis, & Patriciis. De Consulibus.* Et hoc inter priuilegia Patriciorum & Consulum differentiae, quod illi patria potestate liberantur, hi non.

G. De praefecto vrbi autem? T. Praefectus vrbi Romae vel Constantinopoli omnes corporatos, ciuesque, ac populares sub se habet, & antecellit cunctis quae in ciuitate sunt dignitatibus & potestatibus, sic vt praefecto praetorio, & magistro equitum, dignitate aequiparetur. Sed & ab utroque Praetore, tam peregrino, quam urbano, ad praefecturam vrbis appellatur, & si appellatio interposita fuerit, per Bithyniam, & Paphlagoniam, Lydiam, Hellespontum, Insulas etiam, ac Phrygiam, salutarem Europam, & Rhodopen, & Aenium montem, eiusdem praefecturae vrbis iudicium sacrum appellator observare debeat. Quae quidem re fit, vt & fiscum peculiarem habeat, & fisci sui patronum, nec non milites stationarios, ad tuendam popularium quietem, & referendum quid vbiq; agatur. Officium eius est, vt omnia omnino communia sibi vindicet, non ea tantum quae intra urbem admittuntur, verum ea quoque quae extra urbem in Italia, intra centesimum ab vrbe miliarium, non extra. Denique praeter querelas seruorum, & libertorum de dominis, patronisve, & curam argentariorum, nummulariorum, carnis, & annonae, quies quoque popularium, & disciplina spectaculorum curae ipsius mandata est: quo fit, vt qui illicitum collegium coisse dicuntur, apud praefectum vrbi accusentur. Potestatem autem habet corrigendi, comminandi, fustibus castigandi, aut vltius in poenam procedendi, prout de his omnibus proditum est titulo Pandectarum & Codicis, *De officio praefecti vrbi*, nec non alio titulo Codicis, *De praefectis praetorio, siue vrbi, & magistris militum in dignitatibus exaquandis.*

G. De praefecto vigilum? T. Praefectus vigilum est qui septem cohortibus urbanis praest, quos primus Diuus Augustus oportunis locis constituit, vt binas regiones quaeque cohors noctu teneret, praepositis eis tribunis, vt super omnes spectabili viro praefecto vigilum. Cognoscit autem de incendiariis, effraetoribus, furibus, raptoribus, receptoribus, capsariis, & similibus, quos aut seuera interlocutione castigat, aut fustibus, aut flagellis. Sed si grauiore poena capitali opus est, remittit ad praefectum vrbi. Munus eius est, vt per totam noctem vigilet, & coerret calcatus cum hamis, hoc est, vasis aquariis, ad incendia restinguenda, & dolabris, ad partes aedium accensas detrahendas, ne latius ignis vageretur: admoneatque inquilinos & insularios, vt aquam vnusquisque in coenaculo habeat, ne per negligentiam aliquando incendij casus oriat, vt videre est sub titulo Pandectarum, *De officio praefecti vigilum.* Qui autem praefectum vigilum comitantur, noctophylaces sunt, quasi nocturnos custodes dixeris; nec longe a praefecto vigilum absunt, qui Constantinopoli praetores plebeij, secundum Nouellam, *De plebeijs praetoribus*, appellantur.

G. Nunc aediles quinam sunt? T. Qui sartorum tectorum, rerumque venalium in vrbe curam habent, de quibus & edicta proponunt, vt sub titulo Digestorum, *De adilitio edicto*, videre licet, vbi de seruorum & animalium mancipationibus redhibitionibusque agitur. Porro qui utensilia negotiantur, & vendunt, iurisdictioni aedilium subsunt, & ab illis flagellis caedi possunt, quamquam ob id non fiant infames: vltra quod & illud ad curam eorum pertinet, ne quid in via publica positum habeatur, aded vt id pro iure magistratus sui conscindere possint, sic tamen, vt si iure factum non sit, agi aduersum aedilem eo nomine possit.

G. Quis praefectus annonae? T. Quis praefectus annonae sit, nomen ipsum indicat: qui quam necessarius sit in republica, manifestius est quam vt demonstrari debeat. Ad eius curam pertinet, vt non modò ipsius annonae curam gerat, quamquam id proprium eius est munus; verum etiam vt ius inter litigantes ea de re reddat, idque ad similitudinem arbitratorum, qui diuersam ab ordinariis iudicibus formam sequuntur. Cui & hoc accedit, quod quamquam mulieres rerum publice vtilium nunciaciones exercere non soleant, si quid habeant tamen quod ad vtilitatem annonae pertineat, praefectum annonae ea de re adire possunt, vt sub titulo Digestorum, *Ad legem Iuliam de annonae*, videre licet.

G. Quis denique quaestor, siue magister census? T. Quaestorum genera sunt quatuor: vnum, eorum, qui pecuniis in vrbe conquirendis (vnde etiam nomen habent) praesunt. Alterum, qui prouincias sortiuntur, quarum rectoribus adduntur. Tertium, qui epistolas Principis in senatu legunt, qui ob id candidati Principis vocantur, & suos habent adiutores. Estque hoc munus imitum ferè gerendi honoris, sententiaeque in senatu dicendae. Quartum eius cui hoc mandatum est negotij, ne qui agricolae prouinciales, desertis agris suis diutius in vrbe commorentur quam opus sit, neue validis mendicantibus

dicantibus ciuitas impleatur: quos, si quidem alieni sunt, ad suas quoque sedes remittit: si verò ciues, vel ad opus faciendum, vel vrbe excedere cogit, nisi fortè ætate, morboque debiles facti sint, quos piis locis alendos tradit. Sed & hoc curæ habet, ne à viatoribus concussionem quis patiatur, aut à quoquam iniuriam contumeliãve accipiat, neve magistratus ac iudices in litibus disceptandis moram faciant. Ad quas res & assessorem suum habet, & cohortem apparitorum, quibus ad munus suum rectè obeundum domi & peregre vtitur. Qui autem ad similitudinem primi quæstor rei priuatæ Constantinopoli præest, magister census vocatur, coram quo professiones fiunt, tum bonorum quæ in censum referuntur, tum verò seruorum & liberorum. Sed & si testamenta aperienda sint, vel insinuationes donationum faciendæ, coram ipso id fieri debet. De quibus rebus omnibus sunt tituli Digestorum, Codicis, & Nouellarum, *De officio quæstoris. De adiutoribus quæstoris. De quæstore.*

De iudicibus vrbicis, & eorum iurisdictione.

TITVLVS IIII.

G. **N**unc de iudicibus vrbicis quid ais? T. Primum quinam ipsi sint dicam, deinde quæ eorum sit iurisdictione. G. Quinam autem sunt ipsi iudices? T. Qui rebus iudicandis præsent, quorum principes sunt prætores, de quibus sunt tituli Pandectarum & Codicis, *De officio prætorum.* Qui quidem cum olim multi essent, vt vrbicus, peregrinus, paricidiorum, fiscalis, fidei commissorum, tutelarum, & similes; post ad tres redacti sunt, quos senatus quotannis eligit, non quidem ex prouinciis, sed ex iis qui Romæ domicilium habent. Nec verò necesse iis est in ingressu honoris ludos exhibere, aut missilia in vulgus spargere, vt olim; sed liberum est id facere, aut non facere. Officium ipsorum in hoc consistit, vt manumittant, emancipent, adoptent, tutores dent & curatores, liberale iudicium exercent, iudices dent litigantibus, & his similia. & sunt ordinis senatorij quemadmodum consules. Præter hos prætores Romanos, est alius prætor Constantinopolitanus, qui prætor plebeius dicitur, & criminibus iudicandis & incendiis præest. Eum vili prius habitum, & præfectum vigilum siue nocturnum vocatum, Iustinianus in ampliores dignitates euexit, & prætorum nomen nobile inprimis, & antiquum ferre iussit, vt ostendit Nouella, *De plebeis prætoribus.* pertinetque huc titulus Codicis, *De prætoribus, & honore prætura, & collatione, & gleba, & folli, & septem solidorum functione sublata.* G. Iam de iis qui post prætores sunt, quidnam dicis? T. Horum duo sunt genera: arbitri, & qui proprio nomine dicuntur iudices. G. Quos vocas arbitros? T. Quos sponte litigatores adeunt, vt sub titulis Pandectarum & Codicis, *De receptis arbitrariis* videre licet. Ac sunt quidem arbitrorum genera duo: vnum eiusmodi, vt siue æquum sit, siue iniquum, parere debeamus; quod obseruatur cum ex promisso, hoc est, addita pœna ad arbitrum itum est; alterum eiusmodi, cum ad viri boni arbitratum redigi debeat, etiamsi nominatim persona non sit comprehensa; quod genus arbitri electi vocantur, qui sine adiectione pœnæ capiuntur. Planè nonnumquam fit, pro rerum & personarum qualitate, vt iudex ipse ad arbitros litigatores adigat. Sed & in quibusdam iudicibus receptum est, vt pro modo arbitrorum, hoc est, summatim & amicè, non autem secundum iuris formulas iudicium exercent. Huiusmodi sunt antistites, præfectus annonæ, patronus fisci, vrbicaria præfectura. G. Quos proprio nomine iudices? T. Qui in inuitum ius reddunt, addita pœna nisi iis pareatur; vt demonstrant tituli Pandectarum & Codicis, *De iudicis. Si quis ius dicenti non obtemperauerit. De modo multarum quæ à iudicibus infliguntur.* Et quidem dicunt ius vel suo iure, vel alieno beneficio. G. Quinam prioris sunt generis? T. Varij magistratus, siue illi voluntariam exercent iurisdictionem manumittendo, adoptando, emancipando, vt consules, siue contentiosam, vt ædiles; idque vel iure sui magistratus, vel speciali beneficio legis, senatusconsulti, aut constitutionis Principis. Iudicant etiam suo iure, qui magistratus non sunt, sed iudices dumtaxat, qui minores iudices dicuntur, & pedanei, propterea quod non pro tribunali sedent, sed stantes de plano res minores tractant; & ordinarij ab eo dicti, quod suum habent confessum, & iudicium ordinarium, à quo recedere non possunt. Huiusmodi sunt centumviri, qui de hæreditatibus plerumque cognoscunt, & hæstæ auctionali præsent. Item triumviri capitales, & qui vocantur latrunculares, qui de latrocinis cognoscunt. G. Qui sunt qui alieno beneficio iudicant? T. Hi vel mandatam habent iurisdictionem, vel delegatam. Qui mandatam habet iurisdictionem, vice eius

ce eius fungitur qui eam mandauit, & ideo nihil proprium habet, sed eius qui mandauit iurisdictione utitur; unde fit, ut nec alteri mandare eam possit, nisi à Principe mandata fit: nam more maiorum comparatum est, ut is demum iurisdictionem mandare possit, qui eam suo, non alieno beneficio habet. Delegatam iurisdictionem habent iudices dati, qui & cognitores dicuntur, & pedanei. Ac sunt quidem iudices dati, qui ad vnam aliquam causam certa præscripta formula iudices dantur à magistratibus, qui iudicium dandorum potestatem habent, quam formulam egredi non possunt: adeò ut cognoscere magis subinde videantur, quam iudicare, unde & cognitores vocantur, ut dictum est, & pedanei; ab eo quòd stantes, non pro tribunali sedentes iudicant. Pertinentque huc tituli Institutionum, Digestorum, Codicis, & Nouellarum, *De officio iudicis. De officio eius cui mandata est iurisdictione. De officio assessorum. De officio eius qui vicem alicuius obtinet. De officio diuersorum iudicum. De pedaneis iudicibus. De iudicibus, ut cum inretrando deligantur. & ut iudices modis omnibus appellationes suscipiant. Item, Ne iudices sacra alicui forma qua lite pendente facta sit, de hoc quomodo lite decidenda oporteat attendant. Ut defuncti, seu funera & reliquia eorum non iniuriantur, aut contumelia afficiantur à creditoribus, & ut consiliarij siue assessores non suscipiant cognitiones absque iudicibus. Ut iudices non expectent sacras iussiones, sed qui videntur eis decernant. Ut litigantes iurent in exordio lisis, quòd neque promiserunt dare iudicibus, neque dabunt: & de sportulis; & ut qua iubentur, referendarij compleant, & non misceant semetipsos causa, & per se exsequantur. Ut nulli iudicum liceat habere loci seruatores, nisi certis ex causis diuina concesserit iussio.* G. Iam iurisdictione iudicum quænam est? T. Enimvero huic generali nomini tres subiacent species: quarum vna imperium vocatur, altera speciali nomine iurisdictione, & tertia media inter superiores, imperium mixtum: ut videre licet sub titulis Digestorum & Codicis, *De iurisdictione omnium iudicum.* G. Quid est Imperium? T. Imperium est, habere gladij potestatem ad animaduertendum in facinorosos homines, quod etiam potestas appellatur. G. Quid iurisdictione? T. Iurisdictione est, cum res priuatas ciuiles, ac pecuniarias, vel ipse quis iudicat, vel iudicari iubet, quod in danda iudicis licentia consistit. G. Quod imperium mixtum? T. Imperium mixtum est, quod partim ex imperio, partim ex iurisdictione constat, cuiusmodi est bonorum possessionem date, in quo potissimum consistit. Et verò cum imperium ad publica populi iudicia pertineat, iurisdictione ad priuatas iudicium cognitiones, siue notiones; imperium mixtum, ad magistratum siue Prætorum auctoritatem, quæ media est inter ea quæ populi sunt, & legis actiones, spectat. G. Bene dicis. T. Ac quamquam quidem hæc ita distinguuntur, sciendum tamen est, nullum esse imperium, quod non aliquid habeat iurisdictionis, ad causæ cognitionem capiendam; nec ullam iurisdictionem, quæ non aliquid secum trahat modicæ coercitionis & imperij: nam omnibus magistratibus, secundum ius potestatis suæ, concessum est iurisdictionem suam defendere pœnali iudicio. G. Probè. T. Item imperium mixtum sic ferè se habet, ut vel ad imperium merum magis inclinet, vel ad iurisdictionem; quod tum maximè spectatur, cum de mandata iurisdictione agitur. Nam cum regula sit, id demum mandare quem posse, quod habet iure sui magistratus, non autem specialiter alieno beneficio: primum quæcumque meri imperij sunt, mandari non possunt, quoniam non iure magistratus, sed populi aut Principis beneficio competunt: deinde autem quæ sunt iurisdictionis, possunt, quoniam competunt iure magistratus: quæ verò imperij mixti, mixtam habent causam. Nam si plus habent imperij quàm iurisdictionis, non transeunt mandata iurisdictione; ut potestas exercendi consilium, vel interponendi decretum de vendendis bonis pupillorum: si verò plus habent iurisdictionis, minus imperij, transeunt, ut potestas iubendi possideri, si damni infecti non caueatur, mittendi in possessionem ventris, aut legatorum nomine cognoscendi de suspectis tutoribus, aut curatoribus. Quamquam hoc vltimum sic accipiendum est, ut cognitio suspecti non aliter capiatur, quàm pro tribunali, & non de plano, idque per ipsum iudicem, vel eum qui mandatam habet iurisdictionem, non autem per iudicem datum qui priuatus est. Planè datio tutoris mandari non potest, nisi ei cui hoc specialiter concessum est, ut legato Proconsulis; & ab eo qui specialiter dandi habet potestatem, cuiusmodi est Præses prouinciæ.

De medijs inter magistratus & iudices urbicos.

TITVLVS V.

G. **Q**UOS magistratus ipsos & iudices explicatos, iam medij inter illos quanam sunt? T. Qui non tam magistratus sunt, quàm formam quandam ac speciem (quomàdmodum de omnibus senibus dicitur) gerunt magistratus. Hi sunt iurisconsulti, assessores, consiliarij, aduocati, professores, philosophi, oratores, grammatici, medici, curatores aquarum, viarum, operum publicorum, adolescentum, mensores, architecti, argentarij, nummularij, & triumviri monetales. G. Qui sunt iurisconsulti? T. Qui publicè de iure respondendi habent potestatem; vnde & responsa prudentum vocantur: de quibus verba Iustinianj sunt: Responsa prudentum sunt sententiæ, & opiniones eorum, quibus permissum erat iura condere. Nam antiquitus constitutum erat, vt essent qui iura publicè interpretarentur, quibus à Cæsarij ius respondendi datum est, qui Iurisconsulti appellabantur, quorum omnium sententiæ & opiniones eam auctoritatem tenebant, vt iudici recedere à responsu eorum non liceret, vt est constitutum. Pertinet autem huc titulus Codicis, *De veteri iure enucleando, & de auctoritate iurisprudentium*, qui in Digestis referuntur. G. Qui assessores? T. Qui iudicibus assident, & consiliarij eorum dicuntur: quo officio studiosi iuris ferè vtuntur. Id verò in his causis potissimùm consistit, in cognitionibus, postulationibus, libellis, edictis, decretis, epistolis. Cognitiones sunt, cum pro tribunali, non verò per libellum causa plenè cognoscitur: Postulationes, cum litigatorum desideria audiuntur: Libelli, cum ad preces oblatas annotatur vel respondetur: Edicta, cum vocationes decernuntur, & eduntur: Decreta, quæ litigantibus auditis, aut aliter re cognita statuuntur: Epistolæ, cum ad postulata eorum qui preces porrexerunt, rescribitur. Tituli Pandectarum & Codicis huc pertinentes sunt, *De officio assessorum. De assessoribus, & domesticis, & cancellariis iudicum*. G. Qui aduocati? T. Aduocatus, inquit Vlpianus, accipere debemus omnes omnino qui causis agendis quoquo studio operantur: quos prætor postulantibus dare solet. Horum certus in quoque tribunali ferè est numerus qui statuti vocantur. Estque inter aduocatum & pragmaticum hoc discrimini, quòd officium aduocati honoratius est, pragmatici autem vile, consistens in infimis ministeriis iudicialibus subeundis. tractantque hæc de re tituli Codicis, *De aduocatis diuersorum iudiciorum, & De aduocatis diuersorum iudicum*. G. De professoribus quid ais? T. Professores vrbs Romæ sunt, oratores tres, grammatici decem, philosophus vnus, legum professores duo: qui omnes doctorum & magistrorū nomine appellantur; & tanquam magistratu publico fungentes, multis gaudent priuilegijs, & immunitatibus, pluribus quàm aliarum ciuitatum professores. Idem in medicis obseruatur, cum quibus & obstetrices quibusdam in causis numerantur. Rubricæ Codicis his de rebus sunt, *De studiis liberalibus vrbs Roma. De professoribus & medicis. De professoribus qui in vrbe Constantinopolitana docentes, ex lege meruerunt comitiuam*. G. De curatoribus autem? T. Curatores operum publicorum, aquæductuum, & viarum quinam sint, nomina ipsa indicant. Ac sunt quidem opera publica, prout sub titulo Digestorum & Codicis, *De operibus publicis*, videre licet, muri, portæ, turres, theatrum, forum, basilicæ, ædes sacræ, curia, portus, prætoria, horrea, porticus, naualia, stabula, thermæ, balnea, & alia id genus, de quibus lege lata cautum est, ne vetustate collabantur, vt tertia pars reddituum ciuitatis in eorum restorationem conferatur, aut si non suppetunt redditus, ciues in eam rem pro modo facultatum conferant. Curatores aquarum ab aquæductibus nomen habent, viarum, à viis. Sunt autem viarum (de quibus tituli Digestorum, *De locis & itineribus publicis. De via publica, & si quid in ea factum esse dicitur, & de ea ex edicto aditium carulium à singulis reficienda*) quædam publicæ, quædam priuatæ, quædam vicinales. Publicæ sunt, quæ & basilicæ dicuntur; & militares, siue consulares, habentque exitum suum ad mare, aut vrbes, aut ad flumina publica, aut ad aliam viam militarem. Priuatæ sunt, quas angarias quidam dicunt, quæ quidem post consularem excipientes in villam, vel in alias colonias ducunt, ita vt omnibus per eam commeari liceat, quæ & ipse publici iuris sunt. Vicinales sunt, quæ in vicis sunt, vel in vicis ducunt: ac rarietate quidem ex collatione priuatorum reficiantur, publicarum tamen viarum numero non censentur, & distant à militaribus in eo, quòd illæ exitum suum habent in militares vias, vt modo dictum est; hæc verò priuatim sine villo exitu intermoriuntur. Curatores adolescentum, ad quos pertinet titulus Institutionum, *De curatoribus*, cum multis titulis Digestorum & Codicis, vt tutores pupillorum publicum munus sustinere

notum est, licet ad utilitatem priuatam officium eorum pertineat, quod sæpe accidit. G. Mensores denique, & alij sequentes? T. Mensores alij sunt agrorum, de quibus est titulus Digestorum, *Si mensor falsum modum dixeris*; alij frumentarij, & alij de quibus est Rubrica Codicis, *De mensuris*: quos à tutela & cura excusari Diuus Marcus & Commodus rescripserunt. Architecti sunt, qui de iuribus & seruitutibus prædiorum vrbano- rum, ipsisque ædificiis cognoscunt. Argentarij, qui mensam fœnebrem exercent: Num- mularij, qui nummis permutandis præsunt: Triumviri monetales, qui æris, argenti, auri flatores, apud Pomponium appellantur.

De magistratibus ciuilibus provincialibus.

TITVLVS VI.

QUONIAM de ciuilibus magistratibus vrbicis exposuisti, de provincialibus autem cognoscere. T. Nihil obstat quin ita fiat. nam qui provin- ciis regendis præsunt, ibique post Principem primas tenent, sic vt omnia provincialium desideria, quæ Romæ varios iudices habent, ad officium eorum pertineant, & tam rectores & iudices quàm præsides earum ge- nerali nomine appellantur, hos magistratus provinciales proprie appellamus: ad quos per- tinet Nouella, *Vt omnes obediant iudicibus provincialium, & in criminalibus, & in pecuniariis causis, & ibi negotia examinentur, nullo excepto per priuilegium*, nec non huc conuicti de- ducantur, cum sacra pragmatica forma exhiberi quempiam iusserit. G. Quomodo au- tem diuiduntur? T. In maiores, medios, & minores. qui tum quidem titulis inter se dif- ferunt, & fascium & purpuræ cingulique ornamentis, tum verò auctoritate. Nam non- nulli ciuilia negotia dumtaxat tractant in provincia, nonnulli militaria etiam, vt osten- dunt tituli Codicis, *De officio ciuilium iudicum, & De officio militarium iudicum*. alij cum his tamiacæ quoque, prout res fert. pertinetque huc Nouella, *De provincialium præsi- dibus*. Nos autem de singulis ordine dicemus, subiiciemusque de iureiurando eorum, & officio, nec non de vicario & ministris.

De maioribus magistratibus provincialibus.

TITVLVS VII.

QUO maiores magistratus provinciales quos dicis? T. Gloriosos (quos vocant) præfectos sacrorum prætoriorum, veluti Orientis, Occidentis, Africæ, Illyrici, & similium diocesium, vnde & Diocesani appellantur. In quibus ipsis etiam rectoribus ac iudicibus provincialium præsunt, siue consulares illi sint populi, siue præsidales Principis (nam sic quoque diuiduntur) quos & mouere ex causa, & in eorum locum alios sufficere possunt, cogno- scuntque ex appellatione de sententiis eorum. Ab ipsis autem non provocatur, sed sup- plicatur tantum intra biennium, & si contra eorum sententiam restituendi sunt in inte- grum minores, per ipsum id fieri debet. Sed & legem condere possunt, dummodo à iure communi non abhorreat: & milites sub se habent, tam limitaneos, quàm alios, qui in ca- stris, burgis, & claustris degunt, nec non duces eorum, & milites ducianos, siue comita- tentes, qui ducem semper sequuntur. Tituli Pandectarum & Codicis, qui huc pertinent, sunt, *De officio præfecti prætorio. De officio præfecti prætorio Africæ, & de omni eiusdem diocesis statu. De officio præfecti prætoriorum Orientis & Illyrici. De sententiis præfecto- rum prætorio. De præfectis prætorio, siue vrbis, & magistris militum in dignitate ex æquandis*. Pertinet huc Nouella, *Ne sacra forma, quæ de causis procedunt publicis, aliter robur accipiat, quàm si gloriosiss. prætoriorum præfectis insinuata sint, vel fuerint, illisq. habeatur rasa. Item: Sa- cra forma transmissa dominico gloriosiss. prætoriorum Illyricianorum præfecto de diuersis capitulis,*

De medijs magistratibus provincialibus.

TITVLVS VIII.

QUO medijs magistratus provinciales quos dicis? T. Proconsules, præfe- ctus Augustalis, Comes Orientis, & nonnulli præsides, qui integras re- giones, & tractus, & maiores provincias gubernandas habent. Ac præ- torum quorundam quod sex fascibus præconul vitur, vt ostendit titulus Digestorum, *De officio præconul, & legati* tum maius habet impe- rium in provincia post Principem, nec quicquam est quod non per ipsum expediatur, quam-

quamquam à fiscalibus pecuniariis causis melius fecerit si absteat: vbi animaduertere licet, quædam pro ratione personarum, & aliarum circumstantiarum, suaderi magis quam iuberi, vt tu suo loco docuisti. Pertinentque huc Nouellæ, *De proconsule Palæstinae*. &, *De proconsule Cappadociae*. cui præcipitur, vt tam ciuiliū quàm militariū, nec non tamiacarum rerum curam gerat, & ex re ipsa archigetes nominetur. quod secus paulo est in proconsule Palæstinæ, qui Veneta veste vtens, non nisi ciuilibus & tamiacis rebus præest, arma autem Dux eiusdem prouinciæ tractat. G. Rectè. T. Legatus autem proconsulis nihil proprium habet, sed mandata iurisdictione tam iudicis quàm tutoris dandi potestatem nanciscitur, & si quid sit quod maiorem animaduersionem desideret, remittere ad Proconsulem debet, vt hac ratione dignitatum ordo seruetur, quod secundum iustitiam distributiua apprimè est necessarium. G. Probè. T. Præfectum autem Augustalem, secundum titulos Digestorum & Codicis, *De officio præfecti Augustalis*, vocamus, qui speciatim nomine ipsius Augusti Ægypto præest. Vnde vicarius Augustalis, legatus Cæsaris, & simplici nomine Augustalis dicitur. Placuerat enim veteribus Imperatoribus, prouinciam Ægyptum sibi seruare, suoque nomine vicarium ei præponere, ne quis eam occuparet, paruoque præsidio totam Italiam, & alias prouincias fame premeret. G. Intellego. T. Planè sumit autem Proconsul insignia proconsularia, simulatque urbem egressus est, sed potestatem nullam exercet antequam in prouinciam suam venerit, nisi quod iurisdictionem habet voluntariam, quæ in manumittendo adoptandoque consistit, non autem contentiosam. Dum proficiscitur in prouinciam, videre debet, ne in hospitibus præbendis oneret prouinciales; nec etiam statoribus vtitur, sed vice eorum milites in prouinciis eo ministerio funguntur. Cùm prouinciam ingreditur, omnino curare debet, vt morem maiorum sequatur, quem sibi conseruari prouinciales plerumque magni faciunt. Sed & in ipsa administratione moribus prouinciæ se accommodare iubetur, quod, & cùm eam egreditur, illi est faciendum. G. Teneo. T. De comite Orientis, eiusque munere, est titulus Codicis, *De officio comitis Orientis*.

De minoribus magistratibus prouincialibus.

TITVLVS IX.

NUNC qui sunt minores magistratus prouinciales? T. Qui neque tantis prouinciis præsent vt superiores, neque tantum auctoritatis & dignitatis habent. Cuiusmodi sunt qui speciali nomine (nam generaliter omnes qui prouinciis præsent, præsidēs earum, rectores, & iudices vocantur, vt habent tituli Digestorum, & Codicis, *De officio præsidis*. *De officio rectorum prouinciae*. *De officio diuersorum iudicum*) præsidēs dicuntur, quoniam minus est præsidialem quàm proconsularem esse prouinciam. debentque huc referri Nouellæ, *De præside Pisidia*. &, *De descriptione quatuor præsidum Armenia*. nec non, *Vt omnes prouinciarum magistratibus obtemperent, siue de criminibus, siue de pecunijs agatur. Et vt cause illic examinentur nemine prorsus exempto per aliquod priuilegium, absque sacra pragmatica forma*. Estque generaliter vetitum vt nulli patriæ suæ administratio sine speciali permissu Principis permittatur. G. Audio. T. Item Prætores, vt Lycaoniæ, Thraciæ, Paphlagoniæ, Siciliae, qui tum quidem militaribus insignibus, tum autem ciuilibus, hoc est, vehiculo argenteo, securibusque, & fascibus vtuntur, vt demonstrant Nouellæ, *De prætore Lycaoniae*. *De prætore Paphlagonia*. *De prætore Thracia*. G. Intellego. T. Tum procuratores Cæsaris, vel rationales, qui licet propriè ad rem fiscalem pertineant, vices tamen præsidum nonnumquam sustinent, ad quos pertinet titulus Digestorum, *De officio procuratoris Cæsaris vel rationalis*. G. Teneo. T. Ad hæc iuridicus Alexandriæ, qui iuri dicundo ibi præerat, & in quibusdam moderatoris prouinciæ auctoritatem obtinebat, vt docent tituli Digestorum & Codicis, *De officio iuridici Alexandria*. *De officio iuridici*. Deinde rectores siue moderatores Arabiæ, & Helenoponti, qui & hermostæ Græcè dicuntur, vt videre licet sub Nouellis, *De moderatore Arabia*. *De moderatore Helenoponti*. G. Rectè. T. Porro comites Ægypti, Pontinæ dioceseos, Isauriæ, de quibus sunt tituli Codicis, & Nouellarum, *De Comitibus qui prouincias regunt*. *De Comite Isauria*. *De officio Comitis Orientis*. G. Probè. T. Item duces, qui vnà cum armis etiam reliqua munera in prouinciis sustinent, suosque habent magistrōs, officiales, domesticos, manipulates, & alios officiales, qui duciani vocantur. G. Scitè. T. Item correctores, qui non cum dignitate spectabili, sed ordinaria, prouincias regunt. G. Verum. T. Post biocolythi, qui ad vim prohibendam, & malos homines cohiben-

dos, in prouinciis degunt, coercendorumque maleficiorum potestatem habent. G. Sic est. T. Et denique vicarij, qui licet vicem nullius gerant, solo tamen vicarij nomine rebus præsunt; vt ostendit titulus Codicis, *De officio vicarij*.

De iureiurando, & officio rectorum prouinciæ.

TITVLVS X.

G. **D**E HINC de iureiurando, & officio rectorum prouinciæ quid ais? T. Iurandi formula elegantissima, & quæ totam ferè bene regendi gubernandique rationem continet, hæc est: Testor ego iurando omnipotentem Deum, & vnigenitum filium eius Deum nostrum Iesum Christum, & Spiritum sanctum, nec non sanctam & gloriosam Dei genitricem & perpetuè virginem Mariam, & quatuor Euangelia, quæ hisce manibus teneo, & sanctos Archangelos Michaelem & Gabrielem, quòd sacratissimis & pientissimis dominis nostris Iustiniano, & Theodoræ coniugi, potentia eiusdem existenti, occasione concessi mihi ab illorum pietate officij, puram conscientiam, & genuinum præstaturus sum seruitium. Quodque pro ipsorum imperio & republica, in concessio mihi ab ipsis officio, summa cum animi promptitudine, sine dolo, & absque fraude, omnem operam ac laborem subiturus sum. Et quòd cum sanctissima Dei Catholica & Apostolica Ecclesia communionem habeo, neque ei vlla vmquam in re aut modo aduersabor, neque (quantum in me erit) alicui alij permittam. Eodem iuramento testor, quòd neque occasione traditi mihi officij, neque per causam patrociniij, aut præstiti apud dominum suffragij, vlli omnino quidquam vel dedi, vel dabo, vel promisi, vel pactus sum ex prouincia mittere, vel mittam, siue gloriosissimi præfecti, siue alij celeberrimi viri cum potestate existentes, siue circa illos versari soliti, siue quisquam omnium: sed quemadmodum gratuitum officium suscepi, ita & erga pientissimorum dominorum nostrorum collectores integrum me & sincerum exhibebo, constitutis mihi ex publico annonis contentus. Ac præ omnibus sanè operam dabo, vt tributis diligenter incumbam, & in deuotos quidè, ac compulsionem indigentes cum omni vehementia exigam, in nullo eis cedens, neque omnino lucri captandi studio, vel per gratiam, vel odium, vltra quàm conuenit, siue petam ab aliquo, siue alicui remittam, deuotos autem paterno quodam affectu complectar. Et subditos pientiss. nostrorum dominorum (quantum in me erit) vndique noxa & damno liberos conseruabo. Atque æquum me vtrique parti, tam in disceptandis contouersiis, quàm tuenda disciplina publica, præbens, neutrae parti præter ius & fas addidusero, sed omnes delinquentes persequar, & æquitatem omni ex parte conseruabo, & prout mihi iustum videbitur. Simul in fontes, ne quid sentiant dispendij, tuebor, simul reis fontibus secundum leges irrogabo supplicium. Et (vt dictum est) tam in publicis quàm priuatis contractibus: præterea & si filio adferatur iniuria, iustitiam obseruabo. Neque ego ista tantum perficiam, sed etiam qui vmquam mihi assident, qui que circa me sunt, tales studebo assumere, vt non solus ego innocenter viuere, qui verò circa me sunt, rapere, & delinquere videantur. Si quis autem circa me talis inuenietur, præstabo quod ipse admisit, eumque abigam. Quòd si non omnia hæc, vt dixi, obseruauero, omnibus incommodis ero expositus, tam hinc quàm in futuro sæculo, in horrendo iudicio magni Domini Dei & saluatoris nostri Iesu Christi, habeboque partem cum Iuda, & lepram Giezi, & tremorem Cain, vltra hoc quòd etiam poenis lege eorum pietatis comprehensis ero obnoxius.] Hactenus Iustinianus sub Nouella, *Iurandum quod præstari solet ab his qui officia suscipiant*. G. Iam officium eorum in quibusnam consistit? T. In multis, de quibus supradictis titulis generaliter & specialiter traditur, & præter hæc sub Nouella, *Præcepta presidum*, siue, *De mandatis Principis*: quæ quidem omnia, vel ad ingressum pertinent in prouinciam, vel ad administrationem eius, vel ad egressum. G. In ingressu autem quidnam debet obseruari? T. Primum, quemadmodum habet Nouella, *Vt Presides absque vlla datione pecunie mittantur*: deinde vt non inopinatus veniat, sed præmissis edictis ad decessorem suum & prouinciales significet qua die ingressurus sit: tum vt per eam partem urbemque prouinciæ ingrediatur, siue terra, siue mari, qua id fieri solitum est: magni enim faciunt prouinciales, seruari sibi consuetudinem istam, & huiusmodi prærogatiuas. G. In administratione autem? T. Enimvero id tum quidem ad res ciuiles pertinet, tum autem ad res militares, tum verò ad res tamiacas. G. Ad res ciuiles quidnam pertinet? T. Vt pacata & quieta prouincia sit, maiorisque hominibus careat, vt celebriores quasque ciuitates prouinciæ obeat, ædes sacras, & opera publica circumeat, inspiciendi causa, an aliqua refectione indigeant; vt illicitas nego-

negociationes & concussiones prohibeat, pupillorum, viduarum, furiosorum, & omnium humiliorum curam gerat, vt in cognoscendis causis ordinem seruet, in adeundo facilem se præbeat, sed cum ingenio, ne contemptibilis videatur, appellationes recipiat, dubitantibus de iure respondeat, in omnibus denique morem prouinciæ, legesque & iura custodiat. Et quidem si aliter faciat, est Nouella, *Vt præsidēs qui interpellantium allegata audire differunt, compellantur id facere ab Episcopis. Et vt si quis præsidem suspectum habet, in cognitione litis adhibeat societq̄, etiam ciuitatis Episcopum. Item & qui à præside offensionem patiuntur & iniuriam, adeant ea de re Episcopum. Deq̄, alia cautela qua ab Episcopis omnino corroborari, fieri verò debet à præsidibus.* G. Ad militares autem? T. Vt præsidiorum & limitum curam agat, arces, clausuras, arma, & alia id genus sæpe inspiciat, milites prohibeat, ne quem iniuria afficiant, & angarias, aut lauacra indebitè exigant. G. Ad tamiacam denique? T. Vt publicos exactores ad officium compellat, vt aduersum possessores & collatores ius dicat, exactorum iniurias & concussiones prohibeat, cum plurimis aliis eiusdem generis, quæ supra scriptis locis latissimè describuntur, ac potissimum quidem in Nouella, *De præceptis præsidum. De prouinciarum præsidibus.* &, *Sacra forma de diuersis capitulis.* G. Præclare sanè. T. Atque vt his tractandis, ab omnibus sordibus rector prouinciæ absit, neque negociari licet in prouincia, neque vxorem ducere, neque donationes accipere, prout ostendit titulus Codicis, *De contractibus iudicum, vel eorum qui sunt circa eos, & inhihendis donationibus in eos faciendis, & ne administrationis tempore proprias ades adificent.* Et si quæras, Vnde igitur viuunt? sanè non ex alio, quàm quod illis tum quidem annonæ nomine præbetur pro se & suis, tum autem in singula capita animalium quæ nutriunt, vt demonstrat Rubrica Codicis, *De annonis & capit. administrantium, & eorum assessorum, aliorumve publicas sollicitudines gerentium, vel eorum qui aliquas consecuti sunt dignitates.* G. Nunc in egressu quid facere debet rector prouinciæ? T. Vt depositò magistratu per quinquaginta dies certo loco moretur, vt si quis de eo conqueri velit, administrationis suæ rationem reddat, quod à cautionalibus principiis, de quibus antè dictum est, proficiscitur. Suntque ea de re tituli Codicis & Nouellarum: *Vt omnes iudices tam ciuiles quàm militares, post administrationem depositam quinquaginta dies in ciuitatibus vel certis locis permaneant, & vt magistratus à deposita administratione quinquaginta dies commorentur in suis prouinciis, siue militarem, siue ciuilem functionem gesserunt.*

De vicariis & ministris rectorum prouinciæ.

TITVLVS XI.

G. **S**UPEREST de vicariis & ministris rectorum prouinciæ vt dicas. T. Enimvero quemadmodum aliquem habere possunt qui vicem eorum gerat, tam in iurisdictione exercenda, quàm in tutoribus & curatoribus dandis, & decretis interponendis, aliisque actibus iurisdictionis exercendis, vt ostendit titulus Codicis, *De officio eius qui vicem alicuius iudicis vel præsidis obtinet,* cum quo conuenit Nouella, *De Vicarijs seu locum tenentibus:* Ita contrà prohibitum est, ne ad certum aliquem locum, aut rem loci seruatorem mittat, vel latruncularem, vel biacolytham, qui vim prohibeat, vel apoplestam, qui arma prouincialibus adimat: qua de re est Nouella, *Vt nullam de catero licentiam dux aliquis aut cohibendis violentijs præpositus habeat ad utramque Phrygiam accedendi, aut quosdã sibi coniunctos eò dirigendi, vt aliquos cõprehendãt. Sed neque earum prouinciarũ incolæ ad eos qui tales magistratus in Lycœonia & item Lydia gerunt, decurrant, apudq̄, ipsos contra alios querelam instituunt, cum ciuiles magistratus abundè sufficiant ad huiusmodi emergentes casus persequendos.* G. Ministri eorum quinam sunt? T. Primùm assessores, domestici, protectores, cancellarij: de quibus est regula, ex eadem prouincia eos desumi non posse, nec de familia debere esse præsidis, nec diuersis magistratibus eos posse seruire, vt est sub titulo Codicis, *De assessoribus & domesticis, & cancellarijs iudicum.* Tum deinde officiales, qui partim cohortales sunt, & ea in quibus vi opus est obeunda: partim curiales ad forensia viliora negotia tractanda, ad quos pertinent Rubricæ Codicis, *De cohortalibus, & principibus cornicularijs, ac primipularijs, & primipilo:* tum apparitores, exsecutores, & similes; de quibus sunt tituli Codicis, *De apparitoribus præfectorum pratorio, & priuilegijs eorum. De apparitoribus proconsulis & legati. De apparitoribus comitis Orientis. De diuersis officijs, & apparitoribus iudicum, & probatorijs eorum. De exsecutoribus & exactoribus. De lucris aduocatorum, & concussionibus officiorum, seu apparitorum.* G. Intelligo. T. Planè præter omnes supradictos versantur etiam in prouinciis ad tributa exigenda, & alia negotia procuranda nonnulli alij, quos è schola agentium in rebus mitti, supra diximus, & tam palatinos, & principales, quàm Cæsarianos, & catholicianos vocari ostendimus.

De re municipali.

TITVLVS XII.

G. **O**ST Vrnicos ciuiles magistratus, & prouinciales, ordo postulat de municipalibus vt exponas. **T.** Nomen his est à municipiis quibus præfunt, haud aliter atque prouinciales magistratus prouinciis; nisi quòd iis quæ Imperij sunt, non se possunt immiscere. Ac sunt quidem hoc loco municipia omnes ciuitates quæ commune habent, & ius actorum conficiendorum, præter Romam. Atque vt verè, clarè, distinctèque procedamus, primùm de ordinibus municipalibus dicemus: tum de muneribus & honoribus municipalibus: deinde de magistratibus municipalibus: post de iure reipublicæ.

De ordinibus municipalibus.

TITVLVS XIII.

G. **R**DINES municipales quo pacto diuidis? **T.** Duobus modis. **G.** Dic primùm. **T.** Is est, quòd omnes qui in municipiis degunt, vel ciues sunt, vel incolæ, vel corporati, vel netrici, vt sub titulo Digestorum, *Ad municipalem, & de incolis*, & alibi videre licet. **G.** Ciues quos vocas? **T.** Qui omnium honorum & munerum ciuitatis sunt participes, vnde municipes vocantur. qui quidem aut originarij sunt, qui ciues nascuntur in vrbe, vel eius agro, de quibus est titulus Codicis, *De municipijs & originarijs*: aut allecti, qui in ciues assumuntur: aut per manumissionem adoptionemve effecti, qui à ciuibus manumittuntur vel adoptantur. **G.** Quos incolas? **T.** Qui domicilium dumtaxat in vna ciuitate, vel pluribus (nam hoc permittitur) habent. ac licet quidem ad honores non admittantur, onera tamen imposita subire coguntur; vt ostendit titulus Codicis, *De incolis, & vbi quis domicilium habere videtur, & de his qui studiorum causa in alia ciuitate degunt*. **G.** Quos corporatos? **T.** Qui alicuius in municipio sunt corporis, vt pistorum, suariorum, nauiculariorum, & similibum. de quibus supra nonnihil attigimus. **G.** Quos netricos? **T.** Qui iussu Principis, specie quadam seruitutis de vna ciuitate in aliam transferuntur: præter quos sunt aduenæ, qui in aliena ciuitate ad tempus solùm commorantur. **G.** Dic nunc de altera diuisione. **T.** Hæc est, quòd omnes municipes in honoratos distinguntur, decuriones, cohortales, & plebeios. **G.** Honorati qui sunt? **T.** Qui ab onere honorum ac munerum municipalium liberi in ciuitate degunt: veluti si quis senator fortè factus est, quem ipso iure à curia liberari placuit; adèd vt quemadmodum incolæ infra, ita honorati supra sint municipes. **G.** Qui decuriones? **T.** Qui ordinem ac curiam maiorem, vnde curiales dicuntur, in ciuitate tamquam senatum Romæ constituunt: vnde & patres ciuitatum, & curiales nonnumquam (nam sæpius in cohortibus hoc nomen ponitur) appellantur. Ac quamquam quidem in honore & dignitate sint constituti, & administratio ciuitatis apud illos potissimùm est, & decreta ea de re quotidie faciant; aliquid tamen conditionis & fortunæ seruilis sustinere videntur, adèd vt corpus ipsum decurionum ipsi siue liberis morientibus ex parte succedat. Ac fiunt quidem allectione, cum ad decurionatum quis nominatur, vnde & appellare licet, vel vltro à parte offertur, suoque ordine in albo inscribitur. Desinunt autem, partim per impetrationem libertatis à curia, partim per ademptam dignitatem senatoriam, partim ignominie causa ob vitium. De quibus omnibus sunt varij tituli, Pandectarum, Codicis, & Nouellarum. **G.** Qui sunt Pandectarum? **T.** *De decurionibus, & filijs eorum. De albo scribendo. De decretis ab ordine faciendis.* **G.** Qui Codicis? **T.** *De decurionibus, & filiis eorum, & qui decuriones habentur, & quibus modis à fortuna curia liberentur. Si seruus aut libertus ad decurionatum adspirauerit. De prædijs decurionum sine decreto non alienandis. Quando & quibus quarta pars debetur ex bonis decurionum, & de modo distributionis eorum. De decretis decurionum super immunitate quibusdam concedenda. Vbi quis de curiali, & cohortali, aliave conditione conueniatur. Si curialis relicta ciuitate rus habitare maluerit. De præbendo salario.* **G.** Qui Nouellarum? **T.** *De decurionibus. De decurionibus, vt accepta dignitate præfectoria tunc demum curia liberentur, cum in actu positam acceperint. De decurionibus, vt filijs suis decurionibus dodrantem relinquunt. De donatione mortis causa facta à decurionibus. Ne decurio aut cohortalis perducatur in ius, sistaturve iudicio citra iussionem Principis, qua insinuetur præfectis.* **G.** Nunc cohortales quinam sunt? **T.** Ex quibus cohortes militares in ciuitate constant, quæ

quæ curiam minorem constituunt, vt supradictis titulis est proditum. G. Plebeij verò? T. Qui nullum ex supradictis locum habent. & quidem vel honoratiores sunt, qui possessores vocantur, propterea quòd immobilia possident, & de suo viuunt: vel mediocres, qui de corporatorum, & collegiorum, decanorumquæ sunt numero; de quibus suprà dictum est: vel inferiores, coloni, & inquilini, quorum vita opera est, & in conducto viuunt; de quibus est titulus, *De deposito, & attestazione ad inquilinos facta, item de suspensione erogationis panum ciuilium.*

De muneribus municipalibus.

TITVLVS XIII.

G. **N**AM de muneribus municipalibus quid tractas? T. Quomodo diuidantur, imponantur, & qui ad ea teneantur. G. Quomodo diuiduntur? T. Primum in honores, qui in administratione reipublicæ cum dignitatis gradu, siue cum sumptu, siue sine erogatione consistunt: munera, quæ cum sumptu sine titulo dignitatis subeuntur: & functiones, quæ in onere alicuius rei præstandæ positæ sunt. quæ omnia ciuilia, siue publica munera vocantur. G. Intelligo. T. Deinde in munera personalia, quæ in persona, opera, & industria spectantur: censualia, quæ in patrimonij ac census modo & facultate: & corporalia, quæ solo corporis labore peraguntur, vnde & deportatoria appellantur. de quorum numero sunt angariæ, hoc est, deportationes dossuariæ, quæ ordinariæ sunt; & perangariæ, quæ extraordinariæ. G. Probè. T. Pòst in personalia munera, patrimoniorum, & mixta: quæ singula breuiter enumeranda sunt. G. Igitur personalia quæ vocas? T. Personalia, inquit Arcadius iurisconsultus, sunt, quæ animi prouisione, & corporis labore, intentione, sine aliquo gerentis detrimento perpetrantur, velut tutela vel cura. Calendarij quoque, hoc est, rationum ciuitatis curatio & quæstura in aliqua ciuitate inter honores non habetur, sed personale munus est. Tyronum, qui Principi præstantur, siue equorum productio, & si quæ alia animalia necessariò producenda, vel res prouehendæ siue persequendæ sunt, vel pecuniæ fiscalis, siue annonæ, vel vestis, personæ munus est. Cursus publici vehicularis sollicitudo, item angariarum (quæ corpore fiunt) præbitio, personale munus est. Cura quoque emendi frumenti, olei, nomine ciuitatis ipsius (nam harum specierum curatores, quos *ἐλαυώτας* appellant, creati moris est) inter personalia munera in quibusdam ciuitatibus numeratur; & item calefactio publici balnei, si ex redditibus ciuitatis curatori pecunia subministratur. Sed & cura custodiendi aquæductus, personalibus muneribus aggregatur. Irenarchæ quoque, qui disciplinæ publicæ, & corrigendis moribus præficiuntur, & qui ad faciendas vias eligi solent, cum nihil de proprio patrimonio in hoc munus conferant, personale munus subire dicuntur. Item episcopi, qui præsunt pani, & cæteris venalibus rebus quæ ciuitatum populis ad quotidianum victum vsui sunt, personalibus muneribus funguntur. Qui annonam publicam suscipit, vel exigit, vel erogat, & exactores pecuniæ per formam capitationis, personalis muneris sollicitudinem sustinent. Sed & curatores qui ad colligendos redditus publicos eligi solent, personali muneris subiunguntur. Hi quoque qui custodes ædium publicarum sunt, vel archiothæ, quæ archiuum ciuitatis custodiunt; vel logographi, qui rationes scribunt; vel tabularij, qui subducunt rationes; vel xenoparochi, qui publicos hospites nomine reipublicæ in epidimiticis, hoc est, in muris, portis, ac turribus, aliisque locis publicis recipiunt, vt in quibusdam ciuitatibus fit; vel liminarchæ, qui portui præsunt; vel curatores, qui ad exstruenda vel reficienda ædificia publica, siue palatia Principis, siue naualia clasfis, vel mansiones siue stationes publicè destinantur, si tamen pecuniam publicam in operis fabricæ erogent, non autem suam; & qui faciendis, vel reficiendis nauibus, vbi vsus exigit, præponuntur, muneribus personalibus adstringuntur. Camelasia quoque, siue camelorum publicorum curatio similiter personale munus est: nam ratione habita & alimentorum, & camelorum, certa pecunia camelariis dari debet, vt solo corporis ministerio obligentur. hos ex albi ordine vocari, nec vlla excusatione liberari, nisi sola læsi & mutili corporis infirmitate, specialiter est expressum. Legati quoque qui ad sacrarium Principis mittuntur, quia viaticum, quod legitimum dicitur, interdum solent accipere; sed & nyct ostrategi, qui nocturnas excubias armati agunt; & pistrinorum curatores, personale munus ineunt. Defensores quoque, quos Græci syndicos appellant, & qui ad certam causam agendam vel defendendam obligantur, laborem personalis muneris aggrediuntur. Iudicandi etiam necessitas, cum quis iudex à magistratu datus est, inter munera personalia habetur. Si aliquis fuerit electus vt compellat eos qui prope viam possident

fident sternere viam, personale munus est: pari modo qui accipiendis siue suscipiendis censuibus possessionibus destinantur, ad personalis muneris sollicitudinem animum intendunt. Malthigophori quoque, siue flagelliferi, qui agonothetas in certaminibus comitantur, & scribæ magistratus personali muneri seruiunt. G. Iam patrimonialia munera quænam sunt? T. Patrimoniorum, inquit idem Arcadius, sunt munera quæ sumptibus patrimonij & damnis administrandis expediuntur. Elemptoria & ospaturæ apud Alexandrinos patrimonij munus existimantur, dum scilicet, imminente caritate annonæ, quisque ex ditioribus ciuibus certum modum olei, frumenti, vini suis sumptibus comparare iubetur. Susceptores quoque vini per prouinciam Aphricam patrimonij munus gerunt. Patrimoniorum munera duplicia sunt: nam quædam ex his muneribus, possessionibus, siue patrimoniis indicuntur, veluti agninales, siue curiales equi vel mulæ, & angariæ atque veredi. huiusmodi igitur obsequia, & hi qui neque municipes, neque incolæ sunt, agnoscere coguntur: sed & eos qui scenus exercent, etsi veterani sunt, tributiones eiusmodi agnoscere debere rescriptum est. Ab huiusmodi muneribus, neque primipilares, neque veteranus, aut miles, aliusque qui priuilegio aliquo subnixus est, neque Pontifex excusatur. Præterea habent quædam ciuitates prærogatiuam, vt hi qui in territorio earum possident certum quid frumenti, pro mensura agri per singulos annos præbeant. quod genus collationis, munus possessionis est. G. Quæ tandem sunt mixta? T. Mixta munera secundum eundem Arcadium sunt decaprotiæ, & icosaprotiæ, vt Herrenius Modestinus & notando & disputando bene & optima ratione decreuit. Nam decaproti, & icosaproti (qui decem primi, & viginti primi sunt) tributa exigentes, & corporale ministerium gerunt, & pro nominibus defunctorum, fiscalia detrimenta resarciunt, vt merito inter mixta hoc munus numerari debeat: sed ea quæ supra personalia esse diximus, si hi qui funguntur ex lege ciuitatis vel more etiam de propriis facultatibus impensas faciant, vel annonam exigentes, desertorum prædiorum damna sustineant, mixtorum definitione continebuntur. Hæc omnia munera, quæ trifariam diuisimus, vna significatione comprehenduntur. Nam personalia, & patrimoniorum, & mixta munera ciuilia seu publica appellantur. Hæc hæctenus. Ad quæ quidem pertinent tituli Pandectarum & Codicis, *De muneribus & honoribus. De legationibus. De honoribus & muneribus non continuandis inter patrem & filium, & de interuallis. De muneribus patrimoniorum. De Irenarchis. De aquaductibus.* G. Iam quomodo imponuntur hæc munera? T. Per nominationem, cum vir virum nominat: vbi ratio habenda est, vt potiores ad munera nominentur, & gradatim honores deferantur, & si qui sunt grauati per appellationem, iuuentur, cum aliis nonnullis. de quibus sunt tituli Codicis, *Quemadmodum ciuilia munera indicantur. De his qui sponte munera publica subeunt. De potioribus ad munera nominandis. Si propter inimicitias creatio facta sit. Si post creationem quis decesserit. Ne quis liber actum reipublica iniustus gerere cogatur.* G. Qui tenentur ad hæc munera? T. Omnes etiam milites, & mulieres, nisi qui fortè vel ius immunitatis habeant, vel iustam excusationem, aut ius vacationis. Ius immunitatis competit nauiculariis, maioribus septuaginta annis, negociatoribus, qui annonam vrbs adiuuant; colonis Cæsaris, & aliis similibus: & si immunitates generaliter tributæ sint eo iure vt ad posteros transmittantur, in perpetuum succedentibus durant. Excusationem præstant ætas, morbus, numerus liberorum, paupertas, professio, artificium, & si qua sunt alia eiusdem generis. Vacationem dant antea acta munera, tam municipalia quàm athletica, neque non militaria, non minùs literatæ quàm armatæ militiæ: cui accedit, quòd nonnulli, etiam si velint, ad honores & munera non admittantur, vt criminosi, rei, & alij. de quibus omnibus sunt tituli Pandectarum & Codicis: *De vacatione & excusatione munerum. De iure immunitatis. De his qui à Principe vacationem acceperunt. De excusationibus. De quibus muneribus vel præstationibus nemini se liceat excusare. Qui ætate vel professione se excusant. Qui morbo se excusant. De his qui numero liberorum, vel paupertate excusationem meruerunt. De professoribus, & medicis. De athletis. De his qui non impletis stipendijs sacramento soluti sunt. Quibus muneribus excusantur hi qui post impletam militiam, vel aduocationem, per prouincias suis commodis vacantes commorantur, & de priuilegijs eorum. & De conductoribus vectigalium fisci. De libertinis. De infamibus. De reis postulatis. De his qui in exsilium dati, vel ab ordine remoti sunt. De filijs familiarum: & quemadmodum pro his pater teneatur. De periculo successorum parentis. De mulieribus, in quo loco munera sexus congruentia, vel honores agnoscant. De excusationibus artificum.* Pertinent huc quoque Nouellæ: *Ne Iudæi, Samaritani, & hæretici, per causam religionis, & cultus sui, curiali fortuna liberentur; sed cum curialibus minoribus subdantur, priuilegijs eorum non perfruantur. Item vt ydem possint*

sint contra orthodoxas, qui curiali fortuna subditi sunt, testimonium dicere, ut qui praeclare pro orthodoxa republica testimonium perhibeant. De deposito, & attestazione inquisitis facta, item de suspensione erogationis panum civilium.

De magistratibus municipalibus.

TITVLVS XV.

G. **S**EQVITVR de magistratibus municipalibus vt dicas. T. Enimvero magistratus municipales, de quibus est titulus Codicis, *De magistratibus municipalibus*, sunt duumviri, primates, ædiles, curatores reipublicæ, & qui supra omnes est, defensor ciuitatis. G. Qui sunt duumviri? T. Qui duumviratum (qui & duumvirilitas dicitur) in ciuitate gerunt, qui magistratus supremus ferè est in municipiis, ita vt ad similitudinem consulum fascibus vtantur, sed ita tamen, vt nullam partem imperij exercere possint. Ac cum omnibus magistratibus secundum ius potestatis suæ concessum sit, iurisdictionem suam defendere pœnali iudicio; solis duumviris hoc denegatum est, vt est sub titulo Pandectarum, *Si quis ius dicenti non obtemperauerit*. G. Qui primates? T. Qui & summates appellantur, proximi post duumviro, qui litibus iudicandis præsumt, & Alexandria quinque sunt numero: estque hoc vtrisque commune, vt ius habeant actorum conficiendorum. G. Qui ædiles? T. Ædiliam idem munus est in municipiis, quod est Romæ, & omnino sartorum rectorum, & rerum venalium curam gerunt. G. Qui curatores reipublicæ? T. Qui & Logistæ vocantur, ab eo quod rationibus, & pecuniis reipublicæ præsumt, quemadmodum Romæ quæstores. G. Intellego. T. Ac cum hi quidem magistratus reipublicæ magis quam Principis rem gerant, qui sequitur, defensor siue pater ciuitatis, habens tutelam plebis, & decurionum, & reliquorum omnium qui in municipio degunt, quos patrocinio suo, & iudiciis tam civilibus quam criminalibus (his enim ipse præest) tueri debet, ne aut litibus temere vexentur, aut furtis, aut latrocinis, aliisque sceleribus opprimantur, aut denique ramiacorum improbitate exspolientur. Eligitur non ex decurionum quidem, aut cohortalium corpore, sed ex reliquis honoratioribus ciuitatis: etenim ita ordinatur, vt sacræ orthodoxæ religionis imbutus mysteriis reuerendissimorum Episcoporum, nec non clericorum, & honoratorum, ac possessorum, ac curialium decreto constituatur: de quorum ordinatione refertur ad illustrissimam Prætorianam potestatem, vt literis eiusdem magnificæ sedis, eius solidetur auctoritas. Nec verò perpetua hæc est dignitas, sed durat biennium; quo exacto, ad aliam transitur familiam, vt inde defensor eligatur. Placuit enim hoc munus ornatioribus cuiusque ciuitatis ordine, & in circulum deferri. Post municipales magistratus sunt qui in pagis & vicis rem gerunt, & tributa potissimum exigunt: suntque vicaneorum causa potissimum excogitatæ nundinæ, vt res suas in ciuitatem deferant, ibique distrahant, & necessaria emant, vt ostendit titulus Pandectarum, *De nundinis*. solentque in his rebus ferè interuenire proxenetæ, vt videre licet sub titulo Digestorum, *De proxenetis*.

De iure reipublicæ.

TITVLVS XVI.

G. **R**ELIQVVM est de iure reipublicæ vt exponas. T. Id verò partim in toto corpore spectatur, partim in personis publicis, & partim in rebus. G. In toto corpore quonam modo? T. Quoniam respública pro pupilla semper habetur, & tamquam minori ei succurritur: & si quid contra eam indefensam factum est, pro nullo habetur: debetque diligens ratio haberi, vt res eius bene administrantur. quæ de re est titulus Pandectarum, *De administratione rerum ad ciuitatem pertinentium*. G. Quomodo in personis publicis? T. Nam si quid malè ab iis administratum est, eo nomine non ipsi modò tenentur, sed & nominatores eorum, & fideiussores, & collegæ: vt ostendunt diuersi tituli Codicis, *De rationis operum publicorum. De sumptuum recuperatione. De periculo nominatorum. De periculo eorum qui pro magistratibus interueherunt. Quo quisque ordine conueniantur. Sumptus iniuncti muneris ad omnes collegas pertinere. De his qui ex officio quod administrarunt conueniantur*. G. In rebus autem? T. Enim omnes res ciuitatis vel sunt mobiles, quæ aut in nominibus consistunt, aut in horreis publicis asseruantur, aut in cimeteriis siue thesauris: vel soli, quæ aliæ quidem in pecunia populi habentur, vt prata, filuz,

siluz, & alia vnde fructus percipitur: alia in vsu, vt basilica, forum, porticus, & alia opera publica: de quibus sunt tituli Codicis, *De operibus publicis. De edificijs priuatis.* Estque tantus eorum fauor, vt si quis in eo vel nudo pacto aliquid pollicitus sit, eo nomine teneatur, vt habet titulus Digestorum, *De pollicitationibus.*

De re militari.

TITVLVS XVII.

G. **A**SOLVISTI partem illam magistratum publicorum quæ ciuilia negotia curat: nunc age, si placet, ad magistratus militares, siue rem militarem transi, de qua sunt tituli Pandectarum & Codicis, *De re militari.*
T. Equidem huius rei tanta ratio habetur, ad tumultus & seditiones vitandos, vt secundum Nouellam, *De armis*, non aliquis quàm solus Princeps arma tractet, fabricet, ac custodiat, &, secundum titulum Codicis, *Vt armorum vsus inscio Principe interdictus sit.* De qua quidem re vti ordine dicamus, primum de militia exponemus, tum de exercitu, post de militum differentiis & iure, & denique de his qui gratia militum sunt. Atque hæc quidem quatenus iure ciuili proditum est, non amplius, nam id solum nunc profitemur.

De militia, & eius speciebus.

TITVLVS XVIII.

G. **M**ILITIAM quo pacto describis? **T.** Enim militæ nomen à mollitie deductum esse Iurisconsultus ait, id est, à duritie quam milites pro nobis sustinent, siue à malo quod arcere solent, aut à numero mille hominum.
G. Quomodo autem diuiditur militia? **T.** In prætorianam siue palatinam, limitaneam, & castrensem. **G.** Quæ est prætoriana? **T.** Quæ ad Principis prætorium & palatium pertinet, ac communiter quidem vndecim scholis, siue prætorianis cohortibus constat, ad excubias nocturnas & diurnas agendas, sed nonnumquam, pro rerum ac temporum necessitate, integras habent legiones; quæ, quia Principem comitantur, illique præsentis apparent, comitatenses & præsentales dicuntur. **G.** Quæ limitanea? **T.** Eorum qui ad limites prouinciarum, vt Illyrici, & Thraciarum, collocantur, vnde & milites ipsi limitanei appellantur; & fundi, limotrophi, ex quibus milites limitanei aluntur. Qui quidem milites, etiam ripenses appellantur, à ripis fluminum ad quas siti sunt; & castellani, à castellis in quibus degunt; & inquilini castrorum, si fortè perpetua castra disposita habeant, vt sub titulis Codicis, *De venatione ferarum. &, De fundis limotrophis, & terris, & paludibus, & pascuis, & limitaneis, & castellanorum,* apparet, nec non, *Delictorum & itinerum custodia.* **G.** Quæ castrensis? **T.** Quæ re ipsa contra hostes geritur: inde dicta, quod castris collocandis, & huc & illuc transferendis administratur, vnde & castrense peculium, & præfecti, & præpositi castrorum nomen habent. pertinentque huc maximè quæ iam tractare instituimus, item Nouella, *De transitu militum.*

De exercitu, & eius partibus.

TITVLVS XIX.

G. **Q**UID? de exercitu quid ais? **T.** Sanè describitur vniuersa militia, exercitu, cui ab exercendo nomen esse Iurisconsultus prodidit. Ac est quidem exercitus, inquit Vlpianus, non vna cohors, neque vna ala, sed numeri multi militum. Nam exercitui præesse dicimus eum qui legionem vel legiones cum suis auxiliis ab Imperatore commissas administrat.
G. Quibus autem constat vniuersus exercitus? **T.** Auxiliariis copiis, & legionariis.
G. Quæ sunt copię auxiliares? **T.** Amicorum & foederatorum populorum; qui rem Romanam comiter iuuant, quos tam ordinibus quàm optionibus leges nostræ distinguunt. Nam ordines sunt eorum qui ad rem gerendam certis numeris sunt descripti: optiones vero, qui aliis (vt inquit Vegetius) ægritudine præpeditis, tamquam adoptati eorum sunt, atque vicarij. **G.** Qui sunt milites legionarij? **T.** Qui ex ipso populo Romano electi, & certis legionibus (quæ à legendo nomen habent) distincti sunt. Atque hæc quidem legiones, præterquam quod suis quæque nominibus nentur, vt primæ, secundæ, tertie, adiu-

adiutricis, tum tribus generibus militum, ut plurimum constant, equitum, peditum, & classicorum. Equitum alia dicuntur, ab eo quod ad similitudinem alarum ab utraque parte protegant acies, quæ & vexillationes vocantur à velo, quia velis, hoc est, flammulis utuntur. Peditum certæ sunt cohortes, quæ & signa dicuntur, & numeri: suntque in his contubernia, à quibus milites, qui eiusdem sunt contubernij, contubernalis appellantur. Classici à classe nomen habent: qui quidem tamen in omni legione non sunt, vel maxime tamen pertinent ad rem militarem, unde Ulpianus, Item nauarchos, inquit, & trierarchos classium, iure militari testari posse, nullæ dubitatio est. Planè in classibus omnes remiges, & nautæ milites sunt, item vigiles. G. Rectè. T. Præter supradictos sunt alij milites, qui in nulla legione sunt, sed in cohortibus tantum & numeris, quales sunt Romæ cohortes urbanae, & custodes nocturni, qui omnes longè inferiore loco, quàm legionarij habentur.

De militibus, & eorum differentiis.

TITVLVS XX.

G. **D**E militibus exspecto ut dicas. T. Milites sunt, qui ab Imperatore probati, sacramento militari præstito, in numeros relati sunt, & cingulum militare acceperunt. Estque de illis titulus Nouellarum, *De militibus*. G. Quomodo diuiduntur? T. In eos qui præfunt, & qui parent. G. Qui sunt qui præfunt? T. Hi alij generalem curam habent, alij specialem. G. Qui habent generalem? T. Primum dux exercitus, quem & comitem vocant, & rectorem, & præsidem: qui quidem tamen summum habeat Imperium, adeo ut pacisci quibusdam de rebus cum hoste possit, in ea tamen causa est, ut ab Imperatore vel ignominia causa, si mereatur, mitti possit, etiam si consularibus insignibus utatur. Officium autem eius describit Macer Iurisconsultus sub titulo Digestorum, *De re militari*, his verbis Officium regentis exercitum non tantum in danda, sed etiam in obseruanda disciplina consistit. Paternus quoque scripsit, debere eum qui se meminerit armato præesse, pacissime comitatum dare, equum militarem extra prouinciam duci non permittere. Ad opus priuatum, piscatum, venatum, militem non mittere: nam in disciplina Augusti ita cauetur: Et si scio fabrilibus operibus exercere milites non esse alienum, vercor tamen, si quidquam permisero, quod in usum meum autuum fiat, ne ritodus ea in re non adhibeatur, qui mihi sit tolerandus. Officium tribunorum est, vel eorum qui exercitui præfunt, milites in castris continere, ad exercitationem producere, clauis portarum suscipere, vigiliis interdum circuire, frumentationibus militum interesse, frumentum probare, mensuram fraudem coercere, delicta secundum suam auctoritatis modum castigare, principis frequenter interesse, querelas commilitonum audire, valetudinarios inspicere. G. Qui sunt qui specialem curam habent in exercitu? T. Hi sunt, qui certis rebus præponuntur, ut iudices militares, conseruatores exercitus, delegatores, & qui ad ducendum, reducendum, aut legendum militem mittuntur. de qua re est Nouella, *De transitu militum*. G. Rectè. T. Sunt quoque qui certæ parti exercitus præfunt, ut præfecti, & tribuni legionis, centuriones, principes, siue principia, & alij ad genus. Ex quibus inter centuriones sunt nonnulli qui principiales siue primipili dicuntur. Nam vetus consuetudo tenuit, inquit Vegetius, ut ex primo principe legionis promeretur centurio primipili, qui non solum aquila præerat, verum etiam quatuor centurias, hoc est, quadringentos milites, in prima acie gubernabat: nec verò rerum militarium cura dumtaxat ad eum pertinet, sed & armorum, & in his pecuniarum, quæ ad signa à militibus veteri more deponuntur, ad quem spectat titulus Codicis, *De primipilo*. Ac tradit quidem veterem rationem deponendi Vegetius his verbis: Illud verò ab antiquis diuinitus institutum est, ut ex donatiuo quod milites de se quantum, dimidia pars sequestraretur apud signa, & ibidem ipsis militibus seruetur, ne per luxum, aut inanium rerum comparationem à contubernalibus possit absumi. Plerique enim homines, & præcipue pauperes, tantum erogant, quantum habere poterint. Sepositio enim ista pecuniarum, primum istis contubernalibus docetur accommodari (nam cum publica sustentantur annona, ex omnibus donatiuis augetur eorum pro medietate castrense peculium) Miles deinde qui sumptus suos scit apud signa depositos, de deferendo nihil cogitat, magis diligit signa, pro illis fortius in acie dimicat, more humani ingenij, ut pro illis habeat maximam curam, in quibus suam videt positam esse substantiam. Denique decem folles, hoc est, decem sacci, per cohortes singulas exponebantur, in quibus hæc ratio condebatur. Addebatur etiam saccus vndecimus, in quem tota legio particulam

ticulam aliquam conferebat, sepulturæ scilicet causa, vt si quis ex contubernalibus defecisset, de illo vndecimo sacco ad sepulturam eius promeretur expensa. hæc ratio apud signiferos (vt nunc dicunt) in cophino seruabatur. Et ideo signiferi non solum fideles, sed & literati homines eligebantur, qui & seruaret deposita, & de singulis scirent reddere rationem.] G. Restat de iis qui parent vt dicas. T. Hi alij sunt tyrones, veterani alij, & alij simplici nomine milites. Tyrones sunt, qui ad vitam & rem militarem erudiuntur & exercentur, stigmatibus notati vt dignoscantur. Nam quemadmodum alia tributa & vectigalia, ita & tyrones præbere quidam prouinciales tenentur: quod pertinent tituli Codicis, *De tyronibus. & De prabitione tyronum.* Veterani sunt milites emeriti, qui iustum stipendiorum siue annorum militiæ numerum peregerunt, suaque ob id habent varia ac diuersa priuilegia, vt sub titulis Digestorum & Codicis, *De veteranis*, videre licet. Milites vocamus medios inter vtrosque, qui onus ipsum militiæ sustinent, & partim quidem principes sunt, & eximij, de quibus modò dictum est; partim autem gregarij, in quibus sunt & caligati.

De iure militum.

TITVLVS XXI.

G. AM iura militum in quibus ponis? T. In his qui militare possunt, vel non; in stipendiis, priuilegiis, delictis, & missionibus militum. G. Qui possunt militare? T. Qui non prohibentur. prohibentur autem negotiatores, causidici, coloni, rei criminis, eunuchi, hæretici, & id genus alij. Nam haud minimam partem ciuilis prudentiæ esse, scire quæ hominum genera quibus rebus conueniant, tu suprâ docuisti. suntque hac de re tituli Codicis, *Qui militare possint, vel non: & de seruis ad militia dignitatem aspirantibus, & vt nemo duplici militia, vel dignitate & militia simul utatur. Negotiatores ne militent.* G. De stipendiis quid ais? T. Hæc quatenus ordinaria sunt, partim in pecunia consistunt, partim in speciebus, vt in veste militari, capite equarum, cui & caballationis nomen est, veluti si fœnum & hordeum in singula equorum capita detur, & annona, cuiusmodi sunt buxellatum, panis, vinum, acetum, caro: quæ quidem species, aut ipsæ præstantur, aut adæratæ, hoc est, pecunia æstimatæ, vnde & æraria annona dicitur. Extraordinaria autem stipendia, siue solatia sunt donatiua Principum, cœnatica prouincialium, & salgamum, quo nomine continentur omnia quibus ad cibum coquendum & condiendum opus est. Quæ autem à militibus ad præfectos honoris causa mitti solent, stellaturæ vocantur. Pertinentque huc tituli Codicis, *De erogatione militariæ annona. De excoctione & translatione militariæ annona. De militari veste. De salgamo hospitibus non præbendo. Ne rei militariæ comibus vel tribunis lanæ præstentur.* G. Priuilegia in quibus consistunt? T. In iure postliminij, castrensi peculio, testamento militari, restitutione in integrum, fori præscriptio-pibus, successionibus, fauore liberorum, & his similibus, quæ cum iure priuato commodius tractantur. de quibus tituli Digestorum & Codicis sunt, *De captiuis, & postliminio reuersis, & redemptis ab hostibus. De castrensi peculio. De militari testamento. De restitutione militum, & eorum qui reipublicæ causa absunt. In quibus causis militantes fori præscriptione usi non possunt. De veteranorum & militum successionibus. De filijs officialium militarium qui in bella marinantur. De castrensi peculio militum, & præfectis annona.* G. De delictis quid ais? T. Cum plurima sint delicta omnibus communia, tum quædam sunt militum propria, vt emansorem esse, transfugam, absentem sine comæatu, desertorem. de quibus omnibus sunt tituli Codicis, *De desertoribus, & occultatoribus eorum. & De comæatu.* G. De missione denique quid? T. Ea vel honesta est, post emerita stipendia, vel necessaria ob valetudinem; vel ignominiosa, ob vitium, quæ etiam detractis insignibus militatibus, aliquando fit per exautorisationem. Sed & quartum est genus missionis, si quis euitandorum munerum causa militiam subisset, quæ quidem missio estimationem non lædit. Pertinetque huc titulus Codicis, *De iis qui non impletis stipendijs sacramento soluti sunt.* Nec non Nouella, *Vt neque miles, neque federatus obseruetur domui primatæ aut possessioni alicuius.* Item *De militibus*, non detinendis scilicet.

De his qui gratia militum sunt.

TITVLVS XXII.

G. **Q**UANTUM ad gratiam militum quoniam sunt. T. Primum fabricenses, qui, ut habet titulus Codicis, *De fabricensibus*, signatibus notati, armis fabricandis, & in armamentariis custodiendis, præsumt cum quibus numerantur balistarii, sagittarii, ærarii, bucnilarum structores, carpentarii, peliones, sic dicti à poliendis armis. G. Intellego. T. Deinde medici, qui in exercitu medicinam faciunt; cum quibus & veterinarii numerantur, qui equos curant. G. Redde. T. Tum metatores, qui castra dimetiuntur; & epidimitici, qui per muros & turres civitatum milites hospitij causa disponunt, ut ostendit titulus Codicis, *De metatis & epidimiticis*. G. Probe. T. Post erogatores militaris annonæ, qui & epinatores, hoc est; æstimatores suos habent, & delegatores, qui quantum dandum sit, per pietatis sua designant, prout titulo Codicis, *De erogatione militaris annonæ*, prædicitur. G. Puleher. T. Ad hæc librarii, siue scribæ horreorum, depositorum, caducorum, & cornicularij, qui scribæ sunt commentariensium carcerum. G. Audio. T. Et ad postremum præcones, qui voce in exercitu, & buccinatores, qui buccina seruiunt, & id genus alij, qui ab exercitu abesse non possunt.

De re tamiaca.

TITVLVS XXIII.

G. **D**IXISTI de ciuilibus magistratibus, dixisti de militaribus: quid tamen aliud restat, quàm de tamiacis, uti nunc tractes? T. Non aliud, certe, & quidem, uti res ciuilis ad iustitiam in rempublicam inducendam pertinet, militaris ad libertatem eius defendendam: ita hæc tamiaca, in rebus ad vitam necessariis consistit, unde & nomen ipsum, deductum est. G. Benedicis. T. Ac quamquam quidem omnis pecunia publica (in qua neruum Imperij Iurisconsulti esse aiunt) partim populi sit, cuius proprie dicitur ærarium; partim Principis, cuius est fiscus (quæ tamen nomina subinde confunduntur) nos de re Principis, qui caput est vniuersæ reipublicæ, dumtaxat agemus. Atque vniuersam quidem tractationem ita distribuemus, ut vnum caput rei priuatæ, in quo fisci nomen proprie ponitur, constituamus: alterum verò sacrarum largitionum, siue thesaurorum, nam hæc summam totius rei tamiacæ diuisionem esse, supra demonstratum est. Ac de singulis quidem quidnam sint, quomodo administrantur, & quos magistratus habeant, explicabimus.

De re priuata.

TITVLVS XXIIII.

G. **Q**UANTUM ad rem priuatam quam vocas? T. Quæ propria est Principis & Augustæ, unde & patrimonium Principis, & fisci, & res canõne patrimonialis, & Cæsaris, & dominica, & diuinæ augustæque domus vocatur, inter quæ quidem tamen tenues quædam sunt differentie, omnes tamen ad vnam summam redeunt. Ad quæ omnia generaliter pertinet titulus Digestorum & Codicis: *De iure fisci. De priuilegijs fisci*. G. In quibus autem consistunt res priuatæ? T. Partim in superficialibus, cuiusmodi sunt domus, ergasteria, palatia; partim in iis quæ soli sunt, ut terra, fundi, paludes, alluuiiones, pascua; & partim in animalibus, cuiusmodi sunt greges, equique dominici. De quibus omnibus, & eorum iure & priuilegijs sunt tituli Codicis, *De priuilegijs diuinæ domus augustæ, vel rei priuatæ. & quarum collationum excusationem habent. De palatijs, & domibus dominicis. De pascuis publicis & priuatis. De fundis patrimonialibus, & saltuensibus, & emphyteusicis, & earum conductoribus. De collatione fundorum patrimonialium, & emphyteusicorum. De fundis rei priuatæ, & saltibus diuinæ domus. De fundis & saltibus rei tamiacæ. De collatione fundorum fiscalium, vel rei priuatæ, vel dominicæ, vel ciuitatum, vel templorum. De cupressis ex loco Daphnensibus, vel Perseus per Aegyptum non excidendis, vel vendendis. De grege dominica*. G. Probe. T. Et quidem qui istis agris colendis præsumt, vel liberi sunt, qui agricolæ & conductores fiscales appellantur, & tributarij à tributo quod pendunt, vel serui, & mancipia fiscalia, quæ alia censibus adscripta sunt, alia non sunt; vel medio quodammodo

T

inter

inter vtrumque genus, qui coloni propriè, vel coloni patrimoniales vocantur. Quos quidem nonnullos videas originarios, qui ita nati ortique sunt, nonnullos verò colonarios, qui per contractum, qui ob id colonarius dicitur, in eam se conditionem dederunt; alios autem adscriptitios, qui vnà cum gleba in censum relati, vel tamquam censibiles annotati sunt, vnde & censiti nominantur, siue illi agri colendi causa tibi sunt, siue vt rationibus fundi præsent. Ac elocantur quidem fundi patrimoniales, vel per simplicem contractum locationis & conductionis, vel per emphyteusim, siue perpetuarium contractum (nam parum aut nihil inter vtrumque interest) vel cum iure priuato penitus transferuntur. Quod fit vel saluo canone annuo, qui facit vt tributarius fundus dicatur, vel sine canone, cum nihil aliud quam agnitio directi dominij deberet. De quibus omnibus & eorum iure ac privilegijs, sunt tituli Codicis, *De agricolis, & censitis, & colonis. In quibus casibus coloni & censiti dominos accusare possunt. De colonis Padoisimis. De colonis Thruactensibus. De colonis Allyricanis. Pertinet ad suum patrocinium suscipiat rusticanos, vel vicos eorum. Ne rusticani ad vllum obsequium euocentur, Non licere habitatoribus metropolitana loca sua ad vtrumque transferre, Et nullus ex vicaneis pro alienis vicaneorum debitis teneatur. De fidei commissarijs, & saluensibus, & emphyteuticis, & eorum conductibus. De mancipijs, & colonis patrimonialium, & saluensium, & emphyteuticorum fundorum. De fugitiuis, & patrimonialibus, saluensibus, & emphyteuticis. De agricolis & mancipijs dominicis, & fiscalibus rei publica vel priuata. De pradijs tamiacis, & his qui ex colonis tamiacis, alijsq; libera conditionis procreantur. De locatione pradiorum civilium, vel fiscalium, siue templorum, siue rei priuata vel dominica. Quibus ad conductionem pradiorum fiscalium accedere non licet. Pertinentque huc Nouellæ: Vt nullus mutuanus agricola teneat eius terram, & nullum credentem agricola tenere eius terram, & quantum debeat vsurarum dare. Constitutionem qua ex adscriptiis & libera natos liberos esse vult, non is qui ante constitutionem nati sunt, sed qui post constitutionem, prodesse, & vt ne venerabiles domus commutationes faciant, ad inuicem immobilium rerum ecclesiasticarum decreto prius interposito, excepta huc maiori ecclesia. G. Rectè. T. Iam ea quæ à colonis aliisque præstantur, in diuersis consistunt functionibus, siue præstationibus. Ex quibus vna est capitum, quæ animalis vtilitatis, & præbitione constat pecorum: altera frugum, quæ ob id frumentaria dicitur, & terrana: & tertia pecuniæ, quæ auraria appellata est. G. Intelligo. T. Porro & illud scitu dignum est, nomina quæ rebus hisce priuatis imponuntur, ab vsu ferè duci cui destinata sunt. nam Limitrophi fundi sunt, ex quibus limitanei milites aluntur: Tamiaci, qui ad ætarium Principis pertinent: Agonotheici, qui sacris certaminibus sunt destinati: Templorum, qui rei diuinæ sunt addicti: Castrorum, ex quibus castellanis militibus necessaria administrantur, & si qua sunt alia his similia. vt ostendunt tituli Codicis: *De fundis limitrophis, & terris, & paludibus, & pascuis, & limitaneis castellorum. De diuersis pradijs urbanis, & rusticis templorum, & ciuitatum, & omni reddito civili. cum aliquot præcedentibus.**

De administratione rei priuata.

TITVLVS XXV.

Nunc administratio rei priuatae in quonam consistit? T. In acquirendo, conseruando, & amittendo. G. De acquisitione quid ais? T. Acquiritur autem Principi, vel iure communi, per emptionem, successionem, & alijs modis, vel iure singulari, per confiscationem bonorum, quæ sanè ex multis causis contingit, cuiusmodi sunt tacitum fidei commissum, si indigno quid relictum sit, si hæres mortem defuncti non vindicet, si thesaurus inuentus, si res maioris pretij minoris ex fisco comparata sit, si per præuaricationem fisco victus est, si ab accusatione quis destiterit, si res litigiosa venundata, si poena ex contractu priuato fisco debeat, si quis in capitali crimine decesserit, si post mortem reus factus est, si domus diruta, si aduersus leges commissum factum est, si bona vacantia deferantur, & his similia. quod pertinent tituli Digestorum & Codicis: *De iure fisci. De privilegijs fisci. De thesauris.* cum alijs non tam ad ius publicum quam priuatum pertinentibus. G. Rectè. T. Ac ratio quidem qua ea quæ fisco delata sunt illi applicantur, quam incorporationem leges nostræ vocant, ferè est huiusmodi: Si quæ bona ad ætarium delata perhibentur, primum certi mittuntur palatini electi, iurati, ad prouinciam vbi bona sita sunt. Ad horum postulationes præses prouinciæ præsentis fisci patrono inquirat de bonis illis quænam sint, & quanta, data vnicuique contradicendi potestate. Eo facto, si nullus apparet aduersarius, & tam

& tam relatu præsidis, quàm ex publicis monumentis constet, locum ærario esse factum, refertur ea de re ad Imperatorem, qui tum ea curat apprehendi. Apprehensa comes rerum priuatarum ritè & solenniter in inuentarium rerum priuatarum, vbi bona Cæsaris descripta sunt, redigit, quod & rationalis prouinciæ, vbi bona sunt sita, diligenti stilo facere iubetur. Quibus omnibus peractis rebus, vltimum est vt tituli Regij his bonis appendantur, qua re substantiæ Cæsaris quasi consecrantur, & ob id non propria vsurpatione, sed publica testificatione fieri debet. Ad quæ omnia pertinent tituli Codicis, *De bonis vacantibus, & de incorporatione. De delatoribus. De petitionibus bonorum sublati. De his qui se deferunt. Bonis fiscalibus creditores præferri. De sententijs aduersum fiscum latis, retractandis. Si liberalitatis imperialis sotius sine hærede decesserit. Vt nemo priuatus titulos prædijs suis, vel alicuius imponat, vel vela regia suspendat.* G. Nunc de conseruatione quid ais? T. Conseruatio bonorum fiscalium in hoc non minima ex parte consistit, vt debitores fiscales diligenter exigantur, & priuilegia fisci ea in re etiam atque etiam custodiantur. Et si fortè debitores ipsi soluendo non sint, ad fideiussores eorum, vel actores, aut nominatores; aut denique magistratus eatur. Potissima autem pars exactio est, cum bona eius qui fisco condemnatus est, nec vltro satisfacit; hæstæ subiiciuntur. cuius forma & ratio hæc est: Prima eius pars est proscriptio bonorum quæ venum exponuntur, post quam sequitur solennitas hastarum & decursus. Et est solennitas hastarum, cum hasta publicè defigitur, ad res proscriptas vendendas. Decursus, certa præfinitio temporum intra quæ licitare, & maius pretium offerre cuique permissum est. His peractis sequitur additio per procuratorem fisci, quæ est duplex: vna, vltra quam licitare adhuc licet, & amplius pretium offerre: altera, quæ finem imponit solennitati & decursui hastarum, quæ retractari non potest, nisi fortè vel solennitas aliqua quæmissa fuerit, vel nimis exiguum pretium est quo res sit vendita. Quibus de rebus sunt tituli Codicis, *De iure fisci, & conueniendis fisci debitoribus. Vbi cause fiscales, vel diuina domus, hominumq; eius agantur. De fide instrumentorum, & iure hæstæ fiscoalis, & de additionibus. De his qui ex publicis rationibus mutuum acceperunt pecuniã. De fiscoalibus vsuris. De sententijs aduersum fiscum latis, retractandis.* G. Restat de amissione vt dicas. T. Amittuntur bona Cæsaris, cum alienantur maioris vtilitatis causa. Quamquam hæc procuratori Cæsaris siue rationali prohibitum est, cui non alienare rem Cæsaris, sed diligenter gerere præcipitur, qua de re sunt tituli Digestorum & Codicis, *De officio procuratoris Cæsaris, vel rationalis. De venditione rerum fiscalium cum priuatis communium. Ne fiscus rem quam vendidit, euineat.*

De magistratibus & officiis rei priuata.

TITVLVS XXVI.

G. **D**EINCEPS magistratus & officiales rei priuatae quanam sunt? T. Planè summus magistratus hic est comes rei priuatae, de quo ex Rubricis Codicis, *De officio comitis rerum priuatarum, & De officio comitis sacri patrimonij.* supra diximus, qui & comes siue præfectus ærarij priuati appellatur, & ius ea de re dicit. G. Audio. T. Post eum sequuntur procuratores Cæsaris, siue Principis, aut Imperatoris, per singulas prouincias de quibus est titulus Pandectarum, *De officio procuratoris Cæsaris & rationalis:* qui & curatores dicuntur Cæsaris, & rationales, & procuratores rei dominicæ, vel fisci, propterea quod de rebus fiscalibus ius dicunt. His non malè addideris aduocatos siue patronos fisci, qui res Cæsaris non in iudicio modò videntur, sed & cum fiscalia negotia à comite sacri ærarij vel rationali tractantur, adesse debent, aded vt nã adunt, nihil valeat quod actum sit: quod secus est in cognitione Principis: Effugue hoc illi speciale, vt sub titulo Codicis, *De aduocatis diuersorum iudicij,* traditur, quod quacumque parte anni innotiat, solatia totius anni ad hæredes eius pertineant. G. Intellego. T. Ac quantum ad officiales rei priuatae attinet, primi eorum sunt Palatini, siue Cæleri, aut Cæstolici, de quibus supra traditum est. Post eos sunt tabularij ciuitatum, qui cum iis que ciuitatis in qua degunt, rationes tractant, & cautiones nomine Principis subnotant, instrumenta conditionalia, quæ super contractibus sunt, conficiunt, vnde & conditionales nonnumquam appellantur. Dehinc sequuntur actores & exactores rei priuatae: ex quibus actores sunt, qui iussu palatinorum aut tabulariorum quoquo modo rem fisci agunt, eoque nomine tenentur exactores, qui exigunt ea quæ debentur. Vltimi sunt susceptores, & arcarij. Ac sunt quidem susceptores, qui species rei priuatae debitas recipiunt, & condunt, quos procuratores rei dominicæ suo periculo creant arcarij, qui pecunia in quam pecunie rei priuatae recipiuntur, præsentant.

T 2

D

De sacris largitionibus.

TITVLVS XXVII.

G. **A**VDIVIMVS de re priuata: dehinc de sacris largitionibus volo vt dicas.
 T. Sacrz siue priuatæ largitiones sunt, quas Princeps, non ex corpore patrimonij sui, sed ex populi largitate siue collatione percipit: vnde & deuotiones, & sanctiones, & pensitationes appellantur. G. Quomodo autem diuiduntur? T. Enimvero summa largitionalium titularum in duo capita deducitur: nam vel sunt ordinarij, vel extraordinarij, qui & ipsi subinde longo vsu fiunt ordinarij, vnde & indictio canonica nomen habet. G. Qui sunt ordinarij? T. Qui ex ordine præstantur: vnde canon largitionalium titularum dicitur, & præstatio, prout demonstrat titulus Codicis, *De canone largitionalium titularum*. siue personarum ea sit, siue rerum, siue vtriusque generis. G. Quæ sunt personarum? T. Personarum sunt capitatio, siue census capitalis, quem omnes etiam coloni Principis pendunt, nisi qui speciatim excepti sunt, vt ciues Lycaoniæ, Pamphyliz, Thessaloniz, vt ostendit titulus Codicis, *De capitacione ciuium censibus eximenda*. Item opus angariarum & perangariarum, quod in gestatione ordinaria vel extraordinaria consistere supra diximus: veredorum & paraucredorum, quod in rhedis & equis præbendis ac ducendis. Cura conficiendi pollinis, excoctio panis aut calcis, officium pistrini, præbitio lignorum, aut carbonum, necessitas temonis aut capituli, cum scilicet certa capita animalium ad plaustra trahenda dantur: necessitas venaliti, cum certo pretio quid Principi vendere quis cogitur, cum aliis similibus, quæ personalia, sordida, corporalia, & deportatoria munera siue obsequia vocantur. Potestque huc etiam referri præbitio tyronum, quos ad bellum Princeps emittit. de qua est titulus Codicis, *De præstatione tyronum*. G. Quæ sunt rerum? T. Hæc vel ad vectigalia pertinent rerum mobilium, vel ad tributarias functiones rerum soli. Prioris generis sunt, quæ pro his quæ per vias, portus, flumina, pontes, aliaque eiusmodi loca transferuntur aut traduntur, vectigalis nomine pendi solent. Quod quidem vectigal, non nisi per ipsum Principem institui potest, & vt plurimum octauam rei partem continet. Cuius duæ partes Principi, tertia proximæ ciuitati aut municipio ad necessitates suas cedit. Pertinentque ad hoc quoque genus vectigalia quæ ex iis quæ è terra effodiuntur eruunturve præstari solent, cuiusmodi sunt metalla, salinæ, cretæ, fodinæ, cotoria, & alia id genus. de quibus omnibus sunt tituli Digestorum: *De publicanis, & vectigalibus, & commissis. Vectigalia noua institui non posse*. Ad tributarias functiones rerum soli pertinent, quæ dicuntur census annui, siue tributa nonnumquam. Ad cuius quidem iustam rationem æstimationemque incundam duo potissimum spectantur, iugatio & capitatio. Iugatio cum pro modo iugerum, & eorum quæ in fundo crescunt, annuus eius census constituitur, vnde factio terrena dicitur. Capitatio cum capitum siue animalium quæ in fundo sunt, ratio habetur. Quæ autem census siue tributi nomine præstantur, vel in pecunia consistunt, & vocantur speciali nomine tributa: vel in speciebus, quæ annonæ siue annonariz functiones dicuntur. Ac consistunt quidem in pecunia, vbi certa quantitas auri, argenti, æris penditur: in speciebus, vbi frumentum, laridum, vestis præbetur. Ad quæ omnia, & eorum priuilegia, pertinent tituli Digestorum & Codicis: *De censibus. De canone largitionalium titularum. De annonis & tributis. Si propter pensitationes publicas venditio celebrata fuerit. Sine censu vel reliquis fundum comparari non posse*. G. Quæ sunt vtriusque generis? T. Qui ad personas pariter & res tituli pertinent, suntque tituli auri coronarij & iustralis. Ac est quidem aurum coronarium, quod à Principis corona nomen habet, & ob victoriam, & res bene gestas præstari solet, nec ab aliis exigitur, quam qui id dare consueverunt. de qua re est titulus Codicis, *De auro coronario*. Aurum autem iustrale à iustro dicitur, propterea quod in singula quinquennia ab iis qui publica conducerent, & à mercatoribus dari solet: sed hodie sublatum est, vt demonstrat titulus Codicis, *De nauticis largitionibus, & de tollenda iustralis auri collatione*. G. Qui sunt tituli extraordinarij? T. Cum non perpetuo, sed ad tempus propter aliquam necessitatem repentinam, quid præstatur. Ac sunt quidem huius generis quæ vocantur indicta, siue indictiones temporariæ, quibus inde nomen est, quod à Principe inducuntur, siue imperantur iussionibus missis, primum à palatio ad præfectos prætoriorum, & inde ad præsides prouinciarum, vt ostendit rubrica Codicis, *De indictionibus*. Cum quibus non male numeres superindicta, quæ sunt quando indictioni præcedenti, aut canoni ordinario, temporale aliquod imponitur incrementum.

crementum, vt videre licet sub titulo Codicis, *De superindictio*. Præter indictiones sunt & oblationes, quas ineunte nouo anno, aut natali die Principis offerri mos est: qua de re est titulus Codicis, *De oblatione votarum*.

De administratione sacrarum largitionum.

TITVLVS XXVIII.

G. **A**M administratio sacrarum largitionum quibusnam rebus continetur? **T.** Tribus omnino: Professione bonorum, exactione, & transmissione. **G.** Professio quid est? **T.** Cùm quis bona sua indicat, ac profitetur, merces quidem apud publicanum ad vectigal soluendum; nam absque eo in commissum caderent: homines verò liberos, apud magistrum census, ad capitationem præstandam, & opus exhibendum, ita vt masculis binis aut ternis, feminis autem quaternis, vnius capituli tributum imponatur. Cætera verò bona, tam immobilia, & ea quæ in iis nascuntur, quàm capita siue seruorum siue animalium quæ ibi reperiuntur, apud eundem magistrum census eduntur, ad tributa edictaque soluenda. Quod & in censum referri dicitur, & in publicis libris census ciuitatum, vel encanteriis prouinciarum describitur, qui, si quid exoriat difficultatis, adiri debent. **G.** Rectè. **T.** Formam censualem describit Vlpianus hoc modo: Forma censuali cauetur, vt agri sic in censum referantur, nomen fundi cuiusque, & in qua ciuitate, & in quo pago sit, & quos duos vicinos proximos habeat, & id aruum quod in decem annos proximos satum erit, quot iugerum sit; vinea, quot vites habeat, oliua quot iugerum, & quot arbores habeat; pratum quod intra decem annos proximos satum erit, quot iugerum, pascua quot iugerum esse videantur. Item siluæ cædæ, omnia ipse qui defert æstimet. Illam æquitatem debet admittere censor, & officio eius conuenit releuari eum qui in publicis tabulis delato modo frui certis ex causis non possit: quare & si agri portio chasmate perierit, debet per censitorem releuari. Si vites mortuæ sint, vel arbores aruerint, iniquum eum numerum inferi censui: quòd si exciderint arbores vel vites, nihilominus eum numerum profiteri iubebit, qui fuit census tempore, nisi causam excidendi censor probabit: is verò qui agrum in alia ciuitate habet, in eadem ciuitate profiteri debet, in qua ager est; agri enim tributum in ea ciuitate debet leuare, in cuius territorio possidetur. Quamquam in quibusdam beneficia personis data immunitatis, cum persona extinguantur; tamen cum generaliter locis, aut personis datur immunitas, sic data videtur, vt ad posteros transmittatur. Si cum ego fundum possiderem, professus sum, petitor autem meus non fuerit professus, actionem illi manere placet. In seruis deferendis obseruandum est, vt & nationes eorum, & ætates, & officia, & artificia specialiter deferantur. Lacus quoque piscatorios, & portus in censum Dominus debet deferre. Salinæ si quæ sunt in prædiis, & ipsæ in censum deferendæ sunt. Si quis inquilinum, vel colonum non fuerit professus, vinculis censualibus tenetur. Quæ post censum editum nata, aut postea quæ sita sunt, intra finem operis consummati professionibus edi possunt. Si quis veniam petierit, vt censum sibi emendare permittatur, deinde post hoc impetratum cognouerit se non debuisse hoc petere, quia res emendationem non desiderabat, nullum eius præiudicium ex eo quòd petiit vt censum emendaret, fore, sæpissimè rescriptum est. Hactenus Vlpianus. **G.** Probè. **T.** Iam vt hæc professio censusque descriptio rectè fiat, & tam ad ordinarias quàm extraordinarias functiones accommodetur, hæc ferè solent interuenire, inspectio, discussio, opinio, & peræquatio. Inspectio est, cum quantitatis & qualitatis agri ratio initur. Discussio, cum eius iusta sit æstimatio, quantum in vniuersum valeat, vel singulis annis reddat, cum iugationis, tum capitationis ratione, vt supra ostendimus, vnde & moderatio appellatur. Opinio est designatio eius quod pro modo agri, eiusque valore, in tributis publicis pendere quis tenebitur. Peræquatio qua respicitur, vt in supradictis faciendis æqualitas & proportio quædam agrorum & professionum seruetur, nec vnus magis quàm alius grauetur, quod est odiosum & iniustum. His ita constitutis rebus, si quidem ordinaria aliqua functio præstanda est, aut extra ordinem quid imperandum; primùm fiunt delegationes in curia, quibus, quid quæque prouincia in vniuersum præstare debeat, describitur. Quæ delegationes tum ad præfectos prætoriorum mittuntur, si quidem de speciebus agatur quæ militibus distribui debeant; tum ad præsides & rationales prouinciarum, cum pecunia pendenda est. Horum rursum officium est, non quidem remittere aut intendere has delegationes, sed secundum earum inscriptionem procurare, vt quid singuli pro modo rerum suarum præstare debeant, ratio incatur. Ad quam rem tabulariis ciuitatum mandant, vt

breuia quædam ea de re conficiant, quæ ad singulos mitti, & ferè quadrimestria esse solent. Hæc de professione. Ad quæ pertinent tituli Digestorum & Codicis, *De publicanis uectigalibus & commissis. De censibus. De censibus, & censitoribus, & peraguatoribus, & inspectoribus. De omni agro deserto, & quando steriles fertilibus imponantur.* & alij, de quibus pòst dicitur. G. Nunc de exactiõne quid ais? T. Sanè quæ ad exactiõnem rerum largitionalium pertinent, partim profligatione constant, partim susceptione. G. Quid est profligatio? T. Iudicialis persecutio eius quod Principi tributorum nomine debetur, ubi & delegatorias suas literas & breuia exhibere debet exactor sine compulsor (nam hoc nomine appellatur) ut tam de auctoritate ipsius constet, quàm de summa debita: nam eam excedere, & suprâ quàm debetur exigere, grauissimè prohibitum est: condemnatione facta, si quidem moram facit debitor in soluendo, tamen ipse eo nomine comprehendi non possit, per captionem tamen pignorum compellitur ad soluendum. Ac obseruatur quidem ferè in solutione, ut in sacrosanctis ea fiat ecclesiis, quo res quàm pacatissimè procedat, & si species debeantur à primordio cuiuscumque indictionis: si verò pecuniæ certis anni temporibus soluantur, cui accedit, ut iustis ponderibus & mensuris solutio fiat, nec non iusta proportione auri, argenti, æris, ad quam rem cautum est, ut modij ænei, vel lapidei, cum sextariis & ponderibus, publicè adseruentur, & pro singulis libris argenti, quin solidi inferantur. de quibus omnibus sunt tituli Codicis & Nouellarum: *Vbi de rationibus tam publicis quàm priuatis agi oportet. De capiendis & distrabendis pignoribus tributorum causa. De collatione aris. De argenti pretio quod thesauris inferitur. De publicis tributis expediendis & soluendis. De ponderatoribus, & auri illatione. De auri publici persecutoribus.* G. Quid est susceptio? T. Receptio eorum quæ ratione tituli largitionalis debentur. de qua quidem re præcipitur, ne is qui suscipit, durum se ac difficilem præstet, eoque modo rei differendæ occasionem præbeat. Cuius & hoc munus est, ut omnia quæ susceperit, diligenter annotet, nec villo modo rebus susceptis se immisceat, inue vltus suos eas conuertat. Quin & hoc curæ habere debet, ut suscepta diligenter condantur, species quidem in horreis publicis, pecuniæ autem in arcibus cuiusque prouinciæ, si quidem habeat, sin minus, eius quæ proxima est: nam hæc sunt in quibus thesauri prouinciarum consistunt, ut demonstrant tituli Codicis: *De conditis in publicis horreis, & de his quæ ex publica collatione illata sunt, non usurpandis.* cum aliis, de quibus pòst dicitur. G. Restat de transmittendis iis quæ exacta sunt ut exponas: nam id in administratione sacrarum largitionum tertium esse diximus. T. Verùm & hæc quidem transmissio, tum quidem sacra embolla, tum autem publicarum specierum transuectio vocatur. Et verò vnde nam hæc transmissio fiat, satis, ut reor, ex antedictis intelligi potest, quippe ex iis quos dicimus thesauris: quo autem mittantur, & quo pacto, id verò videndum est. G. Quò autem mittuntur? T. Communiter ad sacrum Principis comitatû, siue comitem largitionû, qui & condita ea habere iubetur, & per diuersa scrinia disponere. Sed & ad præfectos prætoriorû, ut militibus inde satisfiat, subinde vel ad ipsos milites mitti solent: & si species sint ad arma fabricanda, vel monetam cudendâ, aut ad vestes aliâve ornamenta facienda idonea, ad fabricèses ipsos, monetarios, murilegulos, gyneciarios recta via destinantur. G. Quomodo autè fit transuectio? T. Fit autè hæc transuectio vel terra, vel mari, per nauicularios, seruilis propè conditionis homines, qui ei rei addicti sunt. Nec potest quis in publica transuectione naues suas ab hæc excusare. Adde quòd quæ per mare transportantur, species publicæ vocantur, ad differetiam earum quæ terra vehuntur. Ac cum olim pro sumptibus transuectionis quædam à collatoribus præstari soleant, quæ ab ea ipsa re parapòpica vocarentur, placuit Iustiniano, ut hoc onere ipsi leuarentur. Planè in tota hac transuectione illud obseruatur, ut pro ratione & comoditate cuiusque loci ipsa imperetur, ne nimiù collatores grauentur. Pertinetq. huc tituli Codicis & Nouellarû: *De nauicularijs, seu naucleris publicas species transportantibus, & de tollenda lustralis auri collatione. De prædijs & omnibus rebus nauiculariorum. De nauibus non excusandis. Ne quid oneri publico imponatur. De naufragijs. De publicis tributis expediendis & soluendis.*

De magistratibus & officiis sacrarum largitionum.

TITVLVS XXIX.


G. **M**AGISTRATVS & officiales qui sacris largitionibus præfunt ac seruiunt, quosnam enumeras? T. Princeps omnium est comes sacrarum largitionum, qui & sacrarum thesaurorum præfectus appellatur: de quo est titulus Codicis, *De officio comitis sacrarum largitionum.* Post eum sunt procuratores Cæsaris siue rationales per omnes prouincias: ad quem pertinet titulus Digestorum, *De officio procuratoris Cæsaris vel rationalis.* Inde sequuntur

tur quæ ad censum pertinent agendum, exigendum, suscipiendum, & transuehendum, nec non ad vectigalia, ac sordida munera. G. Ad agendum censum quinam pertinent? T. Sanè qui censui agendo præsumt ac seruiunt, sunt magister census, de quo suprâ expositum est; censuales scribæ, quibus ille vtitur; censitores, qui operam ipsi hac in re præstant; & inspectores, qui loca in censum redigenda inspiciunt; discussores, qui quid quidque valeat excutiunt; opinatores, qui quantum pendendum est statuunt; peræquatores, qui vt æqua proportio his in rebus seruetur curæ habent; tabularij, qui rationibus præsumt, cuiusmodi duo in quaque prouincia esse debent; cum quibus & numerarij putantur, qui numeros harum rerum tractant. de quibus sunt tituli Codicis, *De censibus, & censitoribus, & peræquatoribus, & inspectoribus. De discussoribus. De tabularijs scribis, logographis censualibus. De numerarijs, actuarijs, & chartularijs, & adiutoribus, siue scriniarijs, & exceptoribus sedis excelsæ, cæterorumq; iudicum tam militarium quàm ciuilium.* G. Ad exigendum autem? T. Qui ad exigenda tributa pertinent, sunt qui generali nomine actores, vel exactores, & canonicarij appellantur. Ac specialiter quidem sunt, palatini, siue principales & mittendarij, qui Cæsariani quoque & Catholiciani vocantur, vt iam sæpe diximus: item admonitores qui admonent debitores: petitores præcepti, qui petunt quod imperatum est: summarij, qui certas summas exigunt: & sexagenarij, centenarij, decennarij: item opinatores, qui militarem ferè annonam percipiunt: vindices, qui tributa publica vindicant: & expilatores, qui res ipsas ab his qui in mora sunt auferunt, quorum tamen nomen, vt odiosum, post cessare iussum est. Officium autem horum exactorum est, vt vbi in prouinciam veniant, tabellarium adeant ciuitatis, ab eoque discant quantum quisque debeat: quos vbi admonuerint si quidem non pareant, ad eunt præsidem prouinciæ, aliòsve iudices, vt eos faciant condemnatos; & si opus est, per eorum officiales exsequantur. Qua quidem causa fit, vt in hoc negotio tributorum frequens occurrat mentio, præsidum, & aliorum iudicum prouincialium: item defensorum, & patrum, frumentatorumque ciuitatum: nec non decurionum, curialium cohortalium, irenarcharum, & apparitorum, qui quidem omnes vel iudicandis vel exsequendis causis tributariis operam præstant. Quin & illud sciendum est, quemadmodum exactorum officium est, ad condemnationem debitorum rem perducere, ita pro rei iudicatæ executione persequenda succedere alios, qui compulsores proprio nomine appellantur: quamquam dubium non est, quin & palatini id ipsum facere possint, si velint. Pertinentque huc & ad formam exigendi, tituli Codicis & Nouellarum: *De exsecutoribus & exactoribus. De ponderatoribus, & auri illatione. De auri publici persecutoribus. De publicis tributis expediendis & soluendis. De capiendis & distrahendis pignoribus tributorum causa. De apochis publicis, & descriptionibus curialium, & de distributionibus ciuilibus.* G. Ad suscipiendum verò? T. Hi sunt susceptores, siue ararij, siue alij (nam duo in quaque debent esse prouincia) item ponderatores, siue idiostatici, mensores præpositi horreorum, vnde & species horreaticæ vocantur: & denique arcarij, qui & præpositi dicuntur, thesaurorum, quorum quidem officia quæ sunt, manifestum est ex iis quæ de administratione rerum largitionum modò disseruimus. Suntque tituli Codicis de illis: *De ponderatoribus, & auri illatione. De susceptoribus, præpositis, & arcarijs.* & alij suprâ relati. G. Ad transmittendum denique? T. Qui ad transmittenda tributa pertinent officiales, sunt primo loco palatini sacrarum largitionum ex agentibus in rebus, quos constat euectionibus præesse; & cum his curiosos, & stationarios, qui per prouincias sunt dispositi, & tum harum, tum aliarum rerum curam gerunt. Post hæc sunt nauicularij, qui species ipsas & thesauros transuehunt, de quibus suprâ diximus. Quibus vltimo loco succedunt alij, quibus species transuectæ traduntur, qui sunt, comes sacrarum largitionum, præfecti militum, artifices palatini, & alij, de quibus & ipsis suprâ docuimus. G. Rectè. T. Ac quoniam quidem suprâdictis omnibus peragendis varij ac diuersi scribæ interueniunt, horum ferè nomina sunt quæ sequuntur: tabularij, numerarij, censuales, de quibus idoneo loco diximus: item logographi, qui rationes scribunt; chartularij, qui chartas tractant; boeti, adiutores numerariorum; logistæ, qui vt curatores reipublicæ, nomine ipsius rationibus audiendis operam præstant; medigrammatæ, qui vt scribæ officium suum faciant procurant; diastolæ, qui examinandis ac dispungendis rationibus præsumt; exceptores, qui & dictata excipiunt, & ex vno libro rationum ad alium transferunt; tractatores, qui chartas & pecunias tractant; scriniarij, qui in scriniis degunt; & conditionales, qui contractus initos conscribunt. de quibus omnibus variis locis tractatur, & post tangetur. G. Præter hos quid? ane & alij sunt, qui ad sacras largitiones pertinent? T. Sunt verò, nempe qui ad vectigalia & sordida munera pertinent. G. Hi autem quinam sunt? T. Publicani, mancipes, stationarij, & familiares vectigalium; de quibus suprâdicti tituli, de publicanis

blicanis & vectigalibus tractant. Item capitularij & turmarij, qui sunt sordidorum munere. Ac sunt quidem publicani, qui publica vectigalia conducta habent, siue potius qui publico fruuntur: nam siue conductum vectigal habent, siue aliàs id administrant, publicani omnes dicuntur; habent enim nomen à publico fruendo. Ac sunt quidem publica vectigalia, ex quibus vectigal fiscus capit, quale est vectigal rerum venalium, salinarum, metallorum, piscariarum, & similibus. Mancipes sunt, qui quæ ipsi habent generaliter conducta vectigalia, aliis minutatim elocant; unde & Principes habentur publicanorum, & habent suas societates. Ac quamquam quidem conducere vectigalia nemo teneatur, qui tamen maximos fructus ex redemptione vectigalium consequuntur, si postea tanti locari non possunt; ipsi ea prioribus pensionibus suscipere compelluntur. Stationarij sunt, qui ad vectigal percipiendum certis stationibus à publicanis collocantur. nam ferè fit vt idem vectigal plures habeat stationes. Familiars sunt, qui de familia sunt publicani, eique in publico fruendo ministrant, siue liberi sint, siue serui: capitularij sunt, qui capitibus, hoc est, rebus ad iumenta necessariis, vt fœno aliisque conquirendis, præstant: turmarij, qui tyronum turmas producant.


De possessoribus & collatoribus largitionibus.

TITVLVS XXX.

G.  **VID?** An ampliùs quid habes quod ad sacras largitiones pertineat? **T.** Habeo verò: nempe vt de iis à quibus largitiones proficiuntur, non nihil dicamus. **G.** Rectè. **T.** Hi autem sunt qui possessores vocantur, nimirum qui immobilia possident, ex quibus tributa penduntur; & collatores, ab eo quòd annonas & tributa conferunt. Atque hæc quidem ex rebus suis præstant, nisi immunes fortè sint, vel releuati. Immunes sunt, veluti si cui ciuitati, aut prouinciæ ius Italicum datum sit, cum plena soli immunitate, vt suprà docuimus. Releuati, si quæ sit prouincia quæ multis contributionibus exhausta sit, vel cui quid grauioris damni, bello, tempestate, chasmate, aut quo alio modo acciderit: nam ob has causas fieri nonnumquam solet, vt in præteritum, vel futurum nonnihil releuetur. Quod quidem non modò in integris prouinciis obseruatur, sed & in singulis fundis & possessionibus, quibus ab ea ipsa re nomen est, vt vel donati vocentur, si fortasse libertate donati sint; vel releuati, si qua parte tributorum leuati; vel translati, si ab vno genere oneris ad aliud translati sunt; vel adærati, si pro omnibus oneribus certa summa annua æstimati. extra quæ generalis est regula, vt quemadmodum collatores operis grauari non debent, vt docet titulus Codicis, *Ne opera à collatoribus exigantur*: ita nec immunitas illis concedatur. de qua re sunt tituli Codicis, *De immunitate nemini concedenda.* & *Vt nemini liceat in emptione specierum se excusare, & de munere stocomia.* nisi fortasse specialis aliqua causa subsit, vt in præteritum, vel futurum quid indulgeatur. quòd pertinet Rubrica Codicis, *De collatione donatorum, vel releuatorum, aut translatorum, seu adaratorum.* Item Nouellæ, *Vt ea quæ præfectis aut largitionibus, aut rebus priuatis, aut sacro patrimonio debentur in quacumque specie, vsque ad præteritam septimam indictionem, vt ipsum indulgeatur. De indulgentia tributariorum reliquorum. De releuatione tributorum. De collatoribus, & alijs capitulis. De publicis tributis expediendis & soluendis, nec non alijs capitulis. De prole partienda inter rusticos adscriptitios. De rusticis qui in alienis prædijs nuptias contrahunt. De releuatione tributorum publicorum.*

De quasi magistratibus.

TITVLVS XXXI.

G.  **VONIAM** de ipsis magistratibus, & officialibus eò pertinentibus hætenus est expositum; quid? an de quasi magistratibus sequitur vt exponas? **T.** Sequitur verò. & quidem hi duorum omnino sunt generum. **G.** Quorum autem, cedo? **T.** Vel enim sunt professores bonarum artium, vel præfecti ludorum: quibus vtrisque in republica opus esse, per te suprà est demonstratum. Nos autem de singulis ordine dicemus.

De professoribus bonarum artium.

TITVLVS XXXII.

G. **R**o de professoribus bonarum artium quid ais? **T.** Hi alij maiorum sunt artium, alij minorum. **G.** Quæ sunt artes maiores? **T.** Philosophia, & Iurisprudentia; vnde Philosophi, & Iurisperiti vocantur. Ac est quidem philosophis hoc indultum, vt si in patria, vel Romæ, quæ communis est patria, vtiles se docendo præstent, immunes sint à plerisque omnibus muneribus personalibus, non autem à patrimonialibus, quoniam vere philosophantis est pecuniam contemnere. Et ideo pro mercede, neque ordinariam neque extraordinariam habent actionem: nam hoc primum omnium philosophum profiteri oportet, mercenariam se operam spernere. Atque ideo si quid patriæ præstandum est muneris, non minus philosophus quàm quilibet tenetur: scilicet quia turpe est eum patriæ functiones ferre non posse, qui etiam fortunæ vim se ferre profitetur. De iurisprudentia, siue sapientia ciuili traditur, & ipsam rem esse sanctissimam, & non simulatam, sed veram philosophiam, quæ præcio nummario non sit æstimanda, nec dehonestanda, adeò vt eius cultores, cum sacerdotes, tum autem sapientes appellentur, qui & iurisperiti dicuntur, & consulti iuris, nec non prudentes, & antecessores, & legum doctores. Docentur autem leges ciuiles tribus in locis, Romæ, Constantinopoli, & Beryti, quæ nutrix legum vocatur. Ipsi autem discipuli primo anno studiorum Iustiniani noui appellantur, altero proliæ, tertio Papinianitæ, quarto litæ. Parent verò tum quidem Præfidi prouinciæ Beryti, siue præfecto vrbi Romæ & Constantinopoli, tum verò Episcopo loci, & cum his ipsis legum doctoribus. Suntque doctorum legum, & aliarum artium professorum priuilegia, vt vnà cum vxoribus & filiis, nec non & rebus quas in ciuitatibus suis possident, ab omni functione, & ab omnibus muneribus ciuilibus vel publicis sint immunes, & neque in prouinciis hospites recipere coguntur, nec villo fungi munere, nec ad iudicium deduci, nec eximi, vel exhiberi, vel iniuriam pati: & si quis eos vexauerit, pœna arbitrio iudicis plecti iubetur, persolatis mercedibus eorum, & salariis, quo facilius suis studiis multos instituunt. Planè à tutela vel cura non excusantur, quoniam proprium eorum est munus, viduas & pupillos defendere, nisi fortè Romæ quis doceat, aut in consilium Principis sit assumptus. Priuilegia autem eorum qui studia iuris persequuntur, sunt, vt ante vicesimum quintum ætatis annum pro muneribus patriæ subeundis à studiis auocari non possint. Et si qua in re læsi sunt, extra ordinem illis succurritur. Et si quid in studia illis mutuo datum sit, non cadit in Macedonianum. **G.** De minoribus artibus quid ais? **T.** Minores artes partim liberales habentur, partim literariæ, quæ & necessariæ vocantur. **G.** Quæ sunt liberales? **T.** Liberales artes sunt, veluti Grammatica, Rhetorica, Geometria, & Medicina: à quibus qui eas tradunt, & exercent, Grammatici appellantur, Geometræ, Medici (siue archiatri illi sint, siue peridieritæ, quasi circuitores dixeris) nec non Rhetores, qui præcepta artis tradunt: Sophistæ, qui declamando adolescentes in vtraque lingua, tam Latina quàm Græca exercent: & Oratores, qui ipsos Oratores interpretantur. De quibus omnibus præcipitur, vt moribus, facundia, & experientia suæ artis excellent, antequàm approbentur & in numerum recipiantur. Quod vsque adeo obseruari leges voluerunt, vt etiam si approbati & recepti iam sint, si tamen inutiles se præstent, reici debeant. Porro qui recipiuntur, non quidem vsque in infinitum recipiuntur, sed ad statutum vsque numerum, vnde Statuti appellantur: nam minores ciuitates pauciores quidem, sed non plures Statutos habere possunt, quàm Medicos quinque, Sophistas tres, Grammaticos totidem. Maiores, Medicos septem, Grammaticos & Sophistas singulos quaternos. Maximæ autem Medicos decem, Rhetores quinque, & Grammaticos quinque. De scholis autè in quibus artes hæ docentur, traditur, vnam principem scholam esse debere in palatio, quæ publica sit, cum interminatione ne quæ alix scholæ in magistrationibus & cellulis exercentur, nisi si quis domi familiam suam curare velit instituendam, quod non tam permittitur, quàm toleratur. Additur, vt spacia scholarum ita diuidantur ac separentur, ne quæ inuicem possint esse molesti. Cum Medicis numerantur & obstetrices, nec non qui alicuius partis corporis curationem profitentur. Et si quidem annonas ex publico habent, tenuioribus gratis adesse iubentur: ab locupletioribus autem ea accipere, quæ sani offerunt pro obsequiis, non quæ periclitantes pro salute promittunt. **G.** Nunc de literariis artibus quid dicis? **T.** Qui literarias & ad communem vitam necessarias artes profitentur, sunt magistri ludi literarij, qui primas literas, & notas, legereque scribere, & calculare docent: qui & librarij appellantur, & picturæ professores, & calculatores
siue

siue tabularij, quibus pro mercede extra ordinem quidem ius dicitur, sed non habent vacationem munerum: quemadmodum nec poetæ habent, nisi quod hospites suscipere non tenentur. In aliis autem muneribus, ad præsidis religionem pertinet, ne quid cui eorum supra vires imponatur. Tituli Digestorum & Codicis huc spectantes sunt, *De varijs & extraordinarijs cognitionibus. De professoribus & medicis. De studijs liberalibus urbis Roma & Constantinopolitana. Qui professione vel atate se excusant. De professoribus qui in urbe Constantinopolitana docentes, ex lege meruerunt comitiuam.*

De ludorum & certaminum præfectis.

TITVLVS XXXIII.

G. **D**E HINC de ludis, & certaminibus, eorumq. præfectis quid dicitur? **T.** Ludorum & certaminum publicorum tria sunt genera: nam vel spectacula sunt, vel certamina, vel ferarum exhibitiones. **G.** Quæ sunt spectacula? **T.** Quæ in scena exhibentur. & est scena, vt Labeo definit, quæ ludorum faciendorum causa quolibet loco, vbi quis cõsistat, moueaturq., spectaculum sui præbiturus, posita sit, in publico priuatõve, vel in vico, quo tamen loco passim homines spectaculi causa admittat. dicitur autem scena, & prosceniũ, & scena theatralis, quæ scilicet in theatro sit, vnde ludi spectantur. Qui autem in scenã prodeunt, generali nomine vocantur scenici, & histriones, nec non mimi & pantomimi ab imitando; & agitadores à membrorum vario flexu & agitatione: qui omnes inter viles personas numerantur, siue ad artem ludicram exercendam prodeant, siue pronũtiandi causa: & ideo imagines eorum in locis publicis vbi Principum imagines consecrari solent, habere non licet. **G.** Quæ certamina? **T.** Quæ agones apud Græcos vocantur: ac sunt quidem præter communia siue circensia certamina (inde dicta quod in circo maximo Romæ aguntur) alia certamina sacra. Numerantur autem in certaminibus lucta, pugilatus, & pancration, itemq. gladiatorum pugna, cuius triste spectaculũ, vt sanguinolentum, hodie sublatũ est. Cæterum iaculis certare, & id quidem publicè, ac maximè quidem in campo iaculatorio, non licitũ modò, sed & gloriosũ habetur. aded vt si quis in sacris certaminibus semel victor coronatus sit, excusationem habeat à tutela: si verò ter, immunitatem à muneribus ciuilibus. Qui certaminibus præsumt, & præmia distribuũt, agonothetæ vocantur, & designatores, siue brabeutes: qui autem ipsi certant, athletæ: qui verò iis seruiunt, mastigophori, thymelici, xylistici, agitadores & aurigæ, cum quibus & eos coniungas qui equis aquam spargunt. Ac sunt quidem mastigophori qui agonothetas in certaminibus comitantur, cum flagellis & virgis quibus turbam submouent: thymelici qui musicam in sacris certaminibus faciunt: xylistici, qui xylistis, hoc est, porticibus vbi athletæ exercentur, præsumt: agitadores, qui equos agitant: aurigæ, qui cursus in certaminibus agunt, à quibus & equi curules appellantur. **G.** Quæ ferarum exhibitio? **T.** Cum peregrinæ bestię populo spectandi causa exhibentur, quod ab Imperatoribus Romanis sæpe factum legimus. Fit & alio modo, cum in arena cum bestiis pugnat, ad spectaculum populo dandum: quod lachrymosum spectaculũ quodam loco Imperator vocat, ac maximè quidem si necessitate suscipiatur, vt ab iis qui ad bestias damnati sunt. Suscipitor autem & sponte, virtutis causa, quod infamiã non irrogat, nisi vel in arenã coronari se quis patiar, vel mercedem eo nomine accipiat, quare inter arenarios homines infamis numeratur, quorum testimonio sine tortura non creditur. **G.** Rectè. **T.** De omnibus autem his ludis & spectaculis præcipitur, ne diebus festis, & maiestati Dei dedicatis exhibeantur. **G.** Probè. **T.** Dantur autè hi ludi, aut à priuatis, vel à magistratibus. A priuatis ex pollicitatione, testamento, & alijs modis. A magistratibus, veluti ab Imperatore ipso, à consulibus, aut prætoribus. Ac nominatim quidem de consulibus traditur, vt pro numero septem processuum suorum in publicum, septies vno ahno spectaculũ consul exhibeat. Primò calendis Ianuarijs, cum init magistratũ, quo tempore non aliud facit, quam quod in publicum progreditur. Deinde mappam exhibet, quæ est equorum cursu certantium: terriõ venationem theatricam: post monerõ vnius diei, quo Pancarpiũ omnium fructuũ inducit, & homines cum feris decertantes. Dehinc paruas præbet, hoc est, floralia, quæ in theatro exhibentur, cum ludis tragicis & thymelicis: sexto mappam iterũ exhibet: vltimò conuentum celebrat depositi magistratus. **G.** Teneo. **T.** Est quoque inter lætitias publicas Maiuma, cui a mense Maio nomen est. Suntque omnibus his de rebus tituli Codicis & Nouellarum: *De spectaculis, & scenis, & lenonijs. De expensis publicorum ludorum. De gladiatoribus. De venatione ferarum. De maiuma. De consulibus.*


De

De assediis magistratum.

TITVLVS XXXV. I. I. I.


G. QVANDO QVIDEM de ipsis magistratibus explicatum est, & de quasi magistratibus, quid? anne illud secundum propositum ordinem restat, de assediis magistratum, ut differas? T. Restat verò: & quidem hi omnes vel adiutores sunt magistratum, vel ministri de quibus singulis separatè distindeque dicendum est.

De adiutoribus magistratum.

G.  Vbi adiutores autem magistratum quidam sunt? T. Primi sunt, qui vicem alicuius iudicis vel praefidis gerunt, quibus non sunt ab similes quibus mandata est iurisdicatio, qui propriam non habent, sed eius qui mandavit, iurisdictione vtuntur. de quibus sunt tituli Pandectarum & Codicis: *De officio eius cui mandata est iurisdicatio. & De officio eius qui vicem alicuius iudicis vel praefidis obtinet.* G. Audio. T. Post hos sunt consiliarij & assessores, de quorum officio supra tetigimus: nec longè absunt ab iis advocati, qui cum quidè causarum sunt patroni, tum verò sententiis in alia causa dicendis iudici se praestant, quò pertinent tituli Pandectarum & Codicis: *De officio assessorum. De assessoribus, & domesticis, & cancellarijs iudicum. De advocatis diversorum iudicum. De advocatis diversorum iudiciorum. De lucris advocatorum, & concessione officiorum suae apparitorum.* G. Intellego. T. Porro possunt & scribae pro adiutoribus magistratum censeri, quin praeter eos quos supra recensuimus, sunt & alij, ut actuarij, ab actis iudicum scribendis dicti, qui & hypomnematographi à memoria vocantur: notarij, qui notis scribunt: breuiatores, qui à breuibz quae scribunt nomen habent: libellarij, qui circa libellos versantur: secretarij, qui in secretarium iudicum ingrediuntur: regerendarij, qui regesta actorum conficiunt: cornicularij, qui commentarienses sunt carcerum, tam civilium quam militarium: serui publici, qui nomine civitatis & pupillorum stipulantur, & à contractibus scribendis conditionales appellatur: & deniq; tabularij, de quibus sunt tituli Codicis: *De tabularijs, scribis, logographis, & censuarijs, & de numerarijs, actuarijs, & chartularijs, & adiutoribus, suae scriuarijs, & exceptoribus sedis excelsae, ceterorumq; iudicum, tam militarium quam civilium.* G. Teneo. T. Plane praeter hos sunt, qui non tam aliorum sunt scribae, quam ipsi personam publicam gerunt, qui vocantur tabelliones, ad quos pertinet Nouella, *De tabellionibus, & ut protocolla relinquunt in charta.* Locus autè ubi scripta publica adseruantur, archiuum est, siue gramatophylacium.

De ministris magistratum.

TITVLVS XXXVI.

G.  ENINC de ministris magistratum quid ais? T. Ministri magistratum vel domestici sunt, vel apparitores, vel commentarienses, & alij officiales. G. Qui sunt domestici? T. Domesticos tam generali quam speciali nomine vocamus eos qui in familia iudicis versantur, & ad eius corpus, vel rem familiarem tractandam tuendamve pertinent: cuiusmodi sunt protectores, stratores, admissionales, cohortales, & similes, qui comites iudicum quoque vocantur. de quibus est titulus Codicis, *De assessoribus, & domesticis, & cancellarijs iudicum.* G. Qui apparitores? T. Apparitores sunt, qui ad mandata iudicialia aliaq; obeunda magistratibus apparent, in quibus etià numerantur executores, spiculatores, viatores, ordinarij, & similes. ad quos spectant tituli Codicis, *De apparitoribus praefectorum, pratorio, & de privilegijs eorum. De apparitoribus praefecti urbi. De apparitoribus magistrorum militum, & privilegijs eorum. De apparitoribus proconsulis & legati. De apparitoribus comitis Orientis. De apparitoribus praefecti annonae.* G. Qui deniq; commentarienses, & alij officiales? T. Commentarienses sunt, qui carceri praesunt & seruiunt, quibus nomen est à commentario, in quo describuntur nomina eorum qui in carcerem recipiuntur, indeve emittuntur. Huius generis sunt etià milites & statores, qui eos qui in libera custodia sunt, observant. Sunt quoq; prepositi carcerum, & eorum optiones, siue adiutores, qui receptos in carcerem custodiunt. Sunt deniq; cornicularij, qui sententias damnatorum excipiunt, & spiculatores, qui eas exsequuntur. Sed iam de fœce haurimus, qui à summo Pontifice, & Imperatore ad infimum spiculatorum devenimus, quare finem huic instituto Deo approbante imponemus. Tituli autè Codicis & Nouellarum huc pertinentes sunt: *De cohortalibus, & principibus, cornicularijs, & primipilarijs. De diversis officijs, & apparitoribus iudicum, & probatorijs eorum. De executoribus & exactoribus. De primipilo. Publica latitia, vel consulum nunciatores, vel insinuatores constitutionum, & aliarum sacrarum, vel iudicialium literarum ex descriptione, vel ab inuitis, ne quid accipiant immodicum. De executoribus, & his qui conveniuntur vel reconveniuntur.*

LIBER

LIBER NONVS.



ROSTRUM inter se adolescentes ad eum quo dictum est modum differuissent, & iam Elabranorum vicum prateruisti essemus. Praclare, in quibus ego, pueri paternae doctrinae meministis, & quibus partibus ac membris ius civile publicum continetur, & quo pacto ex vniuersali iuris prudentia deductum sit, demonstrastis. Quod quidem cum ita sit, agito nunc de iure civili privato, idem nobis exhibere, ut operi prope absoluto tamquam fastidium imponatis. Ac cum tu Tudemane haec respondens partes sustinueris, nunc interrogaris suscipere, respondebitque tibi fraterculus Caius Antonius, quem officio suo, pro ratione aetatis, fatiscio minime defuturum. Haec cum dixissem, orsi sunt pueri ut sequitur.


De iure privato.

TITVLVS I.

TONIAM igitur de iure civili publico satis, ut videtur, dictum est, visne mi frater, de privato, quemadmodum praecipitur, te interrogem? C. A. Plane volo. & est quidem ius priuatum, quod ad singulorum utilitatem pertinet: de cuius origine, quoniam supra explicatum est, nihil opus est ut hic repetatur, sed hoc tantum pro ingressu dicimus, duplicem omnino eius tractandi esse rationem. T. Quam verò illam? C. A. Vnam nudam ac simplicem, quae primae institutioni conuenit, & alteram plenam ac perfectam, quae rebus agendis est accommodata. T. Simplicem quam vocas? C. A. Quae partes iuris nudas, & seorsim positas explicat: veluti si soluto curru partes eius ostendas, non quidem pro vsu cuiusque, sed prout aliae alii maiores minoresve sunt, & nominibus inter se differunt. Atque haec est ratio libri Institutionum, rudibus inchoantium ingenii accommodata. T. Quam perfectam? C. A. Quae totum iuris priuati quasi corpus ob oculos ponit, & quo pacto in actione ipsa & rerum vsu vnumquodque sese habeat, demonstrat: haud aliter atque si totum currum exhibens, tam partes eius, quam ingressum & vsuum ostendas: quae est ratio libri Pandectarum siue Digestorum, prouectioribus conueniens, de quibus nobis est dicendum. T. Rectè. C. A. Ac dicuntur quidem Pandectae ab eo quod omnia comprehendunt, & Digesta, quod certo ordine, ac via, secundum ordinem perpetui edicti, quod legum duodecim tabularum vestigiis insistebat, procedunt. T. Probè. C. A. Nos autem per summam eorum capita, quae cuncta exhibebimus, incedentes, tria omnino in medium proferre conabimur. T. Quod erit primum? C. A. Ut qua ratione atque ordine inter se cohaereant, ostendamus: quod non quidem in singulis dumtaxat, tamquam temonibus quibusdam interconsuendis faciemus, sic ut neque caput, neque pedes, neque corpus appareant, sed in ipso vniuerso, cuius tum quidem quaedam sint summa genera ostendemus, tum autem quaedam illorum generum species inferiores sint, ac membra, tum verò quibus vinculis siue neruis omnia inter se cohaereant, vnumque pulcherrimum quasi corpus efficiant. T. Quod alterum? C. A. Ut cuiusque generis, & speciei nomen, ac definitionem proferamus, & quamnam summam iuris sententiam habeat, declaremus. Circa quam rem ita versabimur, ut si quidem verba ipsa edictorum, senatusconsultorum, constitutionum, ac similium existant, ea proferamus: sin verò minus, ipsi in generalem quandam summam totam rem breuiter strictimque coniiciamus. T. Quod tertium? C. A. Ut cuiusque constitutionis iuris rationem reddamus, & ad prima illa principia, de quibus supra tractatum est, quatenus opus est, & res feret, tamquam ad fontes suos eam reducamus, & quo pacto ex prima illa & vniuersali iuris ac legum condendarum arte manarit ostendamus: quod verè solidèque iuris prudentiae summum est caput ac complementum. T. Verum. C. A. Et quidem ne quicquam omittamus, quod ad totius iuris civilis priuati summam ob oculos ponendam pertinere possit, vna cum titulis siue Rubricis Pandectarum, simul etiam & titulos Codicis, atque item Nouellarum, Institutionumque, ad eandem rem pertinentes, explicabimus: sic ut quemadmodum superiori sermone, omnes totius iuris civilis publici tituli, qui non modo in Pandectis libro primo potissimum, & ultimo, sed & in Codice libro primo, decimo, undecimo, duodecimo, & aliis locis ac Nouellis existant, eandem sunt, ita hic omnes ad ius priuatum pertinentes, pro ratione institutae breuitatis eandem.


De summa diuisione iuris priuati, siue Pandectarum.

TITVLVS II.

T.  RGO hanc quam dicis viam insistendo, summam totius iuris priuati, siue Pandectarum diuisionem quam ponis? C. A. Quoniam scopus libri Pandectarum est, vt vniuersum ius, ac maximè quidem priuatum, eiusque viuum & verum exercitium, quod in iudiciis potissimum consistere, quibus iura legesque executioni mandantur, supra demonstratum est, comprehendat: summa eius diuisio in tria capita deducitur. T. Quænam autem illa? C. A. In priora iuris & iudiciorum, quæ τὰ πρῶτα dicuntur, quibus ad primam intelligentiam, & ingressum est opus: in ipsa iura & iudicia, quibus tota res continetur, omnibusque suis partibus ac membris describitur: & in posteriora iuris ac iudiciorum, quibus tota res concluditur. T. Intelligo. C. A. Adè vt cum priora pro capite, & quasi proæmio sint, posteriora autem pro pedibus & epilogo, media pro ipso orationis sint corpore. T. Probè. C. A. Quæ quidem vera est horum librorum partitio, ex ipsa natura deducta: ex qua reliqua omnia pulcherrima ratione, atque ordine, per inferiores diuisiones dependent, vt videbimus. T. Rehtë. C. A. Ultra quam quòd tum quidem in libros quinquaginta, tum verò in partes septem diuiduntur, non tam à natura quàm ex voluntate proficiscitur: sic vt cum prior earum tota sit arbitraria, posterior partim arbitraria, partim quoquo modo naturalis, nostra tota in ratione & natura sit fundata. cuius membra singula separatè & distinctè exsequemur.


De prioribus Pandectarum, siue iuris & iudiciorum.

TITVLVS III.

T.  GITVR de prioribus Pandectarum, siue iuris & iudiciorum, quid dicis? C. A. Hæc autem sunt, vt dixi, quorum cognitione & vsu ante iura & iudicia est opus, & sine quibus eorum notitia & exercitium non consistit. T. Ea autè quomodo rursùm partiris? C. A. In principia (sine quibus nihil rectè tractari posse vtiq; constat, vt supra traditum est) ipsius iuris, in principia iudiciorum, & principia eorum quæ iuri & iudiciis subiecta, & ob id medio loco inter vtraque sunt interposita. T. Intelligo quid dicas. C. A. Ac cum principia iuris pro forma sint, principia autem eorum quæ iuri & iudiciis sunt subiecta, pro materia; principia iudiciorum sunt pro vita & motu, qui ex coniunctione formæ & materiæ existit. Ibi- nus autem ordine per singula.

De principiis ipsius iuris.

TITVLVS IIII.

T.  E principiis iuris quid ais? C. A. Hæc consistunt in eo, vt intelligas tum quidem quid iustitia, quid ius sit; tum autem quæ iuris sit origo; tum verò quæ eius sint partes & membra. T. *De iustitia & iure*, de quibus & Institutionum est titulus, quid ais? C. A. Iustitia est constans perpetuaque voluntas ius suum cuique tribuendi. de qua re quoniam initio sermonis latius est disputatum, hæc omittetur. T. Ius verò? C. A. Quod à iustitia manat ac profluit, vt supra demonstratum est, & cur inde iuris studium auspicari oporteat, latissimè declaratum. Nam quòd iustitia iubet, ius est; tum quidem diuinum, prout sub titulo Institutionum, De iure naturali, gentium, & civili, traditur, quod cum cælestibus nobis est commune, & ius gentium primum vocatur, tum autem naturale, in quo cum beluis participamus; tum verò humanum, quod ex diuino & naturali humano ingenio collectum, partim omnibus gentibus commune est, quod ius gentium secundarium appellatur; partim proprium est cuiusque ciuitatis, tam publicum quàm priuatum, quod ciuile, veluti Romanorum, de quo hæc agimus. T. De eius origine quid tractas? C. A. Quatenus titulo, *De origine iuris, & omnium magistratum, & successionem prudentum* traditur. Nam cum antè audierimus aliam legem esse mutam, quæ literarum monumentis vel moribus proditur; aliam loquentem, quæ in magistratibus consistit, qui leges mutas mandant executioni, quibus tertio accedunt prudentes, ad legem mutam interpretandam, & loquentem instruendam, quibus tribus plena perfectaque iuris descriptio continetur: consentaneum est, vt eorum omnium origo in ciuitate Romana intelligatur. T. De origine iuris, siue legis mutæ, quid ais?

V

C. A. Prin-

C.A. Principium omnis iuris Romani à legibus curiatis, quas Papyrius pòst in vnum colligebat, exstitisse aio. nàm ante id tempus manu Regia, potiùs quàm descriptis legibus (vt sæpe fieri in Politico Plato probat) res administrabatur. Post leges autem curiatas, consecutum est ius duodecim tabularum: cui mox interpretationes prudentum, & legis actiones, cum suis formulis, vt fit, accedebant. Deinceps senatusconsulta exorta sunt, & plebiscita, & Prætorum edicta, primùm annalia, pòst perpetua, & denique Principum placita, & responsa prudentum. de quibus omnibus quoniam suprà latiùs dictum est, inde repeti poterunt. T. Quid? magistratum autem, siue legis loquentis quæ fuit origo? C.A. Primùm Romæ Reges regnabant, tum Consules, quibus pòst aliis atque aliis occasionibus accedebant Censores, Dictatores, Tribuni plebis, Quæstores diuersi generis, Decemviri litibus iudicandis, Quatuorviri viarum, Triumviri monetales capitalesque, Quinqueviri cis & vltra Tyberim, & Prætores omnis generis. de quibus & ipsi quoniam suprà latiùs est traditum, nihil est opus hìc repetere. T. Prudentum verò successio quænam fuit? C.A. Secundùm veterem, mediam, & nouam iurisprudentiam. Ac est quidem vetus, quæ ante Cæsares fuit, & initium habuit à Papyrio, quem dixi; post quem, multis annis interiectis, bello Carthaginensi, primus ius publicè profiteri cœpit Tyberius Coruncanus; desit autem in Seruio Sulpitio, Gallij Aquilij auditore. Media est, quæ Cæsatum temporibus incepit à Trebatio, & aliis Seruij Sulpitij auditoribus; post quos successere Antonius Capito, & Antistius Labeo, qui primùm diuersas sectas Iurisconsultorum instituerunt: vnde Proculiani deinde existebant, qui Labeonem sequebantur; & Sabiniani, qui Capitonem; fuitque Massurius Sabinus primus, qui, auctoritate Cæsaris Augusti, de iure publicè respondit; finem autem accepit in Saluio Iuliano. Noua est, quæ post id tempus exstitit, cuius Princeps fuit Papinianus, temporibus Alexandri Imperatoris, quem secuti sunt Ulpianus, Paulus, & alij, ex quibus magna pars Digestorum est descripta, vt sub titulo Codicis, *De veteri iure enucleando, & de auctoritate Iurisprudentum qui in Digestis referuntur*, latiùs videre licet. T. Nunc partes autem iuris ciuileis quænam sunt? C.A. Enim verò eum suprà demonstratum sit, omne ius ciuile vel scriptum esse, vel non scriptum; id quod scriptum est, secundùm principia politica rursus sic diuiditur, vt vel populi plebisve sit, quod democraticum est; vel optimatum, quod aristocraticum; vel vnius Principis, quod monarchicum. T. Democratica quænam sunt? C.A. Quæ leges & plebiscita propriè vocantur. Nam lex est, quod populus Romanus, senatorio magistratu interrogante, veluti Consule, constituebat: Plebiscitum, quod plebs, plebeio magistratu interrogante, veluti Tribuno, constituebat. Suntque huius generis lex Falcidia, lex Aquilia, lex Iulia, & aliæ quæ passim in his libris, vt videre est sub titulo, *De legibus senatusque consultis, & longa consuetudine*, traduntur. T. Quæ aristocratica? C.A. Senatusconsulta. ac est quidè senatusconsultum, quod senatus iubet ac constituit: nam cum auctus esset populus Romanus in eum modum, vt difficile esset, in vnum eum conuocari, legis faciendæ causâ, æquum visum est, senatum vice populi consuli. vnde Ulpianus supradicto titulo: Non ambigitur (inquit) senatum ius facere posse.] quod & sub titulo Codicis, *De senatusconsultis*, comprobatur. Suntque huius generis Senatusconsultum Trebellianum, Orphitianum, Tertullianum, & alia plurimæ: quæ passim occurrunt. T. Quæ monarchica? C.A. Placita Principum: nam quod Principi placuit, legis habere vigorem traditur sub titulo, *De constitutionibus Principum*. cum quo congruunt Rubricæ Codicis, *De legibus & constitutionibus Principum, & edictis*. nec non, *De mandatis Principum*: quæ literis descripta proferri debent, antequam fides illis adhibeatur. Congruunt quoque tituli, *De precibus Imperatori offerendis, & de quibus rebus supplicare liceat, vel non*: nec enim damnosa fisco, nec iuri contraria postulari oportet. *Quando libellus Principi datus litis contestationem faciat*, nimirum si actio tempore esset petitura. *Vt lite pendente, vel post prouocationem, aut definitiuam sententiam, nulli liceat Imperatori supplicare*, ne actum (quod aiunt) agatur. *Si contra ius vel utilitatem publicam, vel per mendacium fuerit aliquid postulatum, vel impetratum*, quod nullius est momenti. *De diuersis rescriptis*, ad libellos priuatorum, & pragmaticis sanctionibus; super negotiis ad corpora, collegia, ciuitates, vel alias vniuersitates pertinentibus; in quibus omnibus inest conditio, si preces veritate nitantur. Congruunt, inquam, hi quoque tituli cum titulo, *De constitutionibus Principum*: quoniam vti mandata & edicta Principis de rebus publicis, ita & rescripta eius, & annotationes, & pragmaticæ sanctiones ad libellos de rebus priuatis factæ, legis habent vigorem; quemadmodum & orationes eius in senatu habitæ, & epistolæ ad iudices, & alia eiusmodi quæ in Pandectis, Codice, & Nouellis passim se offerunt, vnde Ulpianus: Quodcumque igitur Imperator per epistolam & subscriptionem statuit, vel cognoscens decreuit, vel de plano interlocutus est, vel edicto præcepit, legem esse constat.

stat, hæc sunt quas vulgo Cōstitutiones appellamus. T. Probè dicis, C. A. Et quidem cū hæc tria iuris scripti genera primariorum sūt legislatorum, vt suprā demonstratum est; sunt alia secundariorum, vt responsa prudentum, & edicta Prætorum, & aliorum magistratuum, quorum pleni sūt hi libri Pandectarum: nam cū non omnia primariis legibus describi possint, naturaliter euenire solet, inquit Pomponius, vt interpretationem prudentum desiderent, & auxilium magistratuum, adiuuandi, supplendi, corrigendi iuris ciuilibus gratia, propter vtilitatem publicam. T. Nunc de iure non scripto quid ais? C. A. Hoc autem est quod moribus & longa consuetudine primū introductum est (licet post scripto comprehendatur, vt sæpe fieri antè dictum est, & post videbimus) siue per se tacitè vsu populi nata, siue à legislatore sata, vt frequenter opus esse, suprā probatum est. Et quidem de quibus rebus (inquit Iulianus) scriptis legibus non vtimur, id custodiri oportet, quod moribus & consuetudine inductum est. quod & sub titulo Codicis, *Quæ sit longa consuetudo*, traditur. Et si de interpretatione legis, inquit Paulus, queritur, inspiciendum est quo iure retrò in eiusmodi casibus vsa sit ciuitas: optima enim legum interpres consuetudo, sic vt pro primaria lege sit, & secundaria.

De principiis eorum qua iuri subiecta sunt.

TITVLVS V.

T. **D**E HINC de principiis eorum quæ iuri subiecta sunt, exspecto vt dicas. C. A. Hæc sunt personæ & res, vt suprā tactum est: nam cū res publica tum quidem personis constet, quæ pro animo sunt; tum autem rebus, quæ pro corpore; sit ratione politica, vt omnia de quibus iura legesque in ciuitate feruntur, aut res sint, aut personæ. Et quod apud Caium & Iustinianum de actionibus additur, non tam de subiectis, quàm instrumento iuris accipiendum est, quo iura rerum cuique personæ conseruantur, & ad effectum deducuntur. T. De personis quid dicis? C. A. Harum duplex proponitur diuisio. T. Quæ est prior? C. A. Quæ sub titulo, *De statu hominum*, cui de iure personarum in Institutionibus nomen est, traditur: omnes homines aut liberos esse, quod cum primo statu hominis bono, de quo suprā dictum est, congruit, quo omnium æqua à natiuitate erat libertas; vnde sub titulo Institutionum, *De ingenuis*, ingenui dicuntur, qui statim vt nati sunt, liberi sunt: aut seruos, quod à secundo statu malo ac peruerso, quo mutuis iniuriis se homines affecerunt, aliique alios in seruitutem redigere cœperunt, manauit; & verò in tertio hoc statu mixto adhuc mansit, nam propter hominum imbecillitatem multa non optima ob necessitatem, maioris mali vitandi causa, sæpe toleranda esse, præscriptis ad eam rem certis legibus, suo loco, cū de principiis externis ageretur, est demonstratum: manaruntque hinc libertini, qui, vt tradit titulus Institutionum, *De libertinis*, ex iusta seruitute manumissi sunt. T. Quæ posterior? C. A. Quod omnesciues Romani, aut sui iuris sunt, vt patres familiarum; aut alieni, vt filij familias, quos in patris potestate esse, docet titulus Institutionum, *De patria potestate*. quod quidem ius à natura tractum (quæ vtique filium patri parere iubet) latius à Romanis productum est, sic vt speciem quodammodo seruitutis habeat, aut certè olim (nam multa cum Christiana religione immutata fuere) habuerit, vt sub Rubrica, *De his qui sui vel alieni iuris sunt*, quæ & in libro Institutionum exstat, latius videre licet. T. Intelligo. C. A. Atque id locum habet non solum in filiis naturalibus, ex iustis nuptiis susceptis; sed & in adoptiuis civilibus: quos tum quidem ad imitationem naturæ, in solatium eorum qui liberos non habent, lex adsciscere permisit, quæ ratio naturalis & priuata est; tum verò ad familiarum, ex quibus ciuitas iungitur, conseruationem, quæ ciuilibus & publicis. Nam ad vnā eandemque rem plura sæpe principia concurrere, antè audiuius. T. Sic est. C. A. Et quidem quemadmodum post seruitutem constitutam sequutum est beneficium manumissionis, quo à seruitute ad libertatem fit reuersio, nisi iusta aliqua causa impediatur libertatem, vt videre licet sub titulo Institutionum, *Quibus ex causis manumittere non licet*. & *De lege Fusia Caninia tollenda*: ita post patriam potestatem introductam, inuenta est emancipatio, qua per imaginariam venditionem olim rudioribus adhuc temporibus (nam fictionibus sæpe opus esse, suprā demonstratum est) hodie autem iisdem cultioribus factis, directò filius à potestate patris liberatur, vt docet titulus, *De adoptiuis* (eius similis Institutionum est titulus) & *emancipationibus*, & alijs modis quibus potestas soluitur. cum quo respondet rubrica Institutionum: *Quibus modis ius potestatis soluitur, tam dominicæ quàm patris*. Nam naturaliter fit, vt, quod certis modis cœpit, certis quoque modis esse desinat. Ac sunt quidem alij modi præter emancipationem,

nem, mors, captiuitas, & cum à patre naturali & legitimo alij in adoptionem quis datur, cum similibus, de quibus tamen sub hoc titulo nihil agitur. T. Verum dicis. C. A. Ac pertinent quoque huc tituli Codicis: *De patria potestate. De emancipationibus liberorum. De ingratis liberis*, quos emancipatos in potestate iterum redire placuit, cum, quod pro emancipatione debent, hoc est, gratitudinem, non præstant, sed eius contrarium. *De postliminio reuersis, & redemptis ab hostibus*, qui perinde sunt in potestate patris, ac si nunquam abfuissent, nisi quoddam, qui eos redemit, loco pignoris eos retinere potest, donec pretium redemptionis soluatur. *De infantibus expositis, liberis, & seruis, & de ijs qui sanguinolentos*, hoc est, recens natos, *nutriendos acceperunt*. de quibus placuit, eos qui proles, seruos, aut liberos suos exposuerunt, in potestatem suam illos vendicare non posse: nam suum quis dicere non potest quem pereuntem contempsit. Ac quantum ad illos attinet, qui liberos expositos nutriendos suscipiunt, licet opus pium faciant, in seruitutem tamen quæ perior morte est, redigere eos non possunt. T. Iam de rebus quid dicis? C. A. Prima earum diuisio à principiis diuinis ducitur. Nam quemadmodum homo partim è mundo sumptus ac decerptus, partim ad Dei imaginem ac similitudinem factus est: ita omnes res ipsius partim ad humanas necessitates pertinent, quæ humanæ dicuntur; partim ad Dei gloriam, & honorem, quæ diuinæ. quas rursus ita diuidunt, vt secundum numerum superiorum, mediorum, & inferiorum, alix ex iis sacræ sint, alix sanctæ, alix religiosæ. T. Probè narras. C. A. Secunda à physicis siue naturalibus principiis manat. nam vt secundum ea, alia sunt quæ sensu percipiuntur, alia quæ sola mentis agitatione; ita omnes res vel corporales sunt, quæ tangi possunt, siue mobiles sint, vt vestis, siue soli, vt domus: vel incorporeales, quæ tangi non possunt, sed in iure consistunt, siue vniuersali, vt hæreditas, siue speciali, vt seruitus. T. Ita est. C. A. Tertia ab humanis siue politicis principiis proficiscitur. nam cum in re publica tum quidem totum corpus spectetur, tum verò singuli homines: fit, vt res quæ in ea sunt, vel publicæ sint vniuersitatis, vel priuatæ singulorum. Quamquam enim initio bonis adhuc temporibus omnia communia erant omnium; post tamen cupiditate exorta, necessitas secundum principia externa fecit, vt ad distinctionem dominiorum, tamquam per transactionem, vt Plato ait, fuerit veniendum: partim dissensionis vitandæ causa; nam communio discordiam parit: partim diligentioris culturæ ac curæ gratia; nam communia ferè negliguntur. Cui accedit, quod ad ipsam iusticiam vel maxime pertinet, vt confusa (quemadmodum supra traditum est) distinguantur, quæ est summa Rubricæ, *De diuisione rerum & qualitate*. cum qua congruunt tituli Institutionum, *De rerum diuisione, & acquirendo ipsarum dominio. De rebus corporalibus & incorporalibus. Quibus alienare licet, vel non. Per quas personas nobis acquiritur.*

De principiis iudiciorum.

TITVLVS VI.

T. **D**E HINC ad principia iudiciorum volo vt transeas. C. A. Hæc sunt per quæ cuique personæ suæ res dantur ac tribuuntur, ad ius ac iusticiam in rem publicam inducendam, vt antè dictum est: quæ in tribus omnino consistunt. T. Cedo quibus? C. A. Primum est, vt iudices, apud quos agi solet, & eorum iurisdictio cognoscantur: alterum ratio ac via, qua litigantes in iudicium ingredi debeant, post ea quæ pendente lite tam circa iudices quam litigatores ferè solent interuenire. De quibus singulis ordine dicendum est.

De iudicibus, & eorum iurisdictione.

TITVLVS VII.

T. **H**IC iudices quos vocas? C. A. Enimvero generali nomine iudices vocamus, qui iurisditionem exercent, siue voluntariam, cum apud aliquem emancipatio fit, manumissio, adoptio; siue contentiosam, tum de iure ambigitur, & in inuitum ius redditur. Sed speciale nomen ad hos posteriores proprie pertinet, qui duobus dissidentibus, vt tertij, medijs inter eos interiecti adeuntur. T. Quomodo eos diuidis? C. A. In ipsos iudices siue magistratus, in eos qui mandatam ab iis habent iurisditionem, & eorum assessores. T. Quos vocas ipsos magistratus? C. A. Qui ipsi iudicandi, & iudicis dandi habent potestatem, & sunt post Principem: partim palatini, de quibus sub titulo, *De senatoribus*, agitur: *De officio Consulis. De officio præfecti prætorio*. partim vrbici, de quibus sunt tituli: *De officio præfecti vrbis.*


De

De officio quaestoris. De officio pratoris. De officio praefecti vigilum. Partim provinciales, ad quos pertinent Rubricæ: *De officio proconsulis & legati. De officio praefecti augustalis. De officio praesidis. De officio procuratoris Caesaris, vel rationalis. De officio iuridici Alexandriae.* Quos hîc attigisse sat est: quoniam cùm de iis, & aliis magistratibus suprà plenius sit tractatum, tam ex Codice quàm ex Pandectis & Nouellis, & ex quibus principiis ortus sui principatum duxerint, demonstratum, non est opus vt hîc ea repetamus. Dixi autem hos & alios iudices esse post Principem, quia Imperator summus omnium est iudex, & de summis causis cognoscit. inter quas, secundùm diuinæ scripturæ principia, & viduarum, & pupillorum, & aliarum miserabilium personarum, quæ non aliud quàm in Deo & Principe refugium habent, censentur. de quibus sub titulo Codicis: *Quando Imperator inter pupillos, vel viduas, vel alias miserabiles personas cognoscat, & ne exhibeantur,* extraque provinciam suam inuiti trahantur, scribit Constantinus hoc modo: Quod si pupilli, vel viduæ, aliique fortunæ iniuria miserabiles, iudicium nomine seruitutis orauerint, præsertim cùm alicuius potentiam perhorrescunt, cogantur eorum aduersarij examini nostro sui copiam facere.] T. Quinam sunt qui mandatâ habent iurisdictionem? C. A. Qui ipsi proprium nihil habentes, eius qui mandauit iurisdictione vtuntur, quod quidem ideo introductum fuit, vt sub Titulo, *De officio eius cui mandata est iurisdictione,* videre licet, quoniam sæpe fit, vt magistratus ipsi, maioribus negotiis occupati, rebus iudicandis commodè interesse non possint: atque huc quidem pertinet titulus Codicis, *De officio eius qui vicem alicuius iudicis vel praesidis obtinet,* nec non titulus, *De pedaneis iudicibus.* nam qui à iudicibus principalibus constituuntur iudices inferiores, vel sunt delegati, qui totam iurisdictionem mandatam habent, & vice eorum in plerisque omnibus funguntur, vel pedanei, qui ad negotia inferiora disceptanda, generaliter à praesidibus constituuntur, vel dari, qui ad vnâ aliquam rem definiendam vel cognoscendam dumtaxat (vnde & cognitores appellantur) dari solent, licet nomina aliquando confundantur. T. Qui assessores? C. A. Qui iudicibus ipsis, vt suprà traditum est, siue magistratibus, siue aliis, in cognitionibus, postulationibus, libellis, edictis, decretis, epistolis, operam nauant, & consilium præbent, vnde & consiliarij dicuntur, vt sub titulo, *De officio assessorum,* traditur. Ac fuit quidem hæc res ideo necessaria, quoniam haud rarò accidit, vt qui iudiciis sustinendis auctoritatis causa sunt præpositi, iuris & legum non admodum sint periti, quibus alios peritiores addi æquum est, vt secundùm ea quæ suprà disputata sunt, potentia & sapientia mutua opera iuuentur. Titulus Codicis cum hoc congruens est, *De assessoribus, & domesticis, & cancellarijs iudicum.* de quibus suprà est expositum. Ac pertinent quidem ad totum hunc tractatum de iudicibus titulus Codicis, *Qui pro sua iurisdictione iudices dare darive possunt,* nempe vt eos quis deleget iudices, qui de iurisdictione sunt delegantis. *Ne quis in sua causa iudicet, vel ius sibi dicat.* in re enim propria iniquum admodum est, alicui licentiam tribuere sententiæ. T. Dehinc de iurisdictione omniû iudicum quid ais? C. A. Huic generali nomini tres dico subiectas esse species, vt suprà latius est tractatum: imperium, quod est gladij habere potestatem: iurisdictionem, quæ in rebus priuatis iudicandis, & iudicibus super iis dandis consistit: & imperium mixtum, quod ex vtroque conflatur, & in bonorum possessione danda potissimum cernitur. Quæ quidem tria tametsi re ipsa diuersa sint, fit tamen semper, vt cum imperio aliquantulum iurisdictionis, & contra cum iurisdictione aliquantulum imperij sit coniunctum: ne aut potestas sine causæ cognitione exerceatur, quod iniustum esset, aut cognitio causæ sine potestate sit, quod illusorium. T. Rectè. C. A. Porrò cùm Imperium merum, quod non tam iure magistratus, quàm beneficio populi, siue Principis competit, mandari non possit, iurisdictione autem contra, quia iure magistratus competit, possit, Imperium mixtum ita se habet, vt si plus Imperij quàm iurisdictionis contineat, non possit mandari, vt potestas exercendi consilium, vel interponendi decretum de alienandis bonis pupillorum: Si verò plus iurisdictionis quàm Imperij, possit, vt potestas iubendi possideri, si damni infecti non caueatur, & mittendi in possessionem ventris nomine, cum similibus, vt sub Rubrica, *De iurisdictione,* videre licet, cum quo congruit titulus Codicis, *De iurisdictione omnium iudicum, & de foro competentis.* T. Intellego. C. A. Et verò vt tam iudices quàm litigatores officium faciant, duobus modis ea in re prouidetur. T. Quid ita verò? C. A. Primùm per titulum, *Quod quisque iuris in alium statuerit, ut ipse eodem iure utatur.* qua re audacia iudicum coercetur, ne aliter quàm iustum est iudicent; & si secus factum sit, vt, secundùm principia Euangelica, qua mensura mensi fuerint, eadem remetiatur eis. quod summam æquitatem habere, & sine cuiusquam indignatione iustum esse, Vlpianus ait. Verba edicti sunt: Qui magistratum potestatemve habebit, si quid in aliquem noui iuris statuerit, ipse quandoque aduersario

postulante, eodem iure uti debet. Si quis apud eum qui magistratum potestatemve habebit, aliquid noui iuris obtinuerit, quandoque postea aduersario eius postulante, eodem iure aduersus eum decernitur: scilicet ut quod ipse quis in alterius persona æquum esse credidisset, id in ipsius quoque persona valere patiatur.] T. Optimè profectò. C.A. Secundò per titulum, *Si quis ius dicenti non obtemperauerit*. quo quidem puniuntur qui contra principia politica iudici non parent, quos quanti ea res est condemnari lex iubet. Concediturque omnibus magistratibus (exceptis duumviris municipalibus) secundùm ius potestatis suæ iurisdictionem suam defendere, hoc pœnali iudicio, ne inanis reddatur, & illusoria, ut modò tactum est: pertinetque huc titulus Codicis, *De modo multarum quæ à iudicibus infliguntur*. Nam prout quisque iudex est maior vel minor, ita maiores vel minores multas, pro re oblata illi infligere secundùm principia iustitiæ distributiæ permittitur.

De ingressu in iudicium.

TITVLVS VIII.

T.  **V**ne ingressum autem in iudicium in quonam ponis? C.A. In uocatione in ius, & in edendo. T. In ius vocare quid est? C.A. Iuris experiundi causa vocare, ut in titulo, *De in ius vocando*, qui & in Codice exstat, traditur: nam hoc vel natura ipsa docet, ut si quid à quo in iure petere velim, educetur. Ac cum cæteros plerosque omnes homines priuatos (non autem magistratus, propter dignitatem) in ius vocare liceat; de parente ac patrono sic edicit Prætor: Parentem, patronum, patronam, liberos, parentes, patroni, patronæ, in ius, sine permissu meo, ne quis vocet. Quod ideo sic constitutum est, ut reuerentia his personis iure naturali debita conseruetur, & an iusta causa vocandi sit, aut quo alio modo res conuenire possit, dispiciatur, antequam in iuseatur, quod aliquo modo probrosum habetur. Et verò notandum est, plerumque hæc ad iudicia pertinentia, ex edicto Prætoris, quem secundarium legislatorem esse suprà probatum est, proficisci: quoniam legislator primarius præcipuis quibusdam ad rempublicam pertinentibus constitutis, reliqua inferiora secundario ferè permittit, ut apud Platonem scribitur, & suprà latius est demonstratum. T. Sic est. C.A. Planè qui in ius vocatus est, vel ire debet, vel cauere iudicio sisti, vel pœnâ luere. T. Quid ita verò? C.A. Nam quantum ad primum attinet, propter obedientiam magistratui iure diuino debitam est titulus, *Si quis in ius vocatus non ierit, sine quis eum vocauerit quem ex edicto non debuerit*. vbi traditur, etiamsi eius ad quem vocatus quis est, iurisdictionio fortasse non sit, tamen eundem esse, ut hoc ipsum sciatur, & si secus factum erit, multam pro iurisdictione iudicis ingerendam esse: nisi rusticitati hominis (nam harum rerum diligentem rationem habendam esse, antè traditum est) parcendum videatur, vel is vocatus sit qui sine permissu Prætoris vocari non debuit, ut parens, patronus, de quibus modò diximus. T. Audio. C.A. Ac quantum ad secundum attinet, est rubrica, *In ius vocati ut eant, vel satis aut cantum dent*: ne scilicet vocatio illusoria reddatur, si in ius non eatur, qua de causa etiam edicitur, *Ne quis eum qui in ius vocabitur, vi eximat*. Quod edictum ideo proposuit Prætor, ut metu pœnæ compescat eos qui in ius vocatos & euntes vi eripiunt, quos quanti ea res est teneri volunt. Ac cauetur quidem vel idoneis, hoc est, locupletibus fideiussoribus datis, quod propriè satisfacere est; vel iureiurando præstito, quod minus; vel sola promissione facta, quod minimum. Quæ quidem res ex variis causis æstimatur, tam respectu personarum (nam si quis, inquit Prætor, parentem, patronum, patronam, liberos, aut parentes patroni, patronæ, liberòsve suos, eumve quem in potestate habebit, vel uxorem, vel nurum, in iudicium vocabit, qualiscumque fideiussor iudicio sistendi causa accipiatur: cui accedit, quòd clarissimi iurati ferè promittunt in ius se ituros) quàm rerum: nam cum possessores rerum immobilium suæ promissioni relinquuntur, qui non possident immobilia, locupletes fideiussores dare coguntur; ut demonstrat titulus, *Qui satisfacere cogantur, vel iurato promittant, vel sua promissioni committantur*. Et si quæras, *Si ex noxali causa agatur, quemadmodum caueatur*. enim verò si quis eum de quo noxalis actio est, iudicio sisti promissit, Prætor iubet, in eadem causa exhibere in qua tunc est, donec iudicium accipiatur, sic ut ad experiendum non sit ius actoris deterius.] Atque his quidem cautionibus de iudicio sisti datis, non solum ipse qui satisfacere debet, sed & *De eo per quem factum erit, quo minus quis in iudicio sistat*, Prætor statuit, ut dolus eius coerceatur, quemadmodum de eo qui in ius euntem vi eximit, modò diximus. T. Intelligo. C.A. De tertio est titulus, *Si quis cautionibus in iudicio sistendi causa factis non obtemperauerit*. contra quem pœnam stipulatione comprehensam, utique com-

committi constat; nisi fortè legitima aliqua causa interuenerit, & maximè quidem feriarum, dilationum, & aliorum diuersorum temporum, vt ostendit Rubrica, *De ferijs, & dilationibus, & diuersis temporibus*. Ac sunt quidem feriaz, veluti messium, vindemiarumque, quibus temporibus ne quis cogat aduersarium ad iudicium venire, oratione Diui Marci cauerur, quia occupati circa rem rusticam, in forum compellendi non sunt, vt ostendit titulus Codicis, *De ferijs*. Dilationes, quæ à iudicibus conceduntur: qua de re Paulus Iurifconsultus, In pecuniariis causis (inquit) omnis dilatio singulis causis plus semel tribui non potest: in capitalibus autem, reo tres dilationes, accusatori duæ dari possunt, sed vtrumque causa cognita.] Alia diuersa tempora sunt, vt feriaz repentinæ, aduentus Principis, victoriæ, vel alia inopinata de causa: de quibus omnibus est titulus Codicis, *De dilationibus*. T. Post in ius vocationem nunc *De edendo*, de quo & Codicis est titulus, quid habes dicere? C.A. Enimvero edere, est actionem, qua quis agere velit, aduersario exhibere, siue dictando, siue tradendo libellum, vel etiam copiam describendi faciendo, cum similibus: quod vt statim in ingressu iudicij fiat, æquissimum ait esse Vlpianus, vt sciat reus vtrum cedere, aut contendere ultra debeat; & si contendendum putat, veniat instructus, cognita actione qua conueniatur.

De iis qua pendente lite ferè interueniunt.

TITVLVS IX.

T. **P**OSTHÆC de iis quæ in exordio litis, vel ea pendente ferè interueniunt, a teo cognoscere. C.A. Huius generis sunt, conuentiones inter litigatores, postulationes, in integrum restitutiones, arbitria. de quibus singulis operæ precium est vt dicamus.

De conuentionibus inter litigatores.

TITVLVS X.

T. **R**EGO de conuentionibus primùm quid dicis? C.A. Conuentionis verbum, inquit Vlpianus, generale est, ad omnia pertinens de quibus negotij contrahendi transigendique causa consentiunt qui inter se agunt. nam sicuti conuenire dicuntur qui ex diuersis locis in vnum colliguntur & veniunt: ita & qui ex diuersis animi motibus in vnum consentiunt, id est, in vnam sententiam decurrunt. T. Quid? huic generi quas species subiicis? C.A. Pacta & transactiones. T. *De pactis*, quid ais? C.A. Enimvero pactum generaliter à pactioe dicitur, vnde etiam pacis nomen appellatum est: & est pactio, duorum pluriùmve in idem placitum consensus. Sed nos hic non tam de pactis in genere agimus, quàm speciatim de pactis conuentis, quæ sunt de non petendo eo quod debetur. T. Audio. C.A. De quibus edicens Prætor sic ait: Pacta conuenta, quæ neque dolo malo, neque aduersus leges, plebiscita, senatusconsulta, edicta Principum, neque quo fraus cui eorum fiat, facta erunt, seruabo.] T. Intelligo. C.A. Cuius quidem edicti rationem ex principiis iustitiæ, cuius pars fides est, deductam reddens Vlpianus, in proœmio huius tituli (nam leges sua proœmia habere supra didicimus) hoc modo scribit: Huius edicti æquitas naturalis est, quid enim tam congruum fidei humanæ, quàm quæ inter eos placuerunt seruare? nam tametsi quidem placuit, ex nudo pacto actionem non nasci, quod non interna ratione, quæ contrarium suadet, sed externa fuit introductum, fraudis euitandæ, & litium minuendarum causa: vt tamen exceptio, qua de sola hic agitur (dum contra agentem pacti exceptione quis se defendit) inde existat, semper iustum visum est, tum quidem ratione interna, fidei seruandæ causa; tum verò externa, quia fauorabiliore sunt rei quàm actores; & tantum abest vt hæc exceptio lites augeat, vt contrà ad eas minuendas mirificè pertineat. T. *De transactionibus*, de quibus & ipsis Rubrica Codicis est, deinceps sequitur vt dicas. C.A. Planè cum pactum, quo de tractatum est, sit, cum donationis causa, rem certam & indubitata liberalitate quis remittit; transactio est, cum quasi de re dubia, & lite incerta, neque finita, aliquo dato aut retento inter litigatores conuenit. Qua de re secundum interna principia iustitiæ, & externa, quæ ad vtilitatem litium minuendarum pertinent, constitutum est, causas vel lites transactionibus legitimis finitas resuscitari non debere, sed qui contrà fecerit, non solum exceptione submouendum esse, sed & pœnam promissam præstare cogendum. T. Optimè. C.A. Planè cum hi, inquit Vlpianus, quibus alimenta relicta erant, facile transigerent, contenti modico præsentis (quæ occasio fuit legis) Diuus

Marcus utilitatis æternæ rationem spectans (quæ causa) oratione in senatu habita effecit, ne aliter alimentorum transactio rata esset, quàm si Prætor auctore fiat; vt non leuiter aut temere, sed deliberatò, & cum causæ cognitione res tractetur. T. Bene dicis. C. A. Planè cum calculi subductio, neque pacti de non petendo, neque transactionis vim habeat, quoniam veritatis inueniendæ causa initur; placuit errorem calculi (vt habet titulus Codicis, *De errore calculi*) veritati non adferre præiudicium.

De postulando.

TITVLVS XI.

T. **D**EINCEPS *De postulando*, de quo & Codicis Rubrica est, quid vis dicere? C. A. Postulare, inquit Vlpianus, est desiderium suum, vel amici sui, in iure, apud eum qui iurisdictioni præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere: quod vtrumque sanè necessarium est, ad causam qua de agitur cognoscendam. T. Probè. C. A. Sed ne res ea sine ordine tractetur, proposuit Prætor hunc titulum habendæ rationis causa, suæque dignitatis tuendæ, & decoris sui gratia, ne contra honestatis publicæ principia sine delectu passim apud se postuletur. Ea que propter tres fecit ordines: nam quosdam in totum prohibuit postulare, vt minores decem & septem annis, surdos, & similes, de quibus ait: Si non habebunt aduocatum, ego dabo.] quibusdam pro se permisit, sed non pro aliis, vt feminis, propter pudorem sexus; & infamia notatis, propter turpitudinem: quibusdam pro certis dumtaxat personis, quæ eadem propemodum cum ipsis persona habentur, & pro se permisit, nimirum qui minus deliquerint, quàm qui infamia sunt notati. De quibus Prætor sic ait: Qui lege, plebiscito, senatusconsulto, edicto, decreto Principum, nisi pro certis personis postulare prohibentur, hi pro alio quàm pro quo licebit, in iure apud me ne postulent, nisi pro parente, patrono, patrona, liberis, parentibusque patroni, patronæ liberisve suis, fratre, sorore, vxore, socero, focru, genero, nuru, vitrico, nouerca, priuigno, priuigna, pupillo, pupilla, furioso, furiosa, cui eorum à parente, aut de maioris partis tutorum sententia, aut ab eo cuius de ea re iurisdictionio fuit, ea tutela curatione data erit.] T. Rectè. C. A. Ac *De his qui notantur infamia*. de quibus Rubrica Codicis est, *Ex quibus causis infamia irrogatur*. Prætoris verba, cum quibusdam aliis rei declarandæ causa interiectis, sic dicunt: Quoniam secundum principia moralia virtutis præmium gloria est & honor, vitij autem dedecus & infamia: infamia notantur, qui ab exercitu ignominie causa ab Imperatore, eoque cui ea de re statuendi potestas fuerit, dimissus erit, quod probrosum est. Qui artis ludicæ exercendæ, pronuntiandæ causa in scenam prodierit, quod vile est, & contra honestatem publicam. Qui lenocinium fecerit, quod turpe. Qui in iudicio publico calumnie præuaricationisve causa quid fecisse iudicatus erit, quod improbum. Qui furti, vel vi bonorum raptorum, de dolo malo & fraude, suo nomine damnatus pactusve erit. Qui pro focio, tutelæ, mandati, depositi, suo nomine non contrario iudicio damnatus erit, quod auarum & iniustum, contraque fidem bonam. Qui eam quæ in potestate eius esset genero mortuo, cum eum mortuum esse sciret, intra id tempus quo elugere virum moris est, antequam virum elugeret, in matrimonium collocauerit, eamve sciens quis vxorem duxerit, non iussu eius in cuius potestate est; & qui eum quem in potestate haberet, eam de qua supra comprehensum est, vxorem ducere passus fuerit; quive suo nomine, non iussu eius in cuius potestate esset, eiusve nomine, quem quàmve in potestate haberet, bina sponsalia, binasve nuptias eodem tempore constitutas habuerit: quod indecens & inhonestum.] T. Probè me hercule dictum. C. A. Planè præter iam dictos, reliqui omnes, & pro se postulare possunt, & pro omnibus aliis: qui tum quidem procuratores ac defensores vocantur, tum autem actores ac syndici, tum verò negotiorum gestores. T. Qui sunt procuratores & defensores? C. A. Procurator est qui aliena negotia mandato domini administrat. de quo Prætor ait: Procuratorem ad litem suscipiendam datum, pro quo consentiente dominus iudicatum solui exposuit, iudicium accipere cogam, ne contra principia iustitiæ, quem tuendum suscepit, contra bonam fidem desertum esse patiatur.] Defensor est, qui alienæ rei vel litis defensionem suscipit. de quo verba Prætoris sunt: Cuius nomine quis actionem sibi dari postulabit, is eum viri boni arbitrato defendat, & ei quo nomine ager, id ratum habere eum, ad quem ea res pertinet, boni viri arbitrato satisfacet, ne illusorium reddatur iudicium.] Quamquam vtraque edicti particula sub titulo, *De procuratoribus, & defensoribus*, ad vtrosque referri potest. Et verò vsus procuratorum & defensorum pernecessarius visus est; vt, qui rebus suis ipsi superesse vel nolunt vel non possunt,

per

per alios possint, vel agere, vel conueniri. T. Bene dicis. C.A. Atque huc quidem pertinet titulus Institutionum de iis per quos agere possimus, nec non diuersi tituli Codicis, qui aduocatos spectant, quos circa ius partis tuendum, in foro propriè versari constat. Ac sunt quidem hi tituli: *De aduocatis diuersorum iudiciorum*, veluti præfecturæ prætorianæ, prædialis, & similibus. *De aduocatis diuersorum iudicum*, nempe principalem, delegatorum, pedaneorum, & sic deinceps. *De aduocatis fisci*, quibus prohibitum contra fiscum patrocinium suscipere. *De errore aduocatorum, vel libellos seu preces concipientium*, quem veritati præiudicium adferre non posse, manifestum est. *Vt qua desunt aduocatis partium, iudex suppleat*, quæ sciat legibus & iuri publico conuenire. T. Qui sunt actores, siue syndici? C.A. Qui eius, *Quod cuiusque vniuersitatis nomine, vel contra eam agatur*, curam publicè datam habent. Nam quibus permissum est corpus habere collegij, societatis, siue cuiusque alterius eorum nomine, quod non facillè conceditur, ne in diuersas factiones respublica distrahatur, & tamen subinde propter bonum ciuitatis, ad eam inter se colligandam, est necessarium; iis per consequentiam permissum est, ad exemplum reipublicæ habere res communes, arcam communem, & actorem siue syndicum, per quem, tamquam in republica, quod communiter agi fieri oportet agatur, fiat. Quia enim absque his corpus conseruari non potest, facit ratio physica & politica vt. habere eos oporteat. T. Qui negotiorum gestores? C.A. Qui sine mandato, amicitia ducti, res alicuius absentis vel alterius gerunt. de quibus sub Rubrica, *De negotijs gestis*, quæ & in Codice est; edicit Prætor hoc modo: Si quis negotia alterius, siue quis negotia quæ cuiusque, cum is moritur, fuerint, gesserit, iudicium eo nomine dabo, vt quod eo nomine vtiliter impendit, reddatur. Quod quidem edictum Vlpianus necessarium esse ait, quoniam magna vtilitas absentium versatur, ne indefensi rerum possessionem aut venditionem patiantur, vel pignoris distractionem, vel pœnæ committendæ actionem, vel iniuria rem suam amittant. Nam sicut æquum est, inquit Caius, ipsum actus sui rationem reddere, & eo nomine condemnari, si quid vel non vt oportet gessit, vel ex his negotijs retinet: ita ex diuerso iustum est, si vtiliter gessit, præstari ei quicquid eo nomine abest ei, vel abfuturum est. T. Cum ratione & principis iustitiæ consentaneum est quod dicit. C.A. Bene rem accipis. Et verò siue quis suo nomine agat, aut defendat, siue alieno, diligenter cauere debet ne per calumniam procedat. Nam in eum, inquit Vlpianus titulo *De calumniatoribus*, qui vt calumniæ causa negotium faceret, vel non faceret, pecuniam accepisse dicitur, intra annum in quadruplum eius pecuniæ quam accepisse dicitur, post annum simpli in factum actio competit. Ac cum finis iudiciorum sit, sua cuique iustà conseruare; nihil magis indignum, & si illi contrarium est, quàm iniuriam & calumniam in iis interuenire, sic vt sedes iustitiæ in sedem iniquitatis conuertatur. Vnde vel maximè ad Imperatoriam maiestatem secundum Iustinianum pertinet, vt calumniantium iniquitatem expellat. Et David de verò Regis officio loquens, Iudicabit pauperes populis, inquit, & saluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem. T. Reuera dicis. C.A. Atque hinc quidem certum est quod de iuramento calumniæ inferius dicitur, nec non quod de causis per potentiores non tractandis traditur. nam quemadmodum dolus, ita & vis iuri ac iustitiæ omnino contraria est, vt supra audiuius. vnde manarunt tituli Codicis qui sequuntur: *Ne liceat potentioribus, patrocinium litigantibus prestare, vel actiones in se transferre. De his qui potentiorum nomine titulos prædij assignunt, vel eorum nomina in litem prætendunt*: ad terrorem iudici, vel aduersario incutiendum, quos amissione causæ puniri placuit. *Vt nemo priuatus titulos regios prædij suis, vel alienis imponat, vel vela regia suspendat*. quod capite in plebeiis, deportatione in maioribus (nam hac distinctione principia iustitiæ distributiue sæpe opus est) punitur. *Vt nemini liceat sine iudicis auctoritate signa rebus imponere alienis*, etiam si suas esse dicat, quia nemo potest sibi ius dicere. *Ne fiscus Principis, vel res publica procuracionem alicui patrocinij causa in lite præstet*, ne terrore incurere velle videatur. quod quidè cum priuatis sit prohibitum, vt dictum est, multo minus publicè fieri debet.

De in integrum restitutionibus.

TITVLVS XII.


T. **R**GO de in integrum restitutionibus quid dicis? C.A. In integrum restitutio est, cum is qui in captionem incidit, & tamen summo iure tenetur, in pristinum statum causa cognita reponitur. Qua quidem circuitione, secundum ea quæ supra dicta sunt, opus est, vt & summo iuri satisfiat, quod non patitur vt res pro nulla habeatur, & æquitati, quæ captionem non rolerat, vnde fit vt durities iuris, moderatione Prætoris, qui tamquam viua lex est, temperetur,

retur, dummodo de eo quod alicuius momenti sit, agatur, non autē si de minima aliqua re vel summa: nam ob exiguitatē subinde fieri ut ius non reddatur, antē traditum est, cum de principiis extraordinariis tractaretur. T. Quæ autem sunt causæ ex quibus restitutiones in integrum plerumque fiunt? C. A. Primum si quid metus causa gestum, datum, promissumve sit. Quod quidem, si ius ipsum spectes, ratum est; nam ut vulgo dicitur, coacta voluntas, est voluntas: si verò æquitatem, minimè, quia non plena voluntas est, sed necessitas, quæ voluntati secundum principia ab homine ducta est contraria. vnde ait Prætor: *Quod metus causa gestum erit, ratum non habeo.* Et verò ideo non ipso iure reus liberatur, quia opus est causæ cognitione, vtrum iustus metus fuerit, nempe qui in constantem virum cadit, nec ne, ut & sub titulo Codicis, *De his que vi metusve causa gesta sunt*, demonstratur. T. Audio. C. A. Deinde si quis dolo malo alicuius in captionem venerit. qua de re Prætor titulo, *De dolo malo*, qui & in Codice exstat, sic ait: *Quæ dolo malo facta esse dicentur, si de his rebus alia actio non erit, & iusta causa esse videbitur, iudicium dabo.* Ne vel vni malitia sua contra principia Ethica sit lucrosa, vel alteri sua simplicitas damnosa. Ac est quidem dolus malus (nam est & alius dolus bonus) omnis calliditas, fallacia, machinatio, ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita; de qua quidem quia nisi causa cognita constare non potest, non potuit recta via quid statui, sed opus fuit hac circuitione, in integrum restitutionis. Et meritò ita demum Prætor hanc actionem pollicetur, si alia non sit, quoniam famosa actio, cuiusmodi est hæc, ob dolum, non temere decerni debet. Et ideo liberis vel libertis aduersus parentes patronosve, item humili aduersus eum qui dignitate excedit (nam personarum diligentem rationem habendam esse, suo loco traditum est) non datur, sed actio in factum (ne ex dolo suo lucrentur) quæ verbis temperanda est, ut bonæ fidei mentio fiat, & famæ parcat. T. Intelligo. C. A. Sed & si quis adolescens minor viginti quinque annis in captionem incidat, licet ipso iure teneat, quia pubes est, Prætor tamen sub Rubrica, *De minoribus viginti quinque annis*, naturalem æquitatem sequutus, & considerans fragile & infirmum esse huius ætatis consilium, & multis captionibus suppositum, multorumque insidiis expositum, tutelam eius suscepit, & auxilium aduersus captionem, per in integrum restitutionem, nam causæ cognitione opus est, edicto pollicetur. cuius verba sunt: *Quod cum minore quàm viginti quinque annis natu gestum esse diceretur, vti quæque res erit, animaduertam.* Ac pertinent huc quidem tituli Codicis: *De in integrum restitutione minorum viginti quinque annis*. qui titulus generalis est. *De filio familias minore*. qui non minùs atque alius quilibet restituitur. *De fideiussoribus minorum*. quibus non prodest restitutio minoris, quia personæ est privilegium, non rei. *Situtor vel curator interuenerit*. quo casu non minùs minor circumuentus restituitur, atque si non interuenerit. *Si in communi eademque causa in integrum restitutio postuletur*, à minore auditur, quemadmodum & *Si aduersus venditionem per eum factam qui læsus est*. Item, *Si aduersus venditionem vignorum per creditores*, si quidem damnum enorme est. *Si aduersus donationem* quam fecit, non propter nuptias. *Si aduersus libertatem per se datam*: vbi fauore libertatis ea non rescinditur, sed actio aduersum eum qui dolum commisit datur. *Si aduersus transactionem vel diuisionem in integrum minor restitui velit*: vbi læsus restituitur. *Si aduersus solutionem à tutore vel à se factam* indebitè: vbi auditur. *Si aduersus dotem* enormem, veluti omnium bonorum: vbi fit quoque restitutio. *Si aduersus delictum*: vbi non fit: quoniam malorum mores infirmitas animi non excusat. *Si aduersus usucapionem*: vbi auditur. *Si aduersus fiscum*: contra quem & ipsum restituitur. *Si aduersus creditorem*, cuius pecunia in vtilitatem eius non est conuersa: vbi quoque auditur. Quemadmodum & si, *Ut ab hereditate se abstinereat*, cui se immiscuit; & e contra, *Si ut omisam hereditatem, vel bonorum possessionem, vel quid aliud acquirat* quod omiserat. Et quidem cum ab vna parte sit titulus, *In quibus causis in integrum restitutio necessaria non est* minoribus, veluti si mortem patris non vindicauerint, si actione temporali non egerint, cum similibus: ab altera parte est titulus, *Qui, & aduersus quos in integrum restitui non possit*. nempe liberi contra parentes, & liberti contra patronos, propter reuerentiam, & quia non præsumuntur læsi. *Et si minor se maiorem dixerit, vel maior probatus fuerit*, per dolum, non est locus restitutioni, quia errantibus, non decipiētibus iura subueniunt. *Et de his qui veniam a tute impetrauerunt*, quoque placuit, ut de iis quæ post deinde gesserint, minimè restituantur, quemadmodum & *Si maior factus ratum habuerit* quod in minore ætate gessit, cessat restitutio. *Et si sapius in integrum restitutio postuletur*, ex eadem causa placuit, eam semel denegatam, iteratò peti non posse. T. Probè narras. C. A. Iam præter minores subuenitur etiam his qui cum iis negotium habent, qui post contractum factum, capite minuti sunt; non quidem maxima capitis diminutione, amissa liber-

libertate; nec media, amissa ciuitate (nam hi quasi pro nullis habentur, & non tam sponte sua quàm inuiti eò perueniunt) sed minima, veluti si fraudandi creditoris causa arrogandum se quis dederit, ne, quia filiusfamilias factus est, conueniri possit. Vnde Prætor titulo, *De capite minutis*. cum quo congruit Rubrica Institut. De capitis diminutione. Qui quæcûq; inquit, posteaquam quid cum his actum contractumve sit, capite diminuti diminutæve esse dicentur, in eos eafve, perinde quasi id factum non sit, iudicium dabo.] T. Rectè. C.A. Et verò si quis reipublicæ causa absens, vel aduerso casu laborans, ita vt rebus suis superesse non possit, damnum interea lapsu temporis passus sit, veluti si cuius actionis dies exierit, vel non vtendo quid amiserit, aut alius aduersus eum vsu quid suum fecerit; & hoc casu æquû visum est, vt ei succurratur, scilicet ne contra principia ethica, aut officium ei damnosum sit, aut afflictio afflictò addatur. Qua de re verba Prætoris sub Rubrica, *Ex quibus causis maiores viginti quinque annis in integrum restituantur*, sunt hæc: Si cuius quid de bonis, cum is metu, aut sine dolo malo reipublicæ causa abesset, inue vinculis, seruitute, hostiumque potestate esset, siue cuius actionis eorum dies exisse dicetur; item si quis quid vsu suum fecisset, aut quod non vtendo amisit consecutus, actione ve qua solutus est, ob id quòd dies exierit, cum absens non defenderetur, inue vinculis esset, secumve agendi potestatem non faceret, aut cum eum inuitum in ius vocare non liceret, neque defenderetur, cumve magistratus ea de re appellatus esset, siue cui pro magistratu sine dolo ipsius actio exempta esse dicetur; earum rerum actionem intra annum quo primum de ea re experiundi potestas erit, item si qua alia mihi iusta causa esse videbitur, in integrum restituam, quoad eius per leges, plebiscita, senatusconsulta, edicta, decreta Principum licebit.] Ac cum his conueniunt tituli Codicis: *Quibus ex causis maiores in integrum restituantur. De restitutione militum, & eorum qui reipublica causa absunt. De uxoribus militum, & eorum qui reipublica causa absunt.* quas, si maritum sequuntur, priuilegio eius gaudere placuit. T. Probè. C.A. Sed ne illi quoque tolerandi visum sunt, qui res suas iudicij mutandi causa alienant. Et ideo si data opera in fraudem nostram, vel potentior aduersarius alienando obiiciatur, vel qui difficilius possit conueniri, vel qui nos vexaturus sit; in tantum nobis tenetur is qui alienauit, quanti nostra interest alium aduersarium non habuisse, vt sub titulo, *De alienatione iudicij mutandi causa facta*, qui & in Codice exstat, videre licet. T. Scitè. C.A. Aded vt omnes causæ restitutionis in integrum præter supradictas rationes internas quas habent, vel ab odio fraudatoris proficiantur, vt in vi, dolo, capitis diminutione, & alienatione iudicij mutandi causa facta; vel à fauore eius qui damnum passus est, vt in minoribus viginti quinque annis, & qui reipublicæ, vel aduersæ fortunæ causa abfuerint: quæ sunt rationes externæ. T. Sic est. C.A. Ac pertinent quidem ad hanc totam materiam in integrum restitutionis tituli Codicis, *Vbi & apud quem cognitio in integrum restitutionis agitanda sit.* nempe apud iudices ordinarios, vbi actor sequitur forum rei. *De reputationibus qua fiunt in iudicio in integrum restitutionis.* nam qui restituitur in integrum, sicut in damno morari non debet, ita nec in lucro: & ideo quicquid ad eum peruenit, vel ex emptione, vel ex venditione, vel ex alio contractu, hoc debet restituere. *Etiã per procuratorem causam in integrum restitutionis agi posse.* quemadmodum in plerisque omnibus aliis fit causis. *In integrum restitutione postulata ne quid noui fiat,* sic vt omnia in suo statu maneant donec res finiatur. *De temporibus in integrum restitutionis, tam minorum aliarumq; personarum qua restitui possunt, quàm etiam heredum eorum.* Ad quos vtique ius restitutionis transmittitur: quod, quantum ad minores attinet, intra quadriennium postquam maior quis factus est, competit; & generaliter, si quis causa reipublicæ abest, nullum petendæ restitutionis tempus illi currit.

De arbitris.


TITVLVS XIII.

T.  VPEREST de arbitris vt dicas. C.A. Hi sunt, vt suo loco ostendimus, ad quos initio litis, vel ea pendente, tamquam ad amicos iri solet, vt amice potius quàm iure, si quæ fieri queat, agatur. Vnde Plato vicinos arbitros prius adiri iubet, quàm ad iudicium perueniatur. Et quidem tametsi arbitrium recipere minimè tenetur; postquam tamen recepit, ad Prætoris curam pertinet vt sententia dicatur, idque tam litium minuendarum causa, quàm ne decipiantur qui eum, tamquam virum bonum sanctumque, disceptatorem inter se elegerunt, vt ostendit titulus, *De receptis qui arbitrium recipiunt, vt sententiam dicant.* T. Rectè. C.A. Cuius quidem tituli cum duæ sint partes; posterior specialis est, ad arbitros, de quibus

quibus agimus pertinens, cum quo conuenit titulus Codicis, *De receptis arbitrariis*. prior autem generalis, sic ut non modò eos qui arbitrium, sed & eos qui res alienas susceperunt, comprehendat. de quibus obiter, extra id quod propriè hìc agitur, est Rubrica, *Nautæ, caupones, stabularij, ut recepta restituant*. Nam hoc utique bonæ fidei secundum principia iustitiæ consentaneum est, ut quod receptum est præstetur. vnde Prætor: *Nautæ, caupones, stabularij, inquit, quod cuiusque saluum fore receperint, nisi restituant, in eos iudicium dabo.*] Ac sunt quidem nautæ, qui nauem exercent; caupones, qui cauponam ad viatores recipiendos; stabularij, qui stabulum vbi iumenta stabulantur.

De iudiciis ipsis.

TITVLVS XIII.

T.  **V**ONIAM eam partem iuris priuati siue Pandectarum absoluisisti, quæ ad priora siue τὰ πρῶτα iuris & iudiciorum pertinet: placetne ut de iudiciis ipsis nunc porrò te interrogem? C. A. Placet verò. & quidem iis explicandis simul etiam iura cuiusque rei, de qua in iudicio agitur, exponemus.

T. Ergo de iis quid tractas? C. A. Enim vero primùm, *De iudicijs, & vbi quisque agere vel conueniri debeat*, exponam: deinde autem ipsa iudicia quonam modo diuidantur, tradam. **T.** De iudicijs quid ais? C. A. Sanè iudicium vocatur, cum de re inter duos controuersa per legitimum iudicem cognoscitur, & quid iuris sit pronunciat. Ac est quidem legitimus iudex, qui iure magistratus sui iudicandi potestatem habet, vel ab eo datus qui lege, senatusconsulto, vel constitutione Principis, iudicis dandi ius habet, dummodo non impediatur esse iudex. nam quidam natura impediuntur esse iudices, ut surdi, muti, furiosi: quidam lege, qui senatu moti sunt: quidam moribus, ut feminæ, & serui. Ac pertinent quidem ad iudicia tituli Codicis, *De satisfadendo*, à procuratore actoris, dominum rem ratam habiturum, nisi præsens apud acta fuit, & rei iudicatum solui. quò pertinet etiam titulus Institutionum, *De satisfadationibus. De formulis & impetrationibus actionum sublati*, ut scrupulositate omni, & aucupatione syllabarum sublata, recta via in iudicio procedatur. *De iureiurando propter calumniam dando*, quo à partibus iuratur non calumniandi animo, sed ex veritate se procedere. *De sportulis, & sumptibus in diuersis iudicijs faciendis*. quorum certus modus ponitur. & *De executoribus litium*, ut qui initio operam suam præstitit apparitor, vsque ad negotij terminum id faciat, nisi negligentem se præstet. *Qui legitimam personam standi in iudicijs habent, vel non*. nam minores, auctore tutore vel curatore, rectè stant in iudicio, absque eo non. *Ut nemo inuitus agere, vel accusare cogatur*. nam id liberi cuiusque debet esse arbitrij. *De ordine cognitionum*. nam si quæstio status, veluti an seruus quis sit, cum alia nempe, an sit hæres, incidat; quæstio status prius terminanda est. *De litis contestatione*. quæ est, cum Iudex per narrationem negotij causam audire cœpit. *De plus petitionibus*, quàm reuera debetur: quas, si quidem dolo id faciant, placuit toto debito priuatione puniri. **T.** Vbi autem quisque agere vel conueniri debet? C. A. Equidem regula generalis est, actorem forum rei sequi debere: nam naturali ratione, qui alium persecuturus est, utique vbi ille est, persequi eum debet. Ac est quidem forum rei, vbi domicilium habet, vel negotium contractum est, vel vbi conueniatur conuentum. Nam si se subiiciant aliqui, inquit Vlpianus, iurisdictioni, & consentiunt, inter consentientes cuiusvis iudicis qui tribunali præest, vel aliam iurisdictionem habet, est iurisdictionis. **T.** Intelligo. C. A. Atque hæc quidem cum generalis sit regula; qui speciales hac de re in Codice existant tituli, sunt: *Vbi de criminibus agi oporteat*, vbi commissa sunt, vel criminosi reperiuntur. *Vbi de possessione agi oporteat*, vbi vis in ea facta est. *Vbi fidei commissum peti oporteat*, vbi hæreditas relicta est. *Vbi in rem actio exerceri debeat*, vbi sita est contra eius possessorem. *Vbi de hæreditate agatur, & vbi hæredes scripti in possessionem mitti postulare debeant*, vbi res hæreditariæ sitæ sunt, vel vbi domicilium habet is qui conuenitur. *Vbi de ratiocinijs, tam publicis quàm priuatis, agi oporteat*, vbi negotia gesta sunt. *Vbi causa status agi debeat*, vbi domicilium reus habet. *Vbi quis de curiali vel cohortali aliâve conditione conueniatur*, vbi cumque reperitur, vnde vi eripi, & ad locum cui obnoxius est reduci potest. *Vbi senatores vel clarissimi ciuilitè vel criminalitè conueniantur*, nempe apud iudices Palatinos ciuilitè, criminalitè, vbi cumque reperuntur. *In quibus causis militantes fori præscriptione uti non possunt*, in functionibus scilicet publicis, quas gesserunt. *Vbi cause fiscales, vel diuina domus, hominumq; eius agantur*, apud rationalem Cæsaris. *Quando liceat unicuique sine iudice se vindicare, vel ob publicam deuotionem*, contra milites, agrorum populatores, & desertores.

De

De diuisione iudiciorum.

TITVLVS XV.

NUNC quomodo autem diuiduntur iudicia? C.A. In ciuilia, prætoria, & criminalia. Nam cum supra dictum sit, iurisdictionem generali nomine, tum quidem iurisdictionem, quæ specialiter sic vocatur, sub se continere, tum autem Imperium merum, tum verò mixtum: quæ specialis iurisdictionis sunt, ciuilia propriè vocantur; quæ Imperij meri, criminalia; & quæ Imperij mixti, prætoria. Porro cum eorum de quibus inter homines agitur, alia voluntaria sint, alia inuoluntaria, alia mixta: iudicia quæ ad voluntaria pertinent, ciuilia sunt; quæ ad inuoluntaria, criminalia; quæ ad mixta, prætoria, nempe cum de possessione agitur, vbi prætor partes suas interponit, ne ad arma veniatur. Cui accedit, cum ante demonstratum sit, partim legibus constitutis, partim magistratibus, partim iudiciis omnia regi ac gubernari; quòd iudicia ciuilia propriè legum sunt, prætoria magistratuum, & criminalia iudiciorum. Ac cum itidem supra dictum sit, leges alias primariorum esse legislatorum, alias secundariorum, alias mixtas: iudicia ciuilia primi generis sunt; prætoria secundi, & criminalia tertij; quamquam tamen alia cum aliis nonnumquam misceantur. Sed dicendum est ordine de singulis separatim ac distinctè, nisi quatenus continentia materiz quædam subinde (quod perrarò accidit) alia cum aliis miscere cogat. F. Igitur de iudiciis ciuilibus primùm quid habes dicere? C.A. Ea tum quidem res spectant, tum verò personas, prout omnia diuidi supra demonstratùm est. T. Quæ sunt quæ res spectant? C.A. Quæ vel ad res vendicandas pertinent, per actiones in rem, quæ iudicia generali nomine vocantur, quorum origo à dominio est; vel ad res creditas, per actiones in personam, quæ conditiones generaliter dicuntur, quæ ab obligatione ortus sui principatum ducunt. Nam cum ea sit imbecillitas humanæ naturæ, vt neque in communiõne viuere possint, propter dissensiones; neque prorsus separati, propter mutuz opis necessitatem: factum est per dominiorum distinctionem, & iudicia eò pertinentia, vt discordiaz vitentur; & per obligationes siue commercia, & conditiones eò pertinentes, vt per res creditas mutua ope homines inter se iuuentur. T. Quæ spectant personas? C.A. Quæ tum quidem ad liberorum procreationem ac tuitionem pertinent, per iustas nuptias, & tutelas; tum per successionem, per testamenta, & ab intestato. Nam cum hæc duo nobis principia insita esse, supra demonstratum sit, vt nos vitamque nostram tuentes, vnde quæ res spectant oriuntur, genus nostrum propagemus, & à nobis ortos in locum nostrum substituamus: ob propagationem & conseruationem sobolis, nuptiaz, & tutelæ; ob liberorum nostrorum substitutionem, successiones diuersorum generum inuentæ ac constitutz fuere. Sed tractemus de singulis ordine, nempe de iudiciis, rebus creditis, nuptiis, & successiõibus. T. Primùm ergo de iudiciis quid vis dicere? C.A. Hæc alia principalia sunt, rerum, personarum, & mixta, alia accessoria. Et quidem quoniam ea quæ rerum sunt, rursus vel ad vniuersitatem pertinent, vel ad res singulas, quæ denuo vel corporales sunt, vt domus, fundus; vel incorporales, vt seruitutes; quæ tum quidem personales sunt, vt vsusfructus; tum verò prædiales, rusticorum & vrbanoꝝ prædiorum: nos hunc ipsum ordinem, qui ex principiis Phisicis ferè manat, sequentes, de singulis distinctè separateque differemus.

De vniuersitatis rerum petitione.


TITVLVS XVI.

RGO ad vniuersitatem rerum quænam iudicia pertinent? C.A. Quibus hæreditas petitur. nam hæreditas est successio in vniuersum ius, quod defunctus tempore mortis habuit. T. Rectè. C.A. Ad quam quidè petitione vti perueniatur, sæpe præcedere solet querela inofficiosi testamenti, post autem sequi ipsa petitio hæreditatis, vel partiseius; siue ea ciuilis sit, siue possessoria, siue fidei commissaria. T. *De inofficioso testamento*, de quo & Codicis ac Institutionum est titulus, siue querela inofficiosi testamenti, quid dicis? C.A. Eam esse aio, qua liberi de testamento patris, qui sine iusta causa exhæredati vel præteriti sunt, tamquam contra officium paternum facto, conqueruntur. Quod quidem quamquam per se æquum & iustum est (quoniam licet magna parentum in liberos sit auctoritas, non debet tamen secundum principia humaniora, quibus nunc vtimur, exclusis durioribus, quibus veteres Romani utebantur, vsque eò valere, vt ab hæreditate iure naturæ debita, sine causa eos exclu-

excludere possint, quia tamen reuerentia parentibus debita immensa est, placuit vt non recta via pater, impietatis in liberis accusetur, sed vt circuitione facta, qua subinde opus esse supra probatum est) res verbis temperetur, hoc colore, quasi non sanæ mentis fuerit, cum testamentum ordinaret. Quod quidem sic dicitur, non quasi verè furiosus vel demens testatus sit (id enim si esset, nullum fecit testamentum) sed quod rectè quidem fecit testamentum, non autem ex officio pietatis. Atque applicantur etiam hîc tituli Codicis, *De inofficiosis donationibus*. quæ sunt, cum legitima liberis non relinquitur, quas, quatenus modum excedunt, reuocari placuit (qua de re Nouella, *De immensis donationibus collatis in filios*, quoque tractat) & *De inofficiosis dotibus*. veluti si mater omnia sua bona in dotem det: qua, de re liberis non minùs quàm de inofficioso testamento conqueri permissum est. T. *De hæreditatis petitione* autem, de qua & Codicis Rubrica est? C. A. Hæc est, qua quis totam aliquam hæreditatem ab iniusto possessore vindicat, tamquam ad se deuolutam, siue ab intestato, sic vt ex veteri iure duodecim tabularum, vel nouo ex senatusconsultis, aut constitutionibus, fiat locus successioni, cum nullum testamentum factum est, aut id quod factum, per inofficiosi querelam est expugnatum; siue ex testamento quod iure sanum est. Quæ quidem petitio multa habet diuersa à singularum rerum petitione, non ratione formæ; nam vtrobique petitio siue vindicatio est rei suæ, sed materiæ subiectæ, quatenus res vniuersales à singulis secundum principia physica distinguuntur. T. Quid autem est, *Si pars hæreditatis petatur?* C. A. Eodem modo se res habet proportione, qua cum tota petitur; nam quæ ratio est totius ad totum, eadem est partis ad partem: & ideo quemadmodum hæreditas tota vindicari abste potest, licet tu vnâ rem dumtaxat possideas; ita & circa partem hæreditatis accidit. Nam vniuersitatis ea est natura, vt vbique sit tota, nec tam per se partes recipit, quàm ex rebus subiectis. T. *De possessoria hæreditatis petitione*. quid ais? C. A. Ea est, qua hæreditatem quis petit, non tamquam hæres, iure ciuili, sed tamquam bonorum possessor, iure prætorio, qui pro hærede est, vt suo loco latius explicabitur. T. *De fidei commissaria hæreditatis petitione* verò? C. A. Hæc est, qua hæreditatem petit, non qui directò hæres institutus est, sed qui ex senatusconsulto Trebelliano restitutam hæreditatem suscepit: in quem quidem quia actiones transeunt (nam & ipse pro hærede est) fidei commissaria hæreditatis petitione vti poterit, prout ex iis quæ de fidei commissis idoneo loco tractabuntur, plenius intelligi poterit.

De singularum rerum corporalium petitione.

TITVLVS XVII.

T.  EQVITVR de singularum rerum corporalium petitione vt exponas. C. A. Sic est. & quidem vocamus res corporales singulas, quæ ad oculum demonstrari possunt: veluti cum certam hanc vestem, certum fundum, certum gregem petimus. Qui quidem grex tametsi quoquo modo in vniuersitate consistat; nam accedentibus ac decedentibus capitibus augeri potest, & minui: quia tamen terni potest non pro vniuersitate iuris vt hæreditas; sed pro certo corpore, quod augeri potest & minui; secundum principia physica reputatur. T. Rectè. C. A. Ac petuntur quidem hæc res à possessoribus earum, qui restituendi potestatem habent. Nam cum vltimus finis huius actionis sit, vt res domino restituatur; id equidem fieri non potest, nisi ab eo petatur, qui eius restituendi habet facultatem. T. Probè. C. A. Et quidem nisi arbitrato iudicis eam restituat, aufertur manu militari. quod vltimum in iustitia administranda esse, superius demonstratum est, cum de disciplina ageretur. T. Scitè. C. A. Porro quoniam hæc actio propriè vocatur rei vindicatio; quæ nihil aliud est, quàm assertio rei suæ, cuius se dominum esse ait: hoc tribus omnino modis spectatur. T. Dic primum. C. A. Quando is qui verè dominus est, vel quasi rem suam certa via vindicat, quod propriè est vindicatio: de qua sub Rubrica, *De rei vindicatione* (quæ & in Codice exstat) agitur, quæ locum habet in omnibus rebus mobilibus, tam animalibus quàm his quæ anima carent, & in his quæ solo continentur. T. Dic alterum. C. A. Quando is qui non est, sed fingitur dominus, per Publicianam in rem actionem eam vindicat: veluti si rem quam cœperam vsucapere, fortè amissam repetam à non domino, tamquam si vsu cepissem. quod quidem contra rationem internam, quia is qui dominus rei non est, eam vindicare non potest, secundum rationem externam, propter fauorem primi possessoris, qui meritò præferendus videtur, est receptum, idque fictione adhibita, dicens se vsuccepisse cum non vsucuperit, ne contra regulam iuris is qui dominus non est, rem vindicare videatur; cuiusmodi fictionibus sæpe opus esse, antè dictum est. Quamquam quod apud Iusti-

Iustinianum in Institutionibus ea de re traditur, in Pandectis de quibus agimus non reperitur, vbi sub titulo, *De publiciana in rem actione*, verba Prætoris sunt: Si quis id quod traditur ex iusta causa à domino, & nondum vsucaptum, petet, iudicium dabo.] T. Dic nunc tertium. C. A. Quando is qui utilis est dominus eam vindicat, cuiusmodi est qui fundum vectigalem, siue emphyteuticarium in longum tempus, vel perpetuum, colendi causa conductum habet; ita vt quamdiu vectigal solvatur, neque ipsi neque successoribus eius in perpetuum auferri possit: vnde & perpetuarius contractus appellatur. Qui quidem tamen si rei dominus non est, vtilitatem tamen eius in perpetuum percipit: vnde tamquam pro domino habetur, & vindicatio ei conceditur, non interna quidem, sed externa ratione, propter vtilitatem, quæ simplicitatem potius quàm scrupulositatem multis in rebus spectare iubet: pertinetque huc titulus: *Si ager vectigalis*, id est, *emphyteuticarius petatur*. Ac dicitur quidem vectigalis à censu annuo, qui priuatim (nam sunt alij agri vectigales publici, qui stipendiarij & tributarij vocantur) pro eo penditur; emphyteuticarius, quoniam colendus ac plantandus datur.

De singularum rerum incorporalium personalium petitione.


TITVLVS XVIII.

T. **D**OSTHÆC de singulis rebus incorporalibus personalibus quid habes dicere? C. A. Hæ spectantur in vsufructu, vel quasi vsu, & in iis quæ vtrisque sunt communia. T. Vsumfructum quomodo definis? C. A. Aio ius & potestatem esse, alienis vtendi fruendi rebus, viri boni arbitrato, salua earum rerum substantia. T. Audio. C. A. Ac dico quidem, ius ac potestatem, vt ostendam veram substantiam vsufructus non in nudo iure, sed in potestate, quæ iam re ipsa competit, consistere: vnde fit, vt cum in aliis rebus, veluti domo, fundo, & similibus, ex die puta Calendarum Ianuarij legatis, ratio physica minimè refragetur, quin moriente testatore ante Calendas Ianuarias, dies statim cedat, sic vt legatum ad hæredem transmitti possit, qui ipsis deinde Calendis demum venit; quia scilicet ea quæ legata sunt, in rerum sunt natura: In vsufructu contrà accidit, vt non antè diés vsufructus legati cedat, quàm veniat, quoniam reuera non prius in re ius est natura, propterea quòd verum ius & potestas re ipsa vtendi fruendi, non antè existit, nec existere potest. Quæ etiam ratione fit, vt cum aliarum rerum legata tempore mortis testatoris cedant, vsufructus legatum non antè cedat, quàm adita sit hæreditas; sic vt aliquis sit qui eum re ipsa præstet. T. Intellego. C. A. Addo, Alienis rebus, quoniam sua res nemini seruit. Et si eiusdem rei vsufructus, duobus in solidum legatus sit, concurrente vtroque ad legatum, concursu partes fiunt. Econtra accidit, vt si vnus non currat, alteri pars eius accrescat, siue potius non decreseat: nam per se totum vsufructum accipit, idque siue singulis seorsim vsufructus ille legatus sit, siue coniunctim vtrisque, vt Titio, & Seio fundi Meuiani vsufructum do, lego: nam cum secundum principia Logica, vna oratio cõiuncta, in duas simplices resoluitur, eadem vtriusque vis est, & effectus. T. Teneo. C. A. Ac verba quidem vtendi fruendi, hanc vim habent, vt tum quidem commoditatem rei complectantur, vt si equo ad vehendum, cane ad venandum quis vratur: tum verò fructum qui inde nascitur, siue ille naturalis sit, vt lac pecoris, & frumentum agri; siue ciuilis, vt pretium locationis & conductionis. T. Bene narras. C. A. Et quod sequitur, Salua earum substantia, ostendit vsufructum non circa substantiam rei versari, sed circa ea quæ ex re procedunt, & ab ea ipsa salua separari, & ad vsu fructum transferri possunt. Vnde sequitur, earum rerum quæ vsu consumuntur, cuiusmodi sunt vinum, oleum, non esse proprie vsufructum: quamquam pro hominum commoditate, externa ratione, vt sæpe fit, excogitatus in eis sit quidam quasi vsufructus, data cautione per vsufructuarium, de eadem qualitate & quantitate finito vsufructu restituenda, vel certa pecunia danda. T. Probè. C. A. Ac finitur quidem vsufructus variis modis, ex quibus nonnulli à persona vsufructuarij ducuntur, si fortè moriatur, vel quasi per maximam & mediam capitis diminutionem; nam quod personale est, cum persona interit; nonnulli à fruendi forma, si quis vel omnino non per certum tempus, vel non eo modo quo oportet, fruatur: & nonnulli denique à re subiecta, vt si adueniente proprietate, vsufructus cum ea solideret (nam naturali ratione maius absorbet minus) vel res cuius est vsufructus, intereat, vel in aliam formam transeat: nam eius quod non est, nullæ sunt qualitates, vt vulgo dicitur. T. Sic est. C. A. Et verò actiones quæ vsufructus nomine competunt, sunt duæ: vna confessoria, qua quis ius sibi esse ait eo fundo vtendi fruendi, idque siue extra possessionem vsufructus sit, siue in possessio-

ne, & aliquis eum turbet in toto, vel in parte, quod ipsum est in contraria esse possessione: altera negatoria, in qua quis negat, se invito, aduersario ius esse vtendifruendi; vel sibi ait ius esse prohibendi, quo minus is qui turbat (atque ita in possessione quodammodo est) vtatur fruatur. Estque officium iudicis in vtraque, vt fructuarius securus consequatur vtendifruendi facultatem, qui finis est confessorix; & proprietarius securus reddatur, ne inquietetur, qui negatorix. Atque ad hæc quidem omnia pertinent tituli, *De usufructu* (qui & in libris Institutionum est) & *quemadmodum quis vsaturfruatur. De usufructu accrescendo. Quando dies usufructus legati cedat. Quibus modis usufructus, vel usus amittatur. De usufructu earum rerum quæ usu consumuntur, vel minuuntur. Si usufructus petatur, vel ad alium pertinere negetur.* Ex quibus primus generalis est, reliqui autem sunt speciales. T. Iam quasi vsumfructum quem vocas? C. A. Operas seruorum, siue artificiales illæ sint, si quam artem fortè seruus nouerit; siue ministeriales, cuiusmodi mediastini domi exhibent. De quibus verum quidem est, in hominis usufructu operas esse, & fructus hominis in operis consistere, vt Caius ait: sed non est verum, operis legatis vsumfructum datum intelligi, sed vsum, vt Terentius Clemens docet. Quamquam ab vtrisque ea re differunt, quod cum usufructus & usus non vtendo, & capitis deminutione amittuntur, quoniam magis iuris sunt, operæ iis modis non amittantur, quæ magis sunt facti. vt sub titulo, *De operis seruorum*, videre licet. T. Dehinc usus quis est? C. A. Qui minor quàm usufructus, in rei commoditatibus quotidianis percipiendis dumtaxat consistit. Et ideo usu pecoris relicto, neque lana, neque agni, neque lac debentur, quæ in fructu sunt; sed firmus dumtaxat ad stercoreandum, cum modico lacte, quæ in vlu. Aded vt cum proprietatis rei circa substantiam eius secundum principia physica versetur, usufructus autem circa ea quæ proximè ex substantia procedunt; usus eorum propriè sit, quæ tertio loco à substantia absunt, & in externis rei commoditatibus consistunt. T. Quis quasi usus? C. A. Habitatio, quæ est ius habitandi in alieno, de qua Vlpiani titulus, *De usu & habitatione.* cui similis est in libris Institutionum. Si habitatio, inquit, legeretur, an perinde sit atque si usus, quaeritur; & effectu quidem idem penè esse legatum usus & habitationis, & Papinianus consensit. Quamquam reuera hoc interest, quod cum in usu plus sit iuris, in habitatione plus est facti: & ideo quemadmodum de operis dictum est, neque capitis deminutione, neque non vtendo amittitur, quod secus est in usu. T. Restat de iis quæ vsumfructui & vsum communia sunt vt exponas. C. A. Hæc in cautione ab usufructuario vel vsuario per pignora, vel fideiussores, secundum principia cautionalia danda, consistunt. De quo Vlpianus, Si cuius, inquit, rei usufructus legatus sit; æquissimum prætori visum est, de vtroque legatarium cauere, & vsutum se boni viri arbitrato; & cum usufructus ad eum pertinere desinet, restitutum quod inde exstabit. vt est sub rubrica, *Vsumfructuarius quemadmodum caueat.* Ac de omnibus supradictis est Rubrica Codicis, *De usufructu, & habitatione, & ministeria seruorum.*

De singularum rerum incorporalium prædialium petitione.

TITVLVS XIX.

T.  OST hæc de seruitutibus prædialibus expecto vt dicas, quænam sint, quomodo diuidantur, quæ actio earum nomine competat, & quomodo amittantur. C. A. Sanè quemadmodum superiores personis, ita hæc prædiis debentur, & adhærent; vt hac ratione alter alteri ex suis prædiis commodet. Ac constituuntur quidem, non ad voluptatem, veluti vt pomum decerpere liceat, vel spatari aut cœnare in alieno (hæc enim inter ea censentur quæ minoræ sunt, quàm vt in iis leges occupari debeant, vt suo loco demonstratum est) sed ad vsum & commoditatem, siue vrbani, siue rustici: vnde & in seruitutes vrbani prædiorum, & rustici prædiorum diuiduntur, prout per titulum Institutionum, *De seruitutibus rusticorum & vrbani prædiorum*, apparet. T. *De seruitutibus prædiorum vrbani* quid ais? C. A. Hæc sunt, ius altiùs tollendi, & officendi lumimbus vicini, aut non extollendi, item stillicidium auertendi in tectum vel aream vicini, aut non auertendi; item immittendi tigna in parietem vicini, & denique proiciendi protègendive, cæteraque istis similia, quibus ad vitæ commoditates necessitatesque in rebus vrbani sæpe est opus. T. *De seruitutibus prædiorum rusticorum* autem? C. A. Hæc sunt, ius eundi, ambulandi hominis per fundum alienum, quod iter dicitur; agendi iumentum vel vehiculum, quod actus; eundi, agendi, ambulandi, quod via. Item ius aquæ ductus, aquæ haustus, pecoris ad aquam appulsus, pascendi, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ, cum aliis id genus, quibus

quibus in re rustica ferè indigemus. T. Rectè. C.A. Ac quamquam quidem hæc seruitutes urbanæ & rusticæ, re ipsa inter se differant, tamen id non tam ex loco quam ex qualitate æstimandum est (nam & in vrbe rustica prædia, & ruri urbana esse possunt) multa tamen sunt vtrisque communia, in quibus hoc vnum est, quod nemo seruitutem acquirere potest, nisi qui prædium habeat, propterea quod hæc seruitutes non personis, sed prædiis, ut dictum est, debentur: ut latius videre licet sub titulo, *Communia prædiorum tam urbanorum quam rusticorum*. T. Hærum autem seruitutum nomine quænam competunt actiones? C.A. Si seruis vindicetur, vel ad alium pertinere negetur. quemadmodum de seruitutibus personarum modò dictum est: ex quibus vna est confessoria, qua seruitutes nostris prædiis debitas vindicamus: altera negatoria, qua prædia nostra seruitutem debere negamus, & consequenter libera esse asserimus. T. Quid? quo pacto seruitutes amittuntur? C.A. Per non usum, & si idem vtriusque prædij dominus efficiatur, quæ res confundit seruitutes, quia non iure seruitutis, sed proprietatis, res nostræ nobis seruiunt; & aliis quibusdam modis. de quibus est titulus, *Quemadmodum seruitutes amittantur*. Qui de his omnibus exstat titulus Codicis, est, *De seruitutibus & aqua*.

De iudiciis quæ personas spectant.


TITVLVS XX.

T. **E**XPLICATIS iis iudiciis quæ rerum sunt, sequitur de illis quæ personarum sunt uti nunc tradas. C.A. Bene meministi. & quidem hæc eò pertinent, ut damnum nobis datum vindicetur ac resarciatur, quod communis societatis ac conuictus rationem exigere tu supra probasti, idque siue per animalia tua factum sit, siue per teipsum, siue per seruos tuos. T. Quomodo per animalia? C.A. Veluti, *Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur*. de quo & Institutionum titulus pertinet. Nam si equus calcitrosus, vel bos cornu petere solitus, siue culpa domini feritate sua commotus, pauperiem, hoc est, damnum sine iniuria (cum ratione careat) fecerit, placuit ut ad damnum resarciendum, aut animal ipsum quod noxam commisit detur, aut æstimatione noxæ offeratur. Qua re & ei qui pauperiem passus est, quoquo modo satisfacit, dum quæ nocuit quadrupes ei offertur, ultra quam dominum inuitum teneri non æquum videtur, ne factum animalis amplius quam ipsum valet, ei sit damnosum; & domino res sua, si volet, conseruatur, si fortè veram æstimationem soluere, quam quadrupede carere malit. Quæ res omnis ab extraordinariis principiis manauit, ad mediam aliquam viam ineundam. T. Quomodo per teipsum? C.A. Nam lege Aquilia, quæ plebiscitum est, capite primo cauetur: Qui seruum seruamve alienum alienamve quadrupedem vel pecudem iniuria occiderit, quanti in eo anno plurimi fuit, tantum æ domino dare damnas esto.] partim pro damno resarciendo, partim pro culpa præstanta. Ac quantum ad alia attinet, tertio capite (nam secundum huius legis capitulum in desuetudinem, ut sæpe fieri antè dictum est, abiit) eadem lex ait: Cæterarum rerum, præter hominem & pecudem occisos, si quis alteri damnum faxit, quod vfferit, fregerit, ruperit iniuria, quanti ea res fuit, in diebus triginta proximis, tantum reus domino dare damnas esto.] Cuius quidem rei ratio (ut sub titulo, *Ad legem Aquiliam*, siue uti est in Codice, & Institut. De lege Aquilia, latius videre licet) inde deducta est, quod licet quidem secundum iustitiam rectam, eadem minorum quæ maiorum rerum est ratio, secundum tamen iustitiam moderatam, poenæ quæ odiosæ sunt, non solum secundum proportionem, sed etiam amplius decrescere debent. Vnde fit, ut cum apud Moysen bouis furtum quadruplo puniatur, ovis tantum sit duplum. T. Rectè. C.A. Ac pertinet huc quoque si quid effundendo aut deiiciendo damni detur: cuius nomine in eum qui ibi habitauerit (quæ ratio extrinsecus petita est, ut tanto diligentior sit in suis obseruandis) in duplum actio datur, vnum propter damnum, & alterum propter culpam. quæ res non solum privatim necessaria est, sed & publicè, ut sine metu & periculo per vias commeari liceat, ut ostendit titulus, *De his qui effuderunt vel deiecerunt*. vbi verba Prætoris hæc sunt: Vnde in eum locum quo vulgo iter fiat, vel in quo consistetur, deiectum vel effusum quid erit, quantum ex ea re damni datum factumve erit, in eum qui ibi habitauerit, in duplum iudicium dabo: si viuet, nocitumve ei esse dicetur, quantum ob eam rem æquum iudici videbitur, cum cum quo agitur condemnari tanti, iudicium dabo. Si seruus insciente domino fecisse dicetur, in iudicio addicam aut noxam dedere. Porro ne quis in suggerunda, protectiove, supra eum locum quæ vulgo iter fiet, in quo consistetur, id positum habeat, cuius casus nocere cui possit. Qui aduersus ea fecerit, in eum solidorum decem, in factum iudicium dabo: si seruus insciente domino fecisse dicatur, aut æstimationem dari, aut

noxæ dari iubebo.] T. Quo modo fit damnum per seruos tuos? C.A. Veluti si sine culpa tua seruus tuus noxiam fecerit, aut maleficium commiserit: quo casu, quemadmodum de quadrupedibus dictum est, vel litis æstimatio à domino soluenda est, vel seruus noxæ dedendus. Nam si dicas non æquum esse, vt quis sine culpa sua rem suam amittat, e contrario respondebitur, minus esse æquum, vt qui sine culpa sua damnum passus est, in eo solus moretur, quando ab eo quod nocuit, quoquo modo refarciri potest. Quare hæc lex de earum est numero, in quibus non tam recta ratione quid statuitur, vt antè diximus, quàm ad absurdum vitandum, media via inter duo incommoda inuitur; ita vt vterque tam dominus, quàm qui damnum passus est, partem aduersæ fortunæ sentiat, & alter alterius onus quoquo modo portet, vt sub Rubrica, *De noxalibus actionibus*, quæ & in Codice ac Institutionibus est, videre licet.


De iudiciis mixtis quæ res spectant & personas.

TITVLVS XXI.

T.  EQVITVR de iudiciis mixtis vtinûc differas. C.A. Hæc sunt quæ tam in rem sunt, quàm in personâ, ad res nostras vindicandas. T. Ea autem quænam sunt? C.A. Quæ ad res distinguendas, quod in dominiis rerû, de quibus agimus, planè opus est, pertinent, idq. siue de finibus regundis agatur, siue de familia herciscunda, siue de communi diuidundo. Quæ tria iudicia, duplicia dicuntur, propterea quòd in iis & agentis partes vterque sustinet, & eius cum quo agatur, & arbitria, quia non tam per iudicem, quàm per viros bonos arbitros terminantur. vnde Comicus: Sannio, inquit, & Crito vicini ambigunt de finibus, me cupiere arbitrum. Sed tangendum est non nihil de singulis. T. Ergo primùm *De finium regundorum* arbitrio siue iudicio quid ais? C.A. Id autem est quod inter confines redditur, ad agrorum fines regundos & distinguendos. ac dico quidem, Agrorum, quia hoc iudicium locum habet in confinio rusticorum prædiorum; cæterùm in vrbano rum displicuit: neque enim confines hi, sed magis vicini dicuntur, & communibus parietibus plerumque determinantur. Porro ad officium de finibus cognoscendis pertinet, mensores mittere: nam aliorum artificum opera iurisconsultum sæpe indigere, antè traditum est, & per eos dirimere ipsam finium quæstionem, si fieri potest: sin minus, per adiudicationem alicuius partis vni, & condemnationem ipsius in certam summam pecuniæ, eo nomine, vt si non ordinaria, extraordinaria certè via finis rei imponatur. T. *De familia herciscunde* autem? C.A. Hæc actio, inquit Caius, proficiscitur ex lege duodecim tabularum: nam cohæredibus volentibus à communione (quæ discordiam parit) discedere, necessarium videbatur, aliquam actionem constitui, qua inter eos res hæreditariæ, quæ familiæ nomine significantur, distribuerentur, quod herciscere prisca lingua est. T. *De communi diuidundo* verò? C.A. Per hoc iudicium fit diuisio rerum singularium corporalium (quemadmodum per superius rerum vniuersitatis) quæ communes sunt: & si quid in his damni datum factumve est, siue quid eo nomine vel abest alicui, aut ad eum peruenit, ex re communi eius ratio habetur. Et verò ideo necessarium fuit, quòd pro socio actio magis ad personales inuicem præstationes pertinet, quàm ad communium rerum diuisionem. Atque existant quidem hi tres tituli etiam in Codice, vbi exstat & quartus, *Communia vtriusque iudicij, tam familia herciscunde quàm communi diuidundo*. Nam in vtroque ita demum, si corpora mancant communia, agi potest.

De iudiciis accessoriis.

TITVLVS XXII.

T.  PPEREST de iudiciis accessoriis vt tractes. C.A. Hæc sunt quæ non tam per se constant, quàm aliorum iudiciorum, vnius siue plurium, præparandorum, iuandorum, aut supplendorum causa sunt comparata. Ex quibus cum quædam sine delicto sint, quædam cum delicto coniuncta, alia ex iis ad res singulas vel vniuersas vindicandas maximè pertinent; alia ad iudicia quæ personas spectant; alia ad iudicia communia, & alia ad omnia. T. Quænam quæ ad res vindicandas pertinent? C.A. Primùm actio ad *Exhibendum*, de quo & Codicis est titulus; quæ est præparatoria ad rei vindicationem, vt res quam vindicaturus sum exhibeatur, ne frustra iudicium suscipiatur. Est autem exhibere, facere in publico potestatem, vt ei qui agat experiundi sit eopia. T. Rectè. C.A. Tum interrogationes quæ
in iure

in iurē ac iudicio fiunt, veluti si de debito hæreditario tecum acturus, interrogem vtrum hæres aut bonorum possessor (de quibus supra dictum est) sis, nec ne; & ex qua parte, ne plus petam quàm debeam: ad quam interrogationem vbi tu responderis (quod æquum visum est vt facias) instituo actionem interrogatoriam, non quidem qualis olim in vsu esse solet, quæ ex confessionibus vel negationibus in iure ante iudicium susceptum factis oriebatur, & hodie desuetudine sunt sublata, quoniam nemo ante iudicium susceptum de iure suo respondere cogitur, sed quæ antè orta, ex interrogatione & responsione certa facta est, quomodo institui debeat: nam edictum de interrogationibus, inquit Vlpianus sub Rubrica, *De interrogationibus in iure faciendis, & de interrogatoriis actionibus*, ideo Prætor proposuit, quia sciebat difficile esse ei qui hæredem bonorumve possessorem conuenit, probare aliquem esse hæredem, bonorumve possessorem, & vt portionis, pro qua quisque hæres existit, ex interrogatione certioretur; ne, dum ignoret actor qua ex parte aduersarius defuncto hæres exstiterit, interdum plus petendo aliquid damni sentiat. Cui & hoc accedit, quòd ideo Prætor voluit adstringere eum qui conuenitur ex sua in iudicio responsione, vt vel confitendo vel mentiendo sese oneret. T. Probè. C.A. Deinde additio ad eundem iudicem diuersis de causis, veluti si cum pluribus hæredibus res est; si inter eosdem familiæ herciscundæ, & communi diuidendo, vel finium regundorum agitur: quibus quidem causis eundem adiri placuit, tam minuendarum litium causa, ne iudicium distrahatur, quàm ne fiat per plura, quod fieri potest per pauciora. vt docet titulus, *De quibus rebus ad eundem iudicem eatur*. quòd pertinet titulus Codicis, *De consortibus eiusdem litis*. vbi traditur, commune negotium post litem legitimè ordinatam, etiam quibusdam absentibus in, solidum agi sine mandato posse. T. Nunc ad iudicia quæ personas spectant, quænam pertinent? C.A. Primùm iudicium *De seruo corrupto*, quod in duplum quanti ea res est datur aduersus eum qui seruum, seruam, alienum, alienam recepisse, persuasisseque quid ei dicitur dolo malo, quo eum deteriore faceret; quod ex moralibus principiis dependet, & ad ea quæ de lege Aquilia dicta sunt, supplenda pertinet. T. Te neo. C.A. Deinde iudicium *De fugitiuis*, si quis eos fortè celauerit. nam si quis fugitiuum, inquit Vlpianus, celauit, fur est. pertinetque & istud ad legem Aquiliam suppleendam. T. Intellego. C.A. Tum *De alea lusu, & aleatoribus*. nam præterquam quòd repetitio eius pecuniæ competit, quæ sic perditæ est, propterea quòd ex turpi causa sit, apud possessorem; tum si quis eum, inquit Prætor, apud quem alea lusum esse dicitur, verberauerit, damnùmve ei dederit, siue quid eo tempore dolo eius subtractum est, iudicium eo nomine tamquam de re vili ac turpi (vt suo loco dictum est) non dabo. In eum autem qui aleæ ludendæ causâ vim intulerit, vt quæque res erit, animaduertam.] quod & ipsum ad legis Aquiliæ suppletionem referri potest. Titulus Codicis est, *De alearum lusu, & aleatoribus*. T. Ad communia iudicia quidnam autem refertur? C.A. Iudicium, *Si mensor falsum modum dixerit*; quod ad finium regundorum, & communi diuidendo iudicium pertinet, cum auctoritate iudicis mensor interuenit, à quo certè tamquam publica propemodum persona minimè nos falli in modi reuincatione, nostra interesse Vlpianus ait. Et est quidem hoc iudicium non ordinarium, sed extraordinarium; quia operam suam non tam ex locato & conducto mensor præstat, quàm beneficij loco: & quod ei datur, honorarium est, non merces; & ob id res nobilior habetur (vt subinde fieri antè dictum est) quàm vt ordinario iudicio tractari debeat. T. Nunc ad omnia denique iudicia quænam pertinent? C.A. Iudicium *De religiosis & sumptibus funerum* (de quibus & Codicis titulus est) & vt funus ducere liceat. qua de re primùm verba Prætoris sunt: Quod funeris causa sumptus factum erit, eius recuperandi nomine in eum ad quem ea res pertinet, iudiciû dabo.] Quod tum quidem per se iustum est ratione interna, tum autem ratione externa, ne insepulta corpora iaceant, nève quis de alieno funeretur. Potrò tametsi specialitè Prætor edicit, siue homo mortuus, ossave hominis mortui in locum purum alterius, aut in id sepulchrum in quo ius non fuerit, illata esse dicentur; qui hoc fecit, in factum actione teneatur, & pœnæ pecuniariæ subicietur: generalitè tamen vt funus ducere liceat, & ne corpora aut ossa mortuorum detineantur aut vexentur, nève prohibeatur quo minùs via publica transferantur, aut quo minùs sepeliantur, vis fieri prohibetur. Et verò in toto hoc genere, de locis religiosis & funeribus strictam iuris rationem (inquit Papinianus) sæpe insuper habemus, quæ vtique in ambiguis religionum quæstionibus nonnumquam omitti solet: nam summa est ratio quæ pro religione facit. T. Optimè sane. C.A. Nec aliud traditur, *De mortuo inferendo, & sepulchro adificando*. de quo vtroque edicit Prætor hoc modo: Quòd quæve illi mortuum inferre inuito te ius est, quo minùs eò eave illi mortuum inferre, & vbi sepelire liceat, vim fieri veto. Quò illi ius est inuito te mortuum inferre,

quo minus illi in eo loco sepulcrum sine dolo malo ædificare liceat, vim fieri veto. Quod quidem interdictum propterea propositum esse Ulpianus scribit, quia religionis interest, monumenta extrui & exornari. Et verò quia de rebus sacris, sanctis, & religiosis, tanquam diuinis, rei vindicatio, & alia supradicta iudicia, quæ humana sunt, non dantur, fit ratione extraordinaria, ut per hæc interdicta ei rei subueniatur.

De rebus creditis.

TITVLVS XXIII.

T. **A**CCERI de iudiciis in rem, quæ sic speciali nomine vocasti, & ad vindicationem pertinent: iam *De rebus creditis*. de quibus & Codicis rubrica est, & earum actionibus in personam, quæ conditiones generali nomine appellantur, porrò cupio cognoscere. C.A. Ad hunc titulum multa ad contractus varios pertinentia referuntur, quæ omnia rerum creditarum nomen comprehendit. nam omnes contractus quos alienam fidem secuti instituimus, complectitur. quos quidem inde originem habere, ut rebus & operis communicandis communibus necessitatibus consulatur, supra demonstratum est, idque siue gratuiti illi sint, & liberales, qui ob beneficentiam ad naturam humanam proxime accedunt, ut mutuum, cui simile est commodatum, depositum, & mandatym; siue mercenarij, in quibus utrinque aliquid proficiscitur, qui longius quidem absunt à prima natura, sed tamen in æqualitate naturali sunt fundati, ut emptio, venditio, locatio, conductio, societas. Cui adde, quòd in aliis contractibus tota retransfertur ab vno ad alium, in aliis verò vsus dumtaxat conceditur; & in nonnullis vnus solùm obligatur, in aliis verò vltro citroque obligatio contrahitur. T. De omnibus autem his contractibus quid dicis? C.A. Cùm sermo nobis ita sit instituendus, ut primùm de contractibus ipsis, tum de accessionibus eorum sit differendum; contractus ibi sic diuiduntur, ut alij nominati sint, qui in certum speciale nomen transferunt; alij innominati, qui in genere suo adhuc perstant, nec vllum speciale nomen acceperunt. T. Quid? nominati quo pacto diuiduntur? C.A. In eos qui re fiunt, & qui consensu. T. Quos vocas re fieri? C.A. In quibus obligatio re constituitur, accedente consensu. T. Quos consensu? C.A. In quibus obligatio consensu fit, accedente re. Nam cùm in omnibus contractibus & res interuenire debeat, quæ pro materia est, & consensus, qui pro forma: qui à re incipiunt, sequente consensu, re fieri dicuntur, qui à consensu, sequente re, consensu. T. Quid? contractus qui re fiunt, anne rursùm diuiduntur? C.A. Sanè quidem: nam alij ex his conditionem speciali nomine pariunt, alij autem actionem. T. Quam vocas conditionem specialem? C.A. Cùm per diei denunciationem, quo in ius veniendum est, proceditur, quod humanius est. T. Quam actionem? C.A. Cùm recta via sine denunciatione in ius quis vocatur, actioque contra eum instituitur, quod durius. Sed dicendum est ordine de singulis.

De contractibus qui re fiunt, & conditionem pariunt.

TITVLVS XXIIII.

T. **P**RIMUM igitur quinam sunt contractus qui re fiunt, & conditionem pariunt? C.A. Mutuum, & quasi mutuum, & quod ex utroque mixtum est: Nam quia mutuum ex causa necessitatis eius qui accipit contrahitur, & ad pudorem ipsius pertinet, & ferè accipi solet ab argentariis, & numulariis, aliisque fœneratoribus; qui, si pro libidine sua progredierentur, facile hominem omnibus bonis euerterent: comparatum est ratione externa, tam honoris debitoris conseruandi, quàm impudentiæ fœneratorum refrenandæ causa, ut per conditionem in hoc genere contractus procedatur. Quæ quidem conditio cùm non solùm in mutuo, sed & in aliis pluribus contractibus locum habeat, siue certi illi sint, hoc est, nominati, siue incerti, hoc est, innominati, & siue re contracti sint, siue verbis, siue coniunctim, quando cùm mutuo stipulatio coniungitur: tum certi conditio dicitur, cùm res qua de agitur certa est, sine specie, sine quantitate; tum autem incerti, cùm incerta, ut ostendit titulus, *De rebus creditis, si certum petatur*. de quo & Codicis Rubrica est, *Et de certi conditione*. Qui quidem licet generaliter loquitur, tam de rebus creditis, quàm de certi petitione & conditione; propriè tamen ad mutuum, & ad certi conditionem, quæ competit eo nomine, pertinet. T. Igitur mutuum autem quid vocas? C.A. Eius nomen inde ductum est, quâsi de meo tuum fiat: & consistit iis in rebus quæ numero, pondere, & mensura con-

ra con-

ra constant, quas res numerando, appendendo, aut metiendo ad hoc damus, ut accipientium fiant, & quandoque nobis non eadem res (nam alioqui nullus esset earum usus pro debitore) sed alie eiusdem qualitatis & quantitatis restituantur. Quod quidem genus contractus sua natura plane liberale est, & minime mercenarium, trahens originem ex naturali beneficentia hominis erga hominem; cuius una est particula, qua quis liberaliter rebus suis aliorum necessitati ad tempus succurrit, sic tamen ut suo tempore restituantur, siue in specie, si res usu non perit; unde commodatum natum est, ut post dicitur: siue in genere, si res perit; ad quam quidem quam equalissimè secundum principia iustitiæ restituendam (nam aliter iniuria fieret) inuenta est ratio numeri, ponderis, & mensuræ, ad contrahendum & soluendum; & conditio certi, ad agendum. T. Intelligo. C. A. Et quidem quoniam ob pudorem hoc genus contractus sæpe nullis adhibitis testibus, aut scripturis factis contrahitur, subiicitur hic tractatus, *De iureiurando, siue voluntario, siue necessario, siue iudiciali*: quo in facto dubio, tamquam Deo teste (ut secundum principia extraordinaria nonnumquam fieri oportere, suo loco dictum est) res terminatur. unde titulus Codicis, *De rebus creditis est, & iureiurando*, quamquam his moribus, non nisi summa necessitate cogente, ob metum periurij, eò est perueniendum. Et est quidem iusiurandum affirmatio religiosa, quod vel ex spontanea conuentione partim extra iudicium suscipitur, & vocatur voluntarium, habens speciem transactionis; vel defertur à iudice, cum res aliter explicari nequit, & dicitur iudiciale maioris auctoritatis quam res iudicata; vel defertur à parte in iudicio, & appellatur necessarium. Nam manifestæ turpitudinis & confessionis est, inquit Paulus, nolle nec iurare, nec iusiurandum referre. unde Prætor: Eum à quo iusiurandum petitur, soluere aut iurare cogam.] Ac postquam autem iuratum est, nihil amplius queri ostendit idem Prætor cum ait: Eius rei de qua iusiurandum delatum fuerit, neque in ipsum, neque in eum ad quem ea res pertinet, iudicium dabo.] T. Rectè. C. A. Porro si res, qua de agitur, dolo vel contumacia eius à quo petitur non apparet, defertur nonnumquam aduersario à iudice, ac maximè quidem in iudiciis bonæ fidei, & in rem, & ad exhibendum iusiurandum in litem, quo iurat quanti eam rem æstimet, non quidem ex veritate, sed etiam ex affectione, dummodo modum quem iudex præscribat, non excedat, ut ostendit Rubrica, *De in litem iurando*. Quæ res tum quidem pœnæ nomine, propter dolum & contumaciam comparata est; tum autem rei explicandæ causa, ut modò tetigimus. T. Iam quasi mutuuum quid vocas? C. A. Quod cadit in causam mutui, veluti si sine iusta causa rem meam acceperis, aut habeas: quam utique naturali ratione secundum principia moralia æquum est te mihi restituere; nec minus ad id teneris, quam si mutuuum accepisses. T. Probè narras. C. A. Atque hinc quidem nascitur tractatus, *De conditione causa data, causa non secuta*, siue, ut habet Codex, *De conditione ob causam datorum*: veluti si dederim ut seruum manumittas, tu verò id non facias. Item *De conditione ob turpem vel iniustam causam*: quæ Rubricà & in Codice exstat, veluti si quid accipias, ne furtum facias, ut iustam sententiam feras, quod turpe est, vel ex ea stipulatione quam per vim extorseras, quod iniustum. Ad hæc *De conditione indebiti*, qui & Codicis est titulus, ut si indebitum, ignorans soluerim: nam nihil magis contrarium consensui quam error; secus autem si sciens prudens: nam cuius per errorem dati repetitio est, eius consulto dati donatio est. Tum *De conditione sine causa*, si vel omnino sine causa datum promissumque sit; vel causa ob quam datum promissumve est, cessat. cum quo tam præcedentes conditiones concurrunt, quam tractatus *De conditione furtiua*, qui & in Codice est, quæ contra furem competit, ad rem quam abstulit restituendam, cuius repetendæ causa plures partim in odium furum (secundum principia externa, non autem interna) tributz sunt actiones, & inter cæteras hæc conditio; partim in fauorem, si fortasse ex causa (ut si sit inter honestiores) famæ eius qui furatus est, actor parcere velit: nam conditio ignominiam non irrogat. T. Nunc mixtam autem causam ex mutuo & quasi mutuo quamnam habent? C. A. Primum tractatus *De conditione ex lege*: quæ tum locum habet (ut in re obscura id secundum principia extraordinaria sumatur quod benignius est) cum quid noua lege causum est, nec proditum (qua actione sit experiendum: ut & sub titulo Codicis, *De conditione ex lege, & sine causa, vel iniusta causa*, videre licet. Item *De conditione triticaria*, quæ excepta pecunia numerata (quæ per conditionem certi petitur) in omnibus aliis, rebus locum habet, siue numero, pondere, ac mensura consistent, siue non, dummodo negotium quo de agitur, sit eiusmodi, ut conditionem pariat. Ac dicitur quidem actio triticaria à tritico: quo nomine veteres omnes res extra pecuniam numeratam comprehendebant. Ad eò ut cum summa rerum diuisio sit, in pecuniam numeratam, quæ hominis ingenio inuenta est, & non numeratam, quæ à natura producta: singulis

gulis singulæ accommodatæ sunt actiones, pecuniæ numeratæ conditio certi (licet pōst & aliæ res in eam venire cœperunt) non autem numeratæ conditio triticaria. T. Probè. C.A. Nec verò longè abest à natura conditionum actio arbitraria, quæ est, *De eo quod certo loco dari oportet*, vt Capuz. In quo quidem genere contractus tametsi permissum sit etiam alibi petere, quia tamen non interna iuris ratione id receptū est, sed externa, ne stipulator credito suo frustretur, si fortè debitor ad locum in quem promissum est nunquam veniat; placuit, vt antequam condemnatio fiat, iudex arbitretur quid sibi æquum ea in re videatur. Cui si pareatur, bene est; sin verò minùs, ita ad condemnandum procedit, vt boni & æqui potius quàm stricti iuris rationem ob oculos habeat, vt sæpe fieri oportere, supra latius est disputatum. Et quidem hîc propterea necessarium est, quia multæ occurrere possunt inspectiones, vtrùm debitor statim alio loco, quàm in quem promissus, cogendus sit soluere, nec ne; & an propter loci mutationem, in maiorem minoremve quantitatem sit condemnandus, an non. T. Pulchrè. C.A. Et verò quemadmodum actio hæc arbitraria ad obligationem principalem pertinet, quæ in certum locum concipitur: ita est & alia actio, *De pecunia constituta*, de qua & Codicis Rubrica est, cum id quod ex mutuo debetur, certo loco aut tempore, præsens aut absens per nuncium aut epistolam soluere constituo. Quam actionem iuris auctores ex naturali æquitate secundum principia iustitiæ proficisci aiunt, quia graue est fidem fallere. Nec ad rem pertinet, quòd ex nudo pacto, cuiusmodi est constitutum, non nascitur actio; quoniam secundum ea quæ suis locis disputata sunt, sæpe fit, vt quæ generaliter vno modo constituta sunt à primo legislatore, certis in casibus specialibus à secundo legislatore, cuiusmodi est Prætor, ex causa aliter statuatur. Quod quidem eo magis hîc locum habere debet, quoniam non de obligatione inducenda, sed de solutione eius quod debetur constituenda agitur. Porro cum constitutum initio ad solam pecuniam mutuam pertineret, interpretatione iurisconsultorum effectum est, vt ad quouis modo debitam pecuniam trahatur. quod ideo admoneo, vt notetur, quo pacto per similitudines & consequentias leges subinde latius produci, & aliæ ex aliis trahi solent, vt antè audiuimus. Ac referuntur quidem ad totum hunc tractatum, de mutuo, & quasi tituli Codicis, *De suffragio*. vbi traditur, si quid suffragij causa alicui promissum est ab eo qui munus aliquod petit, quod iure vendi potest, vt nonnulla esse supra probatum est, legitimam eo nomine competere actionem. Et *De prohibita sequestratione pecuniæ*. vbi dicitur, quoties ex quolibet contractu pecunia postulatur, sequestrationis necessitatem conuiescere: oportere enim debitorem primùm conuinci, & sic ad solutionem pulsari.

De contractibus qui re fiunt, & actiones pariunt.

TITVLVS XXV.

T. **N**unc de illis volo audire contractibus qui re fiunt, & actiones pariunt. C.A. Hi sunt, in quibus fauor ille debitorum, & odium creditorum, de quibus diximus, cessat: & ideo non secundum moderatæ, sed rectæ iustitiæ regulas in iis proceditur, vnde actiones oriuntur. T. Quid? hi autem contractus quonam modo constituuntur? C.A. Rei interuentu, qui propterea re fieri dicuntur, facti, personæ, vel causæ. T. Quinam constituuntur rei interuentu? C.A. Qui à re initium capiunt, vt commodatum, & pignus. T. Quid est commodatum? C.A. Cum rem meam vtendam tibi do, ad quam restituendam teneris mihi actione commodati directa, & ego vicissim tibi contraria, si quid ad eius perpetuam conseruationem necessariò vel vtiliter impenderis: vnde compositus est titulus, *Commodati vel contrà*, siue, vt in Codice est, *De commodato*. Atque est quidem eadem origo & qualitas commodati quæ mutui (quare & nomina subinde confunduntur) cum nimirum vsum rei nostræ liberaliter alicui ad tempus concedimus. nec aliud interest, quàm quòd mutuum iis in rebus quæ vsum consumuntur consistit, vt vinum, oleum: commodatum, in his quæ salua substantia vsum suum habent, vt equus, annulus. vnde reliquæ porro differentie inter mutuum & commodatum secundum principia Physica proficiscuntur. T. Quid autem vocas pignus? C.A. Quod creditori à debitore ad securitatem ipsius datur, donec debitum solutum sit. Quo facto, nascitur actio pignoratitia directa, qua creditor debitori pignus reddere cogitur; & contraria, qua debitor creditori, ad id quod in pignoris conseruationem rectè impendit, secundum principia iustitiæ, tenetur. vt docet titulus; *De pignoratitia actione* (quæ & in Codice exstat) & *contrà*. Ac habet quidem pignus originem suam, non ex beneficentia hominis erga hominem, quemadmodum mutuum & commodatum;

datum, sed contrà ex diffidentia & principiis cautionalibus: nam datur ob id, vt in tuto sit creditum, quoniam secundum principia secundi status hominis, satius est pignori incumbere, quàm in personam agere. T. Iam qui facti interuentu constituuntur contractus quinam sunt? C.A. Cùm quis nomine suo alium quempiam liberum vel seruum negotiationi maritimæ vel terrestri præponit: cuius vtrique nomine cum obligari æquum est, quia quod per alium facit, ipse facere videtur, essetque iniquum eos decipi, qui cum eo contraxissent, ignorantes conditionem eius, ac maximè quidem, quoniam sæpe non tam sponte, quàm necessitate cogente, cum illis contrahitur. T. Rectè. C.A. Ac quæ quidem ad maritimam negotiationem pertinet actio, exercitoria vocatur, quæ contra exercitorem nauis competit, de eo quod cum magistro nauis, quem ille præposuit, contractum est. Ac est quidem exercitor, ad quem obuentiones & reditus nauis omnes perueniunt, magister, quem exercitor nauis nauigandi causa constituit, vt sub titulo, *De exercitoria actione*, videre licet. quem sequens titulus *De lege Rhodia, de iactu*, quæ Græcè conscripta, & à Rhodiis, vt fit, mutuo accepta, in re nautica potissimum seruatur, docet, si ob tempestatem, vel aliter leuandæ nauis gratia iactus mercium factus esse dicitur, omnium ad quos ea res pertinet contributione sarciti debere, quod pro omnibus datum est. quæ sanè regula cum ipsius iustitiæ principiis est consentanea. T. Probè. C.A. Qui autem ad terrestrem negotiationem pertinet contractus, *De institoria actione* dicitur: quæ eius rei nomine competit, quæ cum institore contracta est, aduersus eum qui tabernæ alicui, aut certæ negotiationi eum præposuit: nempe vt sicut commoda sentimus ex actu institorum, ita ex contractibus eorum obligemur, ac conueniamur, iuxta communem regulam: Qui sentit commodum, debet sentire & onus. Ac est quidem institor (nomine inde ducto, quod negotio gerendo instet) qui tabernæ, locòve, ad emendum vendendumve præponitur, quive sine loco ad eundem actum præponitur: nam non multum facit, tabernæ sit præpositus, an cui-libet alij negotiationi: exstatque de hac re, & superiore actione titulus Codicis, *De institoria, & exercitoria actione*. T. Intelligo. C.A. Porro si quis sciens prudens filium vel seruum suum in peculiari merce, quam habet, negotiari patitur, tamen si verè illum institorem facere non videatur, priuilegium tamen peculij, quod alioqui haberet, amittit. Et ideo si creditor fortè serui est, non peculium eo nomine præcipuum habebit, secundum priuilegium commune, quod ea ratione nititur, quod peculium serui reuera ipsius domini est, cuius est seruus, cui tacitè renunciaffe videtur, cùm seruum negotiari patitur, sed cum reliquis creditoribus qui bona fide cum seruo sciens domino contraxerunt, in tributum venire debet, ne decipiantur. Atque est autem in tributum venire, vt sub Rubrica, *De tributoria actione*, traditur, cùm creditoribus cuique pro rata portione quid tribuitur. T. Dehinc personæ interuentu quinam constituuntur contractus? C.A. Qui cum eo qui in aliena potestate est contrahuntur. de qua re primùm in genere aliquid dicam, deinde specialiter. T. In genere quid ais? C.A. Certè tamen nemo qui alium in potestate habet, ex facto eius quem habet in potestate regulariter teneri debeat, nam acquirimus quidem vt plurimum per eum, sed non amittimus, vt docet titulus Codicis, *Per quas personas nobis acquiritur*: omnia tamen legislator agit, vt *Quod cum eo qui in aliena potestate est, negotium gestam esse dicitur*, ei, quoad fieri potest, & in quantum ex bono & æquo res patitur, in solidum satisfiat: vt videre etiam licet sub titulo Codicis, *Quod cum eo qui in aliena potestate est, negotium esse dicitur* (de quo & Institutionum est Rubrica) *Vel de peculio, siue quod iussu, aut de in rem verso*. Vnde Prætor, In eum, inquit, qui emancipatus aut exheredatus erit, quive abstinuit se hæreditate eius, cuius in potestate cùm moritur fuerit, eius rei nomine quæ cum eo contracta erit, cùm is in potestate esset, siue sua voluntate, siue iussu eius in cuius potestate erat, contraxerit, siue in peculium ipsius, siue in patrimonium eius, cuius in potestate fuerit, ea res redacta fuerit, actionem causa cognita dabo in quod facere potest.] T. Optimè sanè. C.A. Dico autem nominatim; In quantum ex bono & æquo res patitur: quoniam in quibusdam causis non solum ab eo qui in potestate aliquem habet, nihil petitur, sed ne ab eo quidem qui in potestate est, post mortem eius in cuius potestate fuserat, cum quo ipso contractum est. Nam si quis filiofamilias pecuniam mutuatam dederit, ratione externa, propter fraudes vitandas, non modò à patre, sed ne à filio quidem post mortem patris peti quicquam potest. Verba autem senatus sub titulo, *De senatusconsulto Macedoniano*, siue, vt in Codice est, *Ad senatusconsultum Macedonianam*, hæc sunt. Cùm inter cæteras scelerum causas Macedo, quas illi natura administrabat, etiam æs alienum adhibuisset, & sæpe materiam peccandi malis moribus præstaret, qui pecuniam ne quid amplius adiceretur incertis nominibus crederet; placere, ne cui qui filiofamilias pecuniam dedisset, etiam post mortem parentis eius in cuius potestate fuisset, actio peti-

tioque

tioque daretur, vt scirent qui pessimo exemplo scenerent, nullius posse filijfamilias bonum nomen exspectata patris morte fieri.] Et quidem vti maximè cautionem quis dederit de pecunia mutuo accepta, posse tamen eum exceptionem proponere, De non numerata pecunia, titulo Codicis proditum est. quoniam creditores spe numerationis futuræ, sæpe huiusmodi cautiones ante numerationem factam solent extorquere. T. Nunc specialiter de his rebus quid vis dicere? C.A. Enimverò cum in genere res ad eum modum, quo dictum est, se habeat, nempe patrem vel dominum ex facto filijfamilias, vel serui regulariter non obligari, aio specialiter tres tamen esse causas, ex quibus si non in solidum, aliquouſque tamen tenetur. T. Quæ est prima? C.A. Si peculium tamquam pusillum quoddam patrimonium (nam inde nomen habet) pater aut dominus filio vel seruo relinquat, quod separatum à rationibus suis habeat. nam hoc casu, si quæ res cum iis contracta est, deducto primùm eo quod patri aut domino debetur, cuius vtique prima debet esse causa, nisi aliud subsit, vt modò dictum est, quantum ad reliquum competit creditoribus actio, *De peculio*. perpetua quidem, si patria potestas vel dominica durat, quia durat simul & peculium; annalis verò post finitam potestatem, quod non tam ratione interna quàm externa receptum est, ne in totum creditores frustrentur, contra strictam iuris rationem; qua, cessante per finitam potestatem peculio, actio quoque de peculio meritò cessat. verba autem Prætoris sub titulo, *Quando de peculio actio annalis est*, hæc sunt: Post mortem eius qui in alterius potestate fuerit, dumtaxat de peculio, & si quid dolo malo eius in cuius potestate est, factum erit, quo minus peculij esset, in anno quo primùm experiundi potestas erit, iudicium dabo.] T. Quæ altera? C.A. Si id quod ex contractu acceptum est, in rem patris vel domini versum est. Quo casu eatenus quatenus versum est, vtique teneri eos æquum est, si quidem nullum sit peculium, vel id non sufficiat, quia cum ipsis propemodum contractum videtur, & non est ferendum, vt contra principia moralia, cum aliena iactura locupletentur: vnde competit actio, *De in rem verso*. Ac dicitur quidem in rem versum, siue id ipsum quod seruus accepit, in rem domini conuertit: veluti si triticum acceperit, & id in familiam domini, cibariorum nomine consumpserit; aut si pecuniam à creditore acceptam, dominico creditori soluerit. T. Quæ tertia? C.A. *Quod iussu domini aut patris cum seruo aut filio contractum est*: in qua specie nihil mirum est cum teneri, quia cum ipso quodammodo contrahi videtur, nec refert testatone, aut per epistolam, vel verbis, aut per nuncium iussus factus sit: & potest fieri non solùm specialiter, sed & generaliter, veluti: Quod voles cum Stichio seruo negotium gere periculo meo. T. Rectè. C.A. Planè extra has autem causas, placuit vt paterfamilias ex contractu filij vel serui non teneatur, quemadmodum & circa matresfamilias, cæterasque feminas prouisum quoque est, vt non modò ex aliorum contractibus non teneantur, sed nec ex suis quidem, si quidem pro aliquo fortasse fideiusserint, vel mutuas pecunias acceperint: quod tum quidem naturali ratione propter imbecillitatem sexus receptum est; tum autem civili, quoniam fideiussio civile munus est, à quo feminæ excluduntur. verba autem senatus sub titulo qui, *Ad senatusconsultum Velleianum* (& in Codice quoque exstat) scriptus est, sunt hæc: Quod Marcus Sillanus & Velleius tutor consules verba fecerunt de obligationibus feminarum, quæ pro aliis reæ fierent; quid de ea re fieri oporteret, de ea re ita censuerunt: Quod ad fideiussiones, & mutui dationes, pro aliis quibus intercesserint feminæ pertinet, tametsi antè videtur ita ius dictum esse, ne eo nomine ab his petitio, néve in eas actio datur, cum eas virilibus officiis fungi, & eius generis obligationibus obstringi non sit æquum; arbitrari senatum rectè atque ordine facturos, ad quos de ea re in iure aditum erit, si dederint operam, vt ea in re senatus voluntas seruetur.] T. Restant obligationes quæ causæ interuentu constituuntur. C.A. Harum vna est, qua, qui creditor est, & idem debitor, cogitur, petente aduersario, debiti liquidi, & crediti inter se contributionem & compensationem admittere, vt titulo, *De compensationibus* (qui & in Codice est) proditur. Nam tametsi quidem, stricta iuris ratione, ea quæ vtriusque debentur, nihil habent inter se commune, quia tamen vtriusque partis æqua debet esse ratio, & mea interest potius non soluere, quàm solutum repetere, & frustra sit per plura, quod fieri potest per pauciora: introductum est ratione externa, pro commoditate rerum agendarum, vt huiusmodi compensationes fiant, in quibus celeritate rerum inter se coniungendarum, duæ actiones soluendi & accipiendi occultantur. T. Probè narras. C.A. Altera obligatio est quæ ex deposito nascitur, vt quod mihi custodiendum datum est, per directam actionem depositi restituam; aut si quid in rem depositam impenderim, per actionem contrariam repetam, vti habet titulus, *Depositum vel contra*, quem & in Codice reperias: quæ quidem obligatio tametsi rei magis quàm negotij interuentu regulariter constitui videatur, ita vt similis sit

com-

comodato & pignori, si tamen tumultus, incendij, ruinæ, vel naufragij gratia deponatur, actio quæ inde nascitur, ex causæ magis interuentu, quàm rei oritur. T. Quis sic autem? C.A. Nam cum verba Prætoris, in hoc negotio sint: Quod neque tumultus, neque incendij, neque ruinæ, neque naufragij causa depositum sit, in simplum; earum autem rerum quæ supra comprehensæ sunt in ipsum in duplum, in hæredem eius, quod dolo malo eius factum esse dicitur, qui mortuus sit, in simplum, quod ipsius, in duplum iudicium dabo.] Separatio hæc causarum hanc habet rationem, quòd, cum quis sponte sua, nulla necessitate cogente, fidem alicuius elegit, nec depositum redditur, contentus esse debet simpli, sibi imputans quòd malè elegit: quod verò exstante necessitate deponit, crescit perfidiæ crimen, quod quidem non priuata solùm, sed publica de causa coercendum, ac vindicandum est; nam reipublicæ interest, in causis huiusmodi fidem frangere.

De contractibus qui consensu fiunt.

TITVLVS XXVI.


T. **D**EINCEPS de illis contractibus sequitur vt exponas qui consensu fiunt. C.A. Equidem cum in omnibus contractibus hæc duo versentur, res quæ pro materia est, vt antè diximus, & consensus, qui pro forma: quemadmodum in iis qui re contrahuntur, præcipua substantia in rei interuentu consistit, sequente consensu; ita in his præcipua vis est in consensu, sequente re. Et verò sunt quatuor numero: mandatum, societas, emptio venditio, locatio conductio. de quibus singulis nobis est differendum. T. Igitur de mandato quid ais? C.A. Id dico esse, cum rogatu, aut voluntate, vel iussu alicuius (nihil enim inter hæc interest, nisi quòd gradu differunt, vt suo loco traditum est) negotium illius agendum procurandumve suscipio. quod cum factum est, & fideliter quod mandatum est, exsequendum est, & fines eius diligenter custodiendi, ne pro beneficio maleficium reddam. Et si secus fiat, directa mandati aduersum me actio est; & ego, si quid in rem quam gessi vtiliter impendi, contrariam habeo mandati actionem, vt demonstrat titulus, *Mandati vel contra*, qui & in Codice extat: cum quo conuenit rubrica Institutionum, De mandato. Et verò trahit originem mandatum ex naturali officio atque amicitia, eaque gratuita: & ideo contrarium mandatum merces est, qua interueniente, res ad locationem & conductionem potius respicit, vt & in deposito vsu venit, cuius eadem quæ mandati origo est, eademque ratio, vt, quemadmodum non depositarij, sed deponentis gratia deponitur, ita & non mandatarij, sed mandantis gratia communiter mandatur, licet subinde in vtroque secus fiat. Et quidem, *Si* (vt habet titulus Codicis) *seruus extero se emi mandauerit*, tametsi non interna, externa tamen ratione actionem domino quæri placuit. T. Societatem quam vocas? C.A. Consensionem duorum vel plurium de bonis omnibus, vel certis rebus aut negotiis, vni aut pluribus communicandis, ad communem contrahentium vtilitatem; quod fraternitatis instar esse. Iuriconsultus ait, idque siue æqualibus partibus, siue inæqualibus societas contrahatur (dummodo non vnus lucrum, alter damnum solus sentiat, quæ leonina est societas) siue vnus rem, alter operam conferat. vnde nascitur actio quæ *Pro socio* (vt & titulus Codicis habet) vtrunque vocatur, qua ad res, de quibus conuentum est, in commune conferendas agitur, vt sub titulo quoque Institutionum, De societate, agitur. Ac dicitur quidem vsque adeo societas communi consensu constare, vt eo vel ab vna tantum parte deficiente societas continuo pereat, etiamsi ad certum tempus contracta fuerit, quo casu ad id quod interest agi quidem potest; sed ipsa societas re ipsa distracta est. Nam eam secundum principia physica, omnia quæ aguntur, vel opus post se relinquunt, vt architectus domum, quæ cessante architecto tamen manet, vel in sola consistant actione, nihilque post se relinquunt, vt canere, quod cessante actione vnà perit: societas de posteriorum est numero, sic vt simulatque consensio cessat, simul & societas, quæ inde dependet, euanescat. Quod secus est in plerisque aliis contractibus, qui prioris sunt generis: & ideo liberum sit habere contractum; postquam tamen contractus, veluti emptionis, venditionis, locationis, conductionis perfectus est, transit in necessitatem, nec potest altera parte inuita ab eo recedi. T. Nunc de emptione & venditione, de qua & Institutionum est titulus, quid habes dicere? C.A. Hic est princeps ille contractus, qui à permutatione originem trahens, caput est omnium contractuum mercenariorum. Nam cum olim (inquit Paulus) nullus esset nummus, neque aliud merx, aliud pretium vocaretur, sed vnusquisque secundum necessitatem temporum ac rerum inutilia vtilibus permutaret, & cum sæpe euoueret, vt cum tu haberes quod ego desiderarem, ego inuicem non haberem quod tu accipere velles;

les, unde multæ incommoditates, & impedimenta commercij existebant: electa est materia, cuius publica ac perpetua æstimatio difficultatibus æqualitate quantitatis subueniret: eaque materia forma publica percussa, vsum dominiumque non tam ex substantia præber, quàm ex quantitate, nec vltra merx vtrumque, sed alterum pretium vocatur: de quo quidem postquam conuentum est, emptio & venditio, quæ formam suam in eo habet (cùm merx pro materia sit) perfecta dicitur, dummodo de rebus sit quæ non sunt extra commercium, vt venena mala, res sacræ, homo liber, cum similibus; & pactiones adiectæ non sint illicitæ, veluti si res ita vendita est, vt si intra certum tempus displiceat, inempta sit, quod est permixtum: vt ostendit titulus, *De contrahenda emptione & venditione, & de pactis inter emptorem & venditorem compositis, & que res venire non possint*. Cum quo congruunt tituli Codicis: *De contrahenda emptione & venditione. De pactis inter emptorem & venditorum compositis. Quæ res vendi non possunt, & qui vendere vel mercari ventantur*, vt hostes, barbari. *Quæ res exportari non debeant ad barbaros*, vt alimenta, arma, aurum, & his similia. *De eunuchis in orbe Romano non faciendis, nec factis vendendis. De parentibus qui filios distraxerunt* ob nimiam paupertatem: quos, restituto precio, aut alio mancipio oblato, ad ingenuitatem redire placuit. T. Rectè. C.A. Ac sit quidem emptio & venditio communiter recta via, subinde autem per additionem in diem; veluti, hic fundus tibi emptus sit tanti, nisi intra illud tempus aliam meliorem conditionem obtulerit, vt docet Rubrica, *De in diem additione*: subinde per legem commissoriam, vt si ad diem pecunia soluta non sit, fundus sit inemptus, vt monstrat titulus, *De lege commissoria*. T. Probè. C.A. Et quidem si quæ hæreditas vel actio vendatur (nam non solum res corporales, verùm etiam incorporales vendi possunt) non constat emptio & venditio nisi aliqua sit hæreditas, & nomen aliquod, cuius causa competat actio: nam alioqui, si vel viuentis hæreditas, vel eius rei quæ nunquam existit, actio vendatur, nullam constat esse venditionem, tamquàm deficiente materia quæ vendatur. Sed cùm aliqua est hæreditas vel actio, siue ea parua sit, siue magna; siue debitor soluendo sit, siue non, nihil refert: nam rem esse factam est, vt demonstrat titulus, *De hæreditate vel actione vendita*, qui & in Codice exstat. T. Bene narras. C.A. Contracta autem emptione & venditione, discedi quidem potest ab ea, communi vtriusque consensu; nam nihil tam naturale est, quàm vnumquodque dissolui eo modo quo ligatum est: sed vnus voluntate non potest, nisi ex magna causa, & æquitate extrinsecus adhibita; veluti si fundus meus ob vectigal publicum minoris venijt, & ego paratus sum solidum vectigal exsoluere, vt est sub rubrica, *De rescindenda emptione & venditione, & quando liceat ab emptione discedere*. De quibus singuli sunt tituli Codicis; vbi quoque traditur, *Si propter publicas pensationes venditio fuerit celebrata*, venditionem non esse retractandam, etiamsi postea tributum, ob quod non solutum venditio facta fuit, & pretium rei offeratur, propter fauorem tributi publici. *Qua etiam de causa comparatum est, Sine censu vel reliquis fundum comparari non posse*. sed non obstante conuentione partium, ipse fundus manet obligatus, quia pactis priuatorum non potest iuri publico derogari. T. Intellego. C.A. Et quidem vti post perfectam emptionem & venditionem, ante traditionem tamen rei venditæ, periculum ad emptorem pertinet; propterea quod venditor non nisi certæ speciei est debitor, quem vtrique constat naturali ratione interitu eius liberari, & proinde per consequentiam damnum ad emptorem redundare: ita quoque si quid rei venditæ interea loci accesserit, aut melior ipsa facta sit, ad utilitatem emptoris spectat. nam secundum naturam est, commoda cuiusque rei sequi eum, quem sequuntur incommoda, vt sub titulo, *De periculo & commodo rei venditæ* (qui & in Codice exstat) est proditum. T. Teneo. C.A. Et quidem si ea lege mancipia vendantur, vt exportentur vel manumittantur, vel non; seruanda lex est, secundum titulum, *De seruis exportandis, vel si ita mancipium venierit vt manumittatur, vel contra*. Nam potest quisque alienando eam legem rebus suis dicere quam vult, dum non sit inhonesta vel iniusta, vt ostendunt tituli Codicis: *Si seruus exportandus veniat. Si mancipium ita venierit, ne profluatur. Si mancipium ita fuerit alienatum, vt manumittatur, vel contra*. Et verò quæ autem in hoc contractu proditæ sunt actiones, empti vocantur & venditi: ex quibus prior emptori competit, ad rem consequendam, dummodo pretium offerat; nam quod iure tibi vis fieri, tu prior facias necesse est: posterior venditori, ad pretium consequendum, dummodo res vel iam tradita sit, vel offeratur. T. Audio. C.A. Dico autem, Tradita: quoniam licet emptor pecuniam quam dat, venditoris facere debeat, secundum propriam intentionem eorum qui contrahunt; cui accedit quod absque dominij translatione pecuniæ nullus esset vsus, cùm in quantitate consistat, non in specie: venditor tamen satisfacit, si rem emptori tradat, & si ab aliquo euincatur, eo nomine respondeat; quoniam alioqui nullus vnquam

quam esset finis, dum sibi probari veller emptor venditorem esse dominum: quod magnum impedimentum iniiceret commerciis, quorum facilitati præcipue studendum est. T. Bene dicis. C.A. In pecuniæ autem dominio transferendo nihil est huiusmodi difficultatis: quoniam cum in quantitate consistat eius dominium, vel per solam confusionem cum aliis nummis naturaliter transit, nec perit quicquam domino, quoniam ad eandem quantitatem habet actionem. vt de his omnibus per tractatum, *De actionibus empti & venditi* (qui & in Codice) videre licet. Et quidem, *Si quis* (vt habet titulus Codicis) *alteri vel sibi sub alterius nomine, vel aliena pecunia emerit*, sibi rem emptam, non ei cuius pecunia fuit, acquirit. Et si quis rem alienam comparauerit, vel pignori acceperit, tenetur eam restituere domino suo, vt docet titulus Codicis, *De rebus alienis non alienandis, & de prohibita rerum alienatione, vel hypotheca*. Ac *De communium rerum alienatione*, placuit fiscum quidem rem communem totam vendere posse, priuatum autem hominem non posse. Cæterum *Rem alienam gerentibus non interdici rerum suarum alienationem*, planè constat. T. Restat de locatione & conductione vt dicas. C.A. Hæc proxima est emptioni & venditioni, iisdemque iuris regulis constat; nec alia re differunt, quàm quòd emptio & venditio circa ipsam rem versantur, locatio & conductio circa vsum & vtilitatem rei, vt supra distinximus; pro quo vsu pretium quod soluitur, merces propriè vocatur. Et quæ ad rem conductam vtendam actio pertinet, conducti vocatur; quæ ad mercedem consequendam, locati: quamquam sunt & alia quæ in has actiones incidunt, de quibus nunc non est dicendi locus, sed tractatur de iis titulo, *Locati & conducti*, siue *De locato & conducto*, vt habet rubrica Codicis; vel, vt Institutionum, *De locatione & conductione*. Estque inter emptionem & venditionem, & locationem & conductionem quasi medius, & ex utroque mixtus contractus emphyteuticus, cum ad longum tempus decem vel viginti annorum, aut eo amplius, quid locatur: vt demonstrat Rubrica Codicis, *De emphyteutico iure*.

De contractibus innominatis.


TITVLVS XXVII.

T.  **V**DIUI de contractibus nominatis: sequitur de innominatis dehinc vt tractes. C.A. De his sciendum est, propterea innominatos vocari, quia nullum nomen speciale ac proprium acceperunt. Nam cum in omnibus rebus hæc tria versentur, genus summum, vt animal; species infima, vt equus; & medium inter vtrumque, quod diuersorum respectu & genus est, & species, vt quadrupes: illa verè nominata dicuntur, quæ ad infimam speciem redacta, suum proprium nomen acceperunt, quemadmodum fit in mutuo, commodato, societate, mandato, & reliquis contractibus nominatis, de quibus dictum est. quæ autem vel in ipsius summi generis appellatione perstant, vel mediorem sunt generum, siue specierum, hæc innominata appellantur, non quidem quia omnes penitus sine nomine sunt, sed quia suum proprium & speciale nomen non habent, vt fit in contractibus innominatis. T. Rectè. C.A. Ex quibus alij summi sunt generis, vt pactum, conuentio, contractus; vnde nulla nascitur actio: alij medij, qui alij nomen aliquo modo habent, alij non habent; vnde non specialis actio nascitur, sed synalagma tantum. T. Qui sunt qui nomen habent? C.A. Actio æstimatoria, & permutatio. T. Quam vocas actionem æstimatoriam? C.A. Quæ ex eo nascitur, cum res æstimata vendenda datur: nam quia dubitatur vtrum ex vendito esset actio propter æstimationem; aut ex locato, quasi rem vendendam locasse viderer; an ex conducto; quasi operas conduxissem; an mandati: melius visum est, secundum principia extraordinaria, dubitationis tollendæ gratia, vt, quoties ad hunc modum de nomine contractus alicuius ambigitur, & conuenit tamen aliquam actionem dari, dandam esse æstimatoriam præscriptis verbis actionem, vt titulo, *De æstimatoria*, Vlpianus scribit. T. Quam permutationem? C.A. Quæ (vt titulo, *De rerum permutatione*, traditur) non merce & pretio, sed rebus vtriusque datis constans, non certam aliquam speciem, nomenque accipit, sed in genere suo permutandi (quod multis contractibus specialibus commune est) persistit. Et ideo neque consensu contrahitur, quia alioqui ex pacto nasceretur actio, quod non placuit (prout supra dictum est) nisi in iis contractibus qui in speciale nomen transferunt, sed re vtriusque tradita: neque certam actionem parit, quæ suis formulis constat, si res tradita fortè euincatur: nam id quoque locum non habet in iis contractibus qui in certum nomen transferunt, quibus singulis suæ olim datæ erant actionum formulæ; sed parit actionem præscriptis verbis in factum, vt ostendit titulus Codicis, *De rerum permutatione, & præscriptis verbis*. T. Nunc quinam autem sunt contractus qui nullum nomen

habent? C.A. Qui licet nullo certo nomine appellentur, tamen commutationem quandam & commercium hinc inde in se habent: qui quatuor sunt numero. T. Quinam, cedo? C.A. Do ut des, facio ut facias, do ut facias, & facio ut des. qui quidem inde constituuntur, quod omnis materia contractibus subiecta, tum quidem in rebus consistit, quae dantur, tum autem in factis, quae fiunt: quae utrimque vel pariter praestantur, unde contractus, do ut des, facio ut facias, procedunt, vel dispariter, unde contractus, facio ut des, do ut facias. T. Rectè. C.A. Ac habet quidem contractus, do ut des, emptionis & venditionis similitudinem: do ut facias, locationis & conductionis: facio ut facias, mandati: & facio ut des, nullius. T. Probè. C.A. Et verò ut intelligas quænam hinc nascuntur actiones, scire oportet, omnes actiones vel certas, & ordinarias esse, vel incertas, & extraordinarias, vel subsidiarias. T. Quæ sunt certæ, & ordinariæ? C.A. Quæ certis formulis iure civili descriptis constant. T. Quæ incertæ, & extraordinariæ? C.A. Quæ non habent certam formulam, sed in factum concipiuntur præscriptis certis verbis civilibus, quibus factum sic proponitur, ut formulam alicuius actionis civilis ordinariæ, ac certæ, quoquo modo adumbret & imitetur: unde præscriptis verbis, in factum, civiles, & incerti actiones vocantur, & vtilis, siue aliquod nomen habeant, siue non. T. Quæ subsidiariæ? C.A. Ad quas in subsidium venit, cum omnibus actionibus civilibus, certis pariter & incertis, destituti sumus, & tamen ut aliqua actio detur res ipsa postulat. Atque hæc sunt, tum quidem actio de dolo civilis, tum autem actio in factum prætoriam, quæ sine vlla est verborum civilium præscriptione. T. Intellego. C.A. His ita positus, iam primum illud certum est, in his contractibus innominatis actiones ordinarias certas non habere locum, quoniam illæ non aliis contractibus accommodatæ sunt, quàm quæ in certum nomen transierunt, ut modò tactum est. T. Teneo. C.A. Ac quantum ad extraordinarias incertas, quæ præscriptis verbis in factum concipiuntur, attinet; hæc hæcenus hæc locum habent, quatenus in istis contractibus innominatis nonnulli sunt, qui alicuius contractus nominati speciem præ se ferunt, ad quorum imitationem hæc extraordinariæ actiones concipiuntur: nam sic dicimus permutationem emptioni & venditioni vicinam esse, æstimatoriam mandato, & aliis supradictis; do ut des, emptioni & venditioni; do ut facias, locationi & conductioni; & facio ut facias, mandato. T. Probè. C.A. Cæterum quatenus in istis contractibus innominatis sunt nonnulli, qui nullius nominati speciem ac similitudinem præ se ferunt, in his ad subsidiarias actiones est decurrendum, civiles quidem, si negotium civile est; & prætorias, si prætorium. Et ideo si faciam ut des, & posteaquam feci cessas dare; quoniam ea res nullius contractus nominati speciem habet, & ideo omnis actio civilis principalis, certa pariter & incerta in ea cessat, de dolo, inquit Paulus, dabitur. Ac dicitur quidem, facio ut des, ab omni similitudine contractus nominati abesse, quoniam cum eius oppositum, do ut facias, locationi & conductioni comparatur, in isto cum quo per contractum conferri possit, non inuenitur. de quibus omnibus est titulus, *De præscriptis verbis, & in factum actionibus.* ex quibus illæ civiles, hæc prætorix sunt.


De accessionibus contractuum.

TITVLVS XXVII.

T.  C EPI de iis quæ ad contractus ipsos pertinent: nunc de accessionibus eorum quid habes dicere? C.A. Hæc sanè omnes vel ad securitatem eorum pertinent, ut pignora, & hypothecæ: vel ad damnum in iis vitandum, ut redhibitiones, & stipulationes de euictione: vel ad accessionem, & omnem causam, ut vsuræ & fructus: vel ad eorum probationes, ut testes, instrumenta; quæ tametsi & in aliis negotiis locum habeant, hæc tamen maximè sunt vsui.

De pignoribus, & hypothecis.

TITVLVS XXVIII.

T.  E pignoribus, & hypothecis quid dicis? C.A. Tametsi pignus propriè de rebus mobilibus dicatur, quæ in pignus, hoc est, manum dantur; hypotheca autem de rebus soli, quæ supponuntur pignori: hoc tamen utrique commune est, ut pro securitate sint debiti, trahuntque originem ex hominum inter ipsos diffidentia, qua, secundum principia corrupti status hominis, plus cautionis in rem esse censetur, quàm in personam, ut supra tactum est. Ac quantum

quantum ad actionem hypothecariam attinet, per quam creditor rem pignori oppositam tradi sibi petit, nihil aliud quam sonus nominis inter pignus & hypothecam interest. T. Quid autem? quomodo contrahitur pignus? C. A. Per traditionem aut conventionem, nonnumquam etiam tacite. Nam si quid in pradium urbanum inuectum illatumve fuerit, placuit externa ratione propter cautionem esse pignori pro mercede, ne, quod intus quis habeat, foris querere cogatur. Quod & ipsum in fructibus in pradio rustico natis locum habet, non autem in rebus in rusticum pradium illatis, quæ parui ferè momenti sunt, & rei rusticæ seruiunt, cui nullum adferendum est impedimentum. T. Rectè. C. A. Adde quòd quarum rerum non est commercium, earundem nec pignus est: quoniam secundum principia Physica, accessorium naturam sequitur sui principalis. Et ideo pupillus, qui sine tutoris auctoritate contrahere non potest, nec pignori dare potest: quoniam per dationem pignoris ad alienationem peruenitur. T. Audio. C. A. Porro si eadem res pluribus fortè pignori sit opposita, naturali ratione is potior est iure, qui prior est tempore: nec verò is solum, sed & is qui in eius locum successit, ipsiusque personam refert. T. Probè. C. A. Et est verò proprius usus pignoris, ut, si debitor ad tempus conuentum non satisfaciatur, creditor pignus rite vendendo ad suum perueniat, sed si satisfiat, ipso iure pignus soluitur, quemadmodum & lapsu temporis, si ita conuentum est, vel partium voluntate ab eo discedatur. T. Optimè. C. A. Atque ad hæc quidem omnia pertinent tituli, *De pignoribus & hypothecis, & qualiter ea contrahantur, & de pactis eorum. In quibus causis pignus vel hypotheca tacite contrahitur. Quæ res pignori vel hypotheca data obligari non possint. Qui potiores in pignore vel hypotheca habeantur, & de his qui in priorum creditorum locum succedunt. De distractione pignorum & hypothecarum. Quibus modis pignus vel hypotheca soluitur.* Ac conueniunt cum his tituli Codicis, *De pignoribus & hypothecis. In quibus causis pignus vel hypotheca tacite contrahitur. Si res aliena pignori data sit, quæ constat sine consensu domini non obligari. Quæ res pignori obligari possint vel non, & qualiter contrahitur. Qui potiores in pignore habeantur. De his qui in priorum creditorum locum succedunt*, quos constat & in pignus succedere, si ea conditione priori creditori satisfaciant. *Si antiquior creditor pignus vendiderit, usus iure suo non habet secundus creditor quod conqueratur. Si communis res pignori data sit, non nocet socio, quantum ad suam partem, sed danti dumtaxat. De pratorio pignore, quod in iudicio Prætoris iubente datur. Et ut in actionibus etiam debitorum priuatorum missio pratorij pignoris procedat, ut ad solutionem eius quod debetur, hoc modo perueniatur. Si in causa iudicati pignus captum sit, auctoritate iudicis: non satisfaciante condemnato, potest, eodem iudice auctore, ad pignoris venditionem procedi. Si pignus pignori datum sit à creditore, valet oppignoratio quamdiu primus debitor non dissoluit ius pignoris. De parte pignoris, & omni causa. vbi traditur, si ancilla pignori data pariat, infantem in eadem causa esse: & si creditor ex operis serui oppignorati quid percipit, in diminutionem debiti cedit. De remissione pignoris, per quam expresse vel tacite factam dissoluitur ius pignoris. Etiam ob chirographariam pecuniam pignus teneri posse, si fortè me creditore in possessione pignoris constituto, tu debitor præter pecuniam pro qua pignus dedisti, aliam etiam pecuniam chirographariam dumtaxat debeas, pro qua utique pignus tenere quoque possum, propter doli mali exceptionem, donec ei satisfiat. De distractione pignorum. quæ utique permissa est, si ad tempus non satisfiat. vbi & regula est, *Debitorem venditionem pignoris, impedire non posse. Si venditio pignore agatur, à debitore de dolo malo circa venditionem commisso auditur. De luitione, quæ fit per totius debiti solutionem, non autem partis. Si unus ex pluribus heredibus creditoris vel debitoris partem suam debiti soluerit vel acceperit, licet actio personalis diuidatur, ius tamen pignoris singulis integrum remanet. Si pignoris conventionem numeratio pecunie secuta non sit, potest pignus per actionem in rem repeti, quia non numerata pecunia pignus non tenet. De iure domini impetrando à principe per creditorem: quod fit, cum non soluta ad diem pecunia, pignus vntim expositum emptorem non inuenit, daturque ab eo tempore debitori biennium ut pignus possit redimere. De pactis pignorum: quæ, quatenus licita sunt, seruari debent. & De lege commissaria in pignoribus rescindenda. nempe ut non soluta ad diem pecunia, pignus creditoris sit, vel ab eo priuata auctoritate vendi possit, quod non valet, sed debet iure communi ad venditionem procedi. pertinetque ad materiam hanc pignorum Nouella, ut non fiant pignorationes pro aliis personis, & ut, sicut Principum donationes non egent gestis monumentorum, sic nec à priuatis Imperatoribus factæ donationes indigeant.**

De redhibitionibus & euictionibus.

TITVLVS XXIX.

T. **A**M de redhibitionibus & euictionibus quid ais? **C.A.** Redhibitionis nomen à redditione est: quoniam si mancipium per me emptum, morbosum aut vitiosum, cum tu vendendo nihil expressisses, quemadmodum teneris, ut secundum principia externa fallaciis occurratur; actio mihi competit ex ædilitio edicto, ut tu id redhibere cogare, ne inuitus tenere compellar, quod si morbosum vitiosumve esse sciuissem, nunquam emissem; sic tamen ut si quid mea culpa factum sit, quo deterius mancipium sit, ego resarciam. Nam quod quisque iuris in alium statuit, in se agnoscere debet. Verba autem ædilitij edicti sunt: Qui mancipia vendunt, certiores faciant emptores quid morbi vitiique cuique sit, quis fugitiuus, errorve sit, noxave solutus non sit; eadem omnia, cum ea mancipia venibunt, palam recte pronunciat. Quod si mancipium aduersus ea venisset, siue aduersus quid datum promissumve, cum veniret, fuisset; quod ius præstare oportere dicitur emptori, omnibusque ad quos ea res pertinet; iudicium dabimus, ut id mancipium redhibeatur. Si quid autem post venditionem traditionemque deterius emptionis opera, familiarum, procuratorisque eius factum erit, siue quid ex eo post venditionem natum, acquisitum fuerit, & si quid aliud in venditione ei accesserit, siue quod ex ea re fructus peruenerit ad emptorem, ut ea omnia restituat. Item si quis accessiones ipse præstiterit, ut recipiat. Item si quod mancipium capitalem fraudem admiserit, mortis consciscendæ sibi causa quid fecerit, invehentem depugnandi causa intromissus fuerit, ea omnia in venditione pronunciat. Ex his enim causis iudicium dabimus. Hoc amplius: si quis aduersus ea sciens dolo malo vendidisse diceretur, iudicium dabimus.] **T.** Bene narras. **C.A.** Atque idem de iumentis quoque statuitur, de quibus verba ædilitium sub titulo, *De ædilitio edicto* (siue ut est in Codice, *De ædilitiis actionibus*) & redhibitione, & quanti minoris. Qui iumenta vendunt, palam recte dicunt quid in quoque eorum morbi vitiique sit, utique optimè ornata vendendi causa fuerint, ita emptoribus tradunt. Si quid ita factum non erit, de ornamentis restituendis, iumentisque ornamentorum nomine redhibendis in diebus sexaginta, morbi autem vitiiue causa inemptis faciendis in sex mensibus, vel qui minoris cum venierint fuerint, in annum iudicium dabimus. Si iumenta parui simul venierint, & alterum in ea causa fuerit, ut redhiberi debeat, iudicium dabimus quo vtrumque redhibeatur.] **T.** Optimè. **C.A.** Atque hæc quidem cum de redhibitionibus ita se habeant, quantum ad euictionem attinet, ea est, cum rem emptam tertius ex causa quæ emptionem præcessit, à me auferat, cuius rei nomine tametsi regulariter in vendendo fideiussorem, quem secundum auctorem nominant, dare non cogar; nam hoc nimis multum impedimenti commerciis rerum adferret: teneor tamen quanti tua interest rem meam non fuisse, ne scilicet alteri per alterum iniqua conditio offeratur. **T.** Rectè. **C.A.** Ac quoniam quidem id quod interest, sua natura incertum est, duplæ stipulatio ferè fieri solet, qua duplum rei venditæ re-promittit venditor, si euincatur. Quam quidem re-promissionem petente emptore utique præstare debet, si modò alicuius momenti res est (nam de minimis non curari, iam sæpe dictum est) quoniam alioqui malam suam fidem ipse detegit, ut traditur sub titulo, *De euictionibus* (qui & in Codice exstat) & dupla stipulatione. **T.** Intellego quid dicas. **C.A.** Planè sic cum rem alienam vendidissem, eam postea meam factam petam, repellar doli exceptione, quasi improbè faciam quod rem à me distractam euincere coner. quod pertinet tractatus, *De exceptione rei vendita & tradita*. Estque titulus Codicis, *Creditorum*, qui bona fide pignus vendidit, *euictionem pignoris non debere*, nisi expressim eam promiserit.

De usuris, fructibus, causis, accessionibus, & mora.

TITVLVS XXX.


T. **E**MINE; si placet, *De usuris* (de quibus & Codicis est titulus) & *fructibus*, & *causis*, *accessionibus*, & *mora*, edisserere. **C.A.** Planè cum fructus rei sint, quos res quæ in specie consistit profert, causa autem fructus fructuam, ut si foetus ouis alium foetum producat, & accessio omne id quod rem quoquo modo sequitur; quæ omnia post moram, quæ cessatio est, & dilatio iniusta, debentur; partim pœnæ nomine secundum principia moralia, partim quia secundum principia Physica quasi pars sunt ipsius rei: usuram vocamus id quod pro usu pecuniæ debitæ (quo nomine omne id quod pondere, numero, mensura, constat, comprehendimus) persoluitur, quod & fœnus vocatur, idque vel officio iudicis, vel ex conventionem contrahentium. **T.** Quo pacto officio iudicis? **C.A.** Post moram contractam. nam si tu ad diem non soluas, egoque post eo nomine agam, tametsi recta via amplius petere

tere non possim quàm quod mihi debetur, per circuitionem tamen id assequar, quod directò non possum, vt sæpe fieri suo loco ostensum est. Nam cum non solum iniquum sit te me inuito, & cum damno meo & iniuria rem meam retinere, quo nomine & pœnam debes, & id quod interest; verumetiam æquum, vt cum pecunia mea vtaris, cum fœnore secundum Hesiodi præceptum eam reddas; officio iudicis incumbit, remedium ei rei adhibere, & tam pecuniæ nomine, quàm eius quod mea interest, in moderatas vsuras te condemnare: quæ res tantum abest vt vitium aliquod in se habeat, vt contra iniurium esset, ni ita fieret. T. Ex conuentione contrahentium quonam modo? C.A. Cum initio quod pecunia creditur, conuenit quantum in singulos menses vel annos vsuræ, siue fœnoris, aut pœnæ nomine pendendum sit; quod quidem subinde fit ob periculum quod creditor in se suscepit, vt in pecunia traicctitia, quæ periculo creditoris per mare vehitur, cuius nomine fœnus quod penditur, nauticum vocatur; & si modum non excedat, licitè exigitur, vt sub Rubrica, *De nautico fœnore*, quæ & in Codice exstat, nec non sub Nouella De nauticis vsuris, & de vsuris nauticis proditum est. Subinde verò sine vlla causa, ob solum crediti beneficiû, quod ob necessitatem quidem secundum principia externa in republica, addito certo modo (veluti per Nouellas: *Vt particulares vsurarum solutiones in duplum competentur. De argentariorum contractibus. De interpretatione à Principe facta, & vt vsura particulatim soluta duplum sortis non excedant. Exemplum sacra pragmatica forma de vsura*) nonnumquam toleratur, sed tamen sua natura iniustum, impium, & nefarium est. T. Cur iniustum? C.A. Quia sine causa exigitur, siue obligationem spectes, siue dominium, quæ sunt duo summa capita: nam cum omnis obligatio, vel ex delicto sit, vel quasi, aut contractu vel quasi; primum illud constat, eum qui mutuum rogat, nequaquam ex delicto teneri ei qui dat. Ac cum omnis contractus vel liberalis sit, vel mercenarius, illud quoque planum est, nullam hinc promittentis esse liberalitatem: nam in necessitate, ex qua mutuum petitur, nemo est liberalis. Ac quantum ad contractus mercenarios attinet, quoniam hi vel in societate consistunt, vel in commutatione; certum est inter mutuuantem, & eum qui accipit fœnori, nullum omnino societatis ius intercedere. Et quod pertinet ad commutationem, quoniam omnis pecunia, vel ob damnum datur, vel ob periculum susceptum, vel operam præstitam, vel rem datam (vtra quæ nihil est amplius quod in pretium cadit) vsura siue fœnus in nullius harum rationem incidit. Non damni quidem passi, siue eius quod interest; quoniam quo tempore mutuû datur, nullum adhuc damnum emerit, nec lucrum cessauit, & quod ad futurum attinet, quoniam id quod cuiusque interest, in facto, non in iure consistit, & ob id non nisi postquam accidit, æstimari potest; conficitur, ab initio de eo conueniri, certumque eius pretium constitui non posse. Non periculi suscepti, quoniam cum debitorem creditor obligatum habeat, aded vt nec incendium, nec vllus alius casus eum liberet, nullum est creditoris periculum: nam quod fieri debitor potest non soluendo, qui casus est tristis, non est in expectatione. Et tantum abest vt pecuniam ea de causa ab aliquo accipere quis possit, vt contra in eum casum addere ei deberet. Non operæ quoque præstitæ; quoniam si laborem mutuandi spectes, veluti numerandi, non est eiusmodi vt aliquo modo pretium eo nomine dari debeat, saltem eiusmodi quale est fœnus; sin autem ipsum factum mutui dandi, si quidem vt factum aliquod id spectes, quoniam eiusmodi est per se, vt neque laboris molestia constet, neque damnum in se habeat, utique non magis pretium eo nomine accipi potest, quàm si quis digito monstret viam: sin autem vt beneficium, quamquam quidem quoad accipientem grati animi est id agnoscere, & ingrati non agnoscere: quantum ad dantem attinet, si quidem quid stipuletur, aut exspectet, non beneficium, sed mercenarius dicendus est; contraria enim beneficium merces; multaque non inhoneste accipiuntur, quæ non honestè petuntur. Non rei denique datæ; quia cum duo circa res spectentur, dominij translatio, & concessio vsus, neutrum in mutuo eiusmodi est, vt pretium eo nomine accipi possit. Nam quantum ad dominij translationem in mutuo attinet, quoniam res non simpliciter & absolutè transferatur, sed ita vt alia eiusdem substantiæ qualitatis & quantitatis reddatur; non potest ad emptionem & venditionem res spectare, & multo minus pretium vsurarium eo nomine exigi. Ac quantum ad concessionem vsus, non potest quoque res in causam locationis & conductionis cadere: quoniam si speciem spectes, certum est, dominium rei mutuatæ datæ ad accipientem transferri, eumque re propria vti, & proinde dantem pro vsu rei quæ ipsius non est, nihil posse exigere: non aliter quàm si quis librum alicui plene det, ea lege vt post certum tempus, alius eiusdem impressionis reddatur, & medio tempore pro vsu illius aliquid stipuletur: quod est absurdum, quoniam liber non est ipsius. Sin autè genus quod debetur, planum est, generis nullum esse vsus; quoniam solo animo comprehenditur, & ob id mercedem

dem eo nomine exigi non posse. Cui adde, quod earum rerum quæ in mutuum cadunt, ea est natura, ut in locationem & conductionem propriè non cadant. Nam cum res aliæ sint quæ usu consumuntur, quarum substantia una cum usu statim perit, ut vinum; aliæ quæ non, quarum substantia ab usu separatur, ut equus: harum verè locatio & conductio est, quæ in hoc consistit, quod pro usu rei meæ mercedem accipio; quoniam de illis verè dicitur, te re mea uti. Nam cum earum usus in consumptione substantiæ consistat, certum est in rerum natura factò ipso eas esse desinere, & consequenter earum me non esse dominum, sic ut dicere non possim, me pro usu rei meæ quid exigere. Dixi autem, Propriè: quia cum harum rerum quæ usu consumuntur, etiam alius quidam impropriè sit usus, quo non consumuntur, eius respectu utique in locationem & conductionem cadunt: veluti si quis ad ostentationem pecuniam petat. Atque hæc quidem cum circa obligationem ita se habeant, iam, quantum ad dominium attinet, id vel naturali ratione, vel civili nobis obuenit. Naturali, veluti si quid ex re nostra nascatur, quod utique in usura locum non habet, quia pecunia pecuniam non parit. Civili, ut si in longi temporis usu quid capiam, quod nec ipsum in fœnore dici potest, quia nulla est creditoris possessio. Aded ut quocumque te vertas, siue ad obligationem, siue ad dominiũ, semper fœnus siue usuram sine causa exigere reperias, unde fit, quod iniustum id esse diximus. T. Cur autem dixisti impium? C. A. Quia cum mutuum dare, necessitatiq. proximi succurrere, opus misericordiæ, & proinde res sancta & pia sit, sequitur, pecuniam eo nomine exigere, impium esse & execrabile: quemadmodum fit dum sacra venduntur, & turpis pretij interuentione fœdantur. T. Cur nefariũ? C. A. Quia pestilenti suo morfu, qui nunquã cessat, non solũ in bona, sed in corpus grassatur, non modò primi debitoris, sed & successorum eius usque in infinitũ. Et ideo apud Mosem eos solũ licet fœnerari, quos & licet occidere. Et verò id quod facit, non ut maleficiũ facit, quemadmodum fures & latrones, sed summi beneficij prætextu, & sub colore earũ virtutũ omnium, quas illi reuera abesse modò diximus, aded ut, cum omnium malorum lerna sit auaritia, ipsius auaritiæ deterrimũ instrumentũ sit fœnus, & proinde totius iniustitiæ caput, ut ac dolo plenum.

De probationibus.

TITVLVS XXXI.

T.  **V**PEREST de probationibus, ni fallor, ut exponas. C. A. Rem tenes. & quidem his potissimũ opus esse cum de facto queritur, quod in rebus contrahendis sæpe accidit, supra demonstratum est. & est regula generalis à natura ipsa secundum principia Logica prodita, Onus probandi incumbere ei qui ait, non qui negat. T. Quid quot modis fit probatio? C. A. Tribus. T. Cedo quibus? C. A. Per instrumenta, testes, & præsumptionem. T. De instrumentis quid ais? C. A. Ea sunt, ut tabulæ, scripturæ, colũnæ, & alia id genus, quibus fides fieri solet, dummodo authentica sint, & à calumnia aliena; nam aliis fides nõ habetur. T. De testibus autem? C. A. His, si duo aut tres sint numero, dummodo sibi, aut suis testimoniũ non dicant (nam secundum naturæ corruptæ & cautionalia principia, propter hominum malitiam iis in rebus cuiquam credere tutum non est) & congruè sine vacillatione deponat, quod sæpe ex adpectu, & motu animi eius qui rei illi præest, diiudicari debet (ut nonnumquã fieri suo loco antè traditum est) planè fides adhiberi solet, nisi si quæ sit res in qua ex causa certus testium numerus sit definitus, absque quo regula est Mosaica, In ore duorum aut trium stare omne verbum. Et alia Vlpiani, Vbi numerus testium non adiicitur, duos sufficere. T. Quid de præsumptione? C. A. Ea est, cum ex rei vel personæ qualitate, aliquid adesse vel abesse præsumimus, veluti in iuris & facti ignorantia: quæ uti regulariter non præsumitur, nisi in pueris, rusticis, feminis, & similibus, ita contrà in iis ipsis ignorantia præsumitur, nisi scientia probeatur, quod utrumq. in naturalibus & civilibus principiis fieri, supra traditum est, & suis quisque sensibus facile percipere potest. T. Verum. C. A. Atque huc quidè pertinent Rubricæ; *De probationibus & præsumptionibus. De fide instrumentorum, & amissione eorum. De testibus: De iuris & facti ignorantia.* Qui tituli & in Codice & Nouellis aliqua ex parte exstãt, ubi & *De apochis & antapochis faciendis*, quod est, cum quis chirographũ suum dans, eius exemplar sibi seruat; & *de his quæ sine scriptura fieri possunt*, cuiusmodi sunt res cõmunes, agitur. Cui accedit titulus, *Plus valere quod agitur, quàm quod simulatè concipitur.* Nam in contractibus rei veritas potiùs quàm scriptura respici debet. Pertinetq. huc etiã Nouella, *De instrumentorum cautela & fide*, & primũ de deposito & mutuo, & aliis documentis, priuatè quidè scriptis, habentibus autè testes, & de non habentibus, & de instrumentis publicè cõfectis, & de collationibus manus propriæ scripturæ, & de expositis instrumentis ab illiteratis, aut paucis literas sciẽtibus, & de non scriptis cõtractibus, & de cõtractibus usq. ad unã librã auri, & de cõtractibus qui in agris sũt, & ut in documentis & cõtractibus futuris locum habeat lex.

LIBER DECIMVS.

De iudiciis ciuilibus quæ ad personas pertinent.

TITVLVS I.

T. **A**BSOLVISTI ea iudicia, iuraque ciuilia, quæ ad res distinguendas ac communicandas pertinent: nunc age, de iis quæ personarum sunt, quid habes dicere? C.A. Hæc equidem in duobus omnino spectantur, quæ naturaliter nobis sunt insita, vt supra demonstratum est; quorum vnum est liberorum procreatio & educatio, per maris & feminae coniunctionem: alterum successio post mortem, ex voluntate nostra, vel ab intestato. T. Intellego. C.A. De vtroque autem dicendum est ordine, ac primùm quidem de priori parte, cuius duo rursus sunt membra: vnum coniunctionis maris & feminae, & eorum quæ inde sequuntur, alterum tutelæ. T. Ergo de coniunctione maris & feminae quid tractas? C.A. Equidem primùm de coniunctione ipsa dicam, siue de contrahendis nuptiis: tum de iis quæ contractis nuptiis constante matrimonio interueniunt: post de aliis quæ soluto matrimonio accidunt.

De contrahendis nuptiis.

TITVLVS II.

T. **N** contrahendis nuptiis quid spectas? C.A. Sponsalia, ritum nuptiarum, & dotem. T. *De sponsalibus* quid ais? C.A. Ea sunt mentio & re promissio futurarum nuptiarum, quibus nomen est à spondendo: nam moris fuit veteribus stipulari & spondere, sibi vxores futuras, vnde & sponsi sponsæque appellatio nata est: ac quamquam quidem hodie sufficit nudus consensus ad constituenda sponsalia (nam quæ initio apud Romanos, cum rudis esset populus, certis formulis constabant, ea præcedente tempore, vt fit, laxiora fieri cœperunt) tamen vetus adhuc nomen manet: nam mutatis legibus multas sæpe earum reliquias manere, supra latius est expositum, vt in nomine emancipationis etiam videte licet. T. Intellego. C.A. Ac solent quidem in his sponsalibus sæpe vtriusque interuenire arræ, quas perdit is per quem stat quo minus ad nuptias procedatur. Et licet indignum videatur proxenetica dari iis qui conciliatores fuere sponsaliorum, tolerantur tamen (nam hos gradus sæpe seruari antè traditum est) dummodo modus teneatur, vt docetur sub titulo Codicis, *De sponsalibus, & arris sponsalitiis, & proxenetis*. Ac quoniam quidem rectoribus provinciarum prohibitum est nuptias cum provincialibus contrahere, vt post dicitur; si quidem arras dederint, perdunt eas, vt ostendit Rubrica Codicis, *Si rector provincia, vel ad eum persinens, sponsalitiis dederit arras*. Et quidem cum hæc arræ sponsalitia quoque vocentur, differunt ab iis donationes ante nuptias, vel propter nuptias: quæ quidem licet non secutis nuptiis culpa accipientis repetuntur, si tamen per mortem dantis id fiat, manent apud accipientem, vt videre est Codice, *De donationibus ante nuptias, vel propter nuptias, & de sponsalitiis*. T. *De ritu nuptiarum*, siue (vt habet titulus Codicis, & Institutionum, Nouellarumque) *De nuptiis*, quid dicis? C.A. Nuptias dico coniunctionem maris & feminae cum consortio omnis vitæ, & diuini & humani iuris communicatione. de quarum quidem origine à Deo ipso profecta, quoniam supra traditum est, hic omittetur. Et verò ritus qui in hac re spectatur, est (nam sine exteriori cerimonia nihil publicè constare posse, antè demonstratum est) primùm vt consensus accedat ipsorum contrahentium, & eorum quorum in potestate sunt; nam nuptiæ, inquit Paulus, consistere non possunt, nisi consentiant omnes, id est, qui coeunt, quorumque in potestate sunt: deinde vt legitima sit ætas vtriusque, quæ ex iis quæ communiter accidunt (nam inde ius metimur, vt antè traditum est) in masculo sunt quatuordecim anni, quo ferè pubescunt; & in femina duodecim, quo sunt viri potentes: tum vt femina, quæ secundùm principia diuina libris Mosais prodita parere debet, in viri domum traducatur: post vt neque parentes cum liberis, & qui eo loco inter se habentur, neque fratres cum sororibus, qui, secundùm physica principia, pro eadem persona sunt, matrimonio coniungantur, quod naturalis ratio refugit; neque senatores cum libertinis, quod ciuilis, ne contra formam reipublicæ bene institutæ ordines

dines confundantur, & generosi degenerum mixtione corrumpantur. Quibus & hoc accedit, quòd in toto hoc genere non solum quod licet consideratur, sed & quod honestum est: ut sæpe fieri, antè traditum est. Et ideo, tametsi quædam non sint illicita, monet tamen lex, rectè homines facturos, si ab iis abstineant, quemadmodum de sponsa patris & filij traditum est, & in tractatu, de periculo & commodo rei venditæ laudatur venditor, qui cum posset, non effudit vinum, quod ideo admonéo, ut intelligatur, non omnes leges iubere & vetare, sed quædam etiam hortari, dehortari, suadere, dissuadere, secundum diuersos gradus, de quibus supra est expositum. T. Præclare narras. C. A. Atque huc quidem pertinet titulus Codicis, *De incestis & inutilibus nuptiis*: & Nouellarum, *De incestis & nefariis nuptiis*. nam incestæ nuptiæ sunt, quæ inter sanguine iunctos illicitè contrahuntur: inutiles, quæ ex aliis causis, quòd quidem pertinet Rubrica, *De interdicto matrimonio inter pupillam & suorem, & caratorem, vel liberos eorum*. quæ res ex cautionalibus principiis manauit, ne qua fraus subsit. Item, *Si quacumque præditus potestate, vel ad eum pertinente, ad suppositarum iurisdictioni sua aspirare tentauerit nuptias*. Quod, ne sub specie auctoritatis publicæ priuati opprimantur, vel tentare prohibitum est. Ad hæc, *Si nuptia ex rescripto petantur*, impetratis fortè per surreptionem ab Imperatore ea de re literis, quod & ipsum eandem ob causam grauissimè prohibetur. Ac quamquam mortuo marito mulier secundo nubere non prohibetur; si tamen intra tempus luctus id faciat, infamia propter honestatem publicam, cuius magnam sæpe rationem habendam esse, supra traditum est, sub titulo Codicis, *De secundis nuptiis*, notatur. Et *Si secundo nupserit mulier, cui maritus ususfructum reliquerit*, ipso facto ob reuerentiã viro tam munifico debitam eum perdit. pertinetque ad hoc idem institutum Nouella, de non eligendo secundò nubentes mulieres, & de alienatione & lucro antenuptialis donationis, & de successione eorum, & filiis suis. T. Nunc *De iure dotium* (de quo & Codicis est titulus) quid tractas? C. A. Dos est id quod in subsidium matrimonij ad communem vitam sustentandam à parte mulieris eo voto adfertur, ut perpetuò sit apud maritum, tanquam dominum, nempe in cuius potestatem mulier, & proinde etiam dos ipsius transit, quàm diu constat matrimonium: nam sine matrimonio, quod principale est, non est dos, quæ accessoria. Et quidem si dos à patre parente ve proficiscitur, profectitia dicitur; si ab extero quoquam, aduentitia. Et si qua mulier extra dotem secum adfert bona, parapherna appellantur, quorum ratio à dote planè diuersa separataque habetur. T. Intelligo. C. A. Accùm nonnullis legum conditoribus placuit indotatas esse vxores, ut non census, sed morum, & generis, & formæ ratio habeatur; Ius ciuile Romanorum sic est compositum, ut ad communes hominum mores respiciat, iisque leges quàm aptissimas accommodet. Et ideo, ut tum quidem ad legitimas nuptias masculi inuitentur, ad ciuitatem legitima prole replendam, ne deficiat, quæ ratio naturalis est & ciuilis; tum verò feminæ rei familiari tanto diligentius studeant, dum rem suam etiam conseruant, quæ est ratio œconomica: placuit non solum dotes permitti, sed & fauorabiles haberi: scribitque Paulus iuriconsultus, reipublicæ interesse, mulieres dotes saluas habere, propter quas nubere possunt. T. Probè. C. A. Cuius rei inter alia plurima primùm ea vis est, ut licet etiam post nuptias contractas de tempore dotis reddendæ pacisci liceat, id tamen ita fieri debeat, ne mulieris conditio deterior fiat: ut sub titulo, *De pactis dotalibus*, scribitur. T. Probè. C. A. Atque huc quidem spectant tituli Codicis, *De dotis promissione*, per stipulationem; & *nuda pollicitatione*, per pactum, quod eandem vim ob fauorem habere placuit ad dotem exigendam. *De rei uxoria actione in ex stipulatione actionem*, quæ diuersæ esse solent, ob causam fauoris, & ad nonnullas difficultates vitandas (ut secundum principia extraordinaria fieri solent) *transfusa*; sic ut bonæ fidei sint, & tacitam hypothecam inducant, cum similibus. Nam legislatorem igniculis ex natura arreptis, quasi paruam quandam naturam in maiore constituere, iam antè dictum est, nec non *De dote cauta non numerata*. de qua placuit, mulierem ita demum ad repetitionem dotis admitti posse, si dotem ab se reipsa datam probet. T. Intelligo. C. A. Deinde licet maritus dominus sit ipsius dotis, ut dictum est, ut tamen fundum dotalem ei neque alienare liceat, neque obligare: ne scilicet id mulieri quoquo modo sit fraudi. Nam quamquam quidem rei suæ quisque moderator est & arbiter; hoc tamen ex causa certo modo coarctari potest, ac maximè quidem cum non simpliciter & absolutè dominus est, sed ita ut aliquando possit desinere esse dominus: ut sub Rubrica, *De fundo dotali*, de quo & Codicis est titulus, videre licet, & sub Rubrica Codicis, *De pactis conuentis tam super dote, quàm super donatione ante nuptias, & paraphernis*, latius demonstratur. spectantque ad hoc argumentum Nouellæ, ut immobilia antenuptialis donationis, neque hypothecæ dentur, neque omnino alienentur à viro, nec consentiente vxore, nisi postea satisfieri possit vxori,

hæcque

hæcque etiam in dote valere. De æqualitate dotis, & propter nuptias donationis, & de argumento dotis, & propter nuptias donationis, & de privilegio dotis, quod aliis præponitur privilegiis, & ut excipiantur in hoc privilegio creditores militiæ, & de dote remeante ad patrem, & rursus pro eadem filia secundo viro, & de dotis collatione inope marito moriente. Neque virum quod ex dote est, neque mulierem ex sponsalitia largitate lucrum proprium habere, sed seruare dominium suis filiis: vel si ad secundas nuptias non veniant, vsu solo in lucro consistente, & ut repudio transigentes nuptias lucrantes, aut dotem aut ante nuptias donationem, & ipsis similiter seruari dominium filiis, vsu habente persona cogenda alere filios: si verò bona gratia soluantur nuptiæ, & videantur occasione damni detineri quædam, & hac arte perimenda quæ detinentur, & filiis seruantur. De privilegiis dotis hæreticis mulieribus non præstandis, ut sponsalitia largitas specialis sit contractus, & de diuersis capitulis.

De iis qua constante matrimonio intercedunt.


TITVLVS III.

T. **I**AM quæ constante matrimonio intercedere ferè solent, quænam sunt? C.A. Duo; quæ quidem in iuris rationem cadunt: donatio inter virum & vxorem, & diuortium siue repudium. T. De donationibus inter virum & vxorem quid ais? C.A. Moribus, inquit Vlpianus, apud nos receptum est (nam dictum est idoneo loco, multa sæpe non tam lege scripta, quàm tacita consuetudine induci, quæ post in legem transeunt, & scripto comprehenduntur) ne inter virum & vxorem donationes valeant, quod non quidem propriè ratione interna constat, quæ vel maximè dicat, ut mutua liberalitate amor coniugalis alatur ac foueatur; nam nihil magis animos conciliat quàm liberalitas: sed externa, quæ à principiis cautionalibus ducta est, ne scilicet mutuo amore inuicem spolientur coniuges, donationibus non temperantes, sed profusa erga se facilitate aut discutiantur matrimonia, si non det is qui possit; qua ratione eueniret, ut venalia essent in matrimonia. Cui accedit, quòd amor coniugalis solis animis æstimandus est, non pretio conciliandus; quo sæpe fieret, ut melior in paupertatem incideret, & deterior ditior fieret: nam boni ferè liberales, mali autem naturà sunt auari. T. Optimè. C.A. Quamquam tamen postea tam internæ rationis, quàm affectionis coniugalis ratione habita, non nihil laxatum est ex iuris rigore, auctore Antonino, cuius verba fere sunt: Si quid coniugi à coniuge datum est, fas quidem esse, eum qui donauit, pœnitere quàm diu viuat: cæterùm hæredes eius post mortem eripere forsitan aduersus voluntatem supremam eius qui donauerit, durum & auarum esse. T. Intellego. C.A. Titulus autem Codicis huc pertinens est, *De donationibus inter virum & vxorem, & à parentibus in liberos factis, & de ratihabitione*. Nam nec donationes à patre in filium, qui in potestate est, factæ, tenent; quoniam nihil suum habere potest, nisi fortè post testamento confirmentur, & ratæ habeantur, quæ res tam ipsas, quàm inter virum & vxorem factas validas efficit; quoniam rationes cur non valeant, cessant. T. Iam *De diuortijs & repudijs* quid ais? C.A. Diuortium, inquit Caius, vel à diuersitate mentium est, vel quia in diuersas partes eunt qui distrahunt matrimonium: sed non est verum, nisi quod animo perpetuam constituendi dissensionem fit, non autem quod calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, aut si frigusculum dumtaxat intercedat. Et fit quidem diuortium per repudium, hoc est, renunciationem, in qua comprobata sunt hæc verba: Tuas res tibi habeto, tuas res tibi agito. quamquam tamen inter diuortium & repudium, secundùm Paulum hoc interest, quòd repudiari etiam futurum matrimonium potest; non rectè autem sponsa diuertisse dicitur, quòd diuortium ex eo dictum est, quòd in diuersas partes eunt qui discedunt. T. Intellego. C.A. Ac constat quidem hæc dissolutio matrimonij non naturali ratione interna, quoniam matrimonium sua natura indiuiduum est, tam ratione Physica, quia sunt duo in carne vna; quàm diuina, propter sacramentum inuiolabile, vnde dicitur in Euangelio, quos Deus coniunxit, hominem non separare: sed externa, propter hominum malitiam, & duritiam ceruicis, ut Dominus ipse ait, ad maius malum vitandum. Qua etiam ratione factum est, ut propter hominum infirmitatem, initio nascentis Ecclesiæ, in multis eiusmodi quæ à perfectione Christiana alieniora sunt, cuiusmodi sunt hæc diuortia, vsuræ, concubinarus, ac similia, ab Apostolis ac Patribus fuerit dissimulatum; ne, si nimium emungerent, sanguinem elicerent: quæ tamen post, rebus confirmatis, & hominibus perfectioribus factis, ad sua vera principia fuere reuocata, ut nunc sunt. T. Præclare narras. C.A. Sed & Romanis temporibus, in quibusdam causis prohibebatur diuortium,

rium, dicente lege, vt Vlpianus refert, Diuortij-faciendi potestas libertæ quæ nupta est patrono, ne esto, quàm diu patronus eam vxorem esse volet.] Cuius quidem legis ratio in reuerentia patrono debita fundata est, ne ipso inuito, liberta ab eo diuertat. T. Bene dicis. C.A. Rubrica Codicis quæ huc pertinet, est, *De repudys, & iudicio de moribus sublato*. vbi non nisi ex iusta causa diuortium fieri posse, & eum, cuius culpa sit, certis modis alteri teneri traditur; sic vt iudicio de moribus, de quo apud Vlpianum in Institutionibus extat, & quo pro ratione grauiorum aut minus grauium morum coniunx coniugi condemnabatur, non sit opus.

De iis quæ soluto matrimonio accidunt.

TITVLVS IIII.

T. OLO de iis nunc reddas quæ soluto matrimonio accidunt. C.A. Ita faciam. & quidem vel ad dotem pertinent, & alias res, vel ad liberos, siue ventrem. T. Ad dotem quænam pertinent? C.A. Vt soluto matrimonio dos mulieri restituatur: nam hoc omnino consequens est iis quæ supra dicta sunt, idque vel ipsa agente, vel patre eius qui ipsam habet in potestate, vel à quo dos profecta est cum ipsius voluntate, quæ naturali præsumptione, & iure potestatis patriæ adesse censetur, si non contradicat. Nam non contradicere, gradum vnum voluntatis esse, supra demonstratum est, & traditur sub titulo, *Soluto matrimonio dos quemadmodum petatur*. Cuiusmodi & Codicis est titulus, nec non Nouellarum, *De restitutionibus dotalium rerum, & de ea quæ parit undecimo mense post mortem viri*. vbi & teipublicæ interesse Pomponius ait, dotes mulieribus cõseruari, cum dotatas esse feminas ad sobolem procreandam, replendamque liberis ciuitatem, maximè sit necessarium. T. Rectè. C.A. Quamquam tamen illud per titulum Codicis prohibitum est, *Ne fideiussores dotium dentur*, propter honestatem publicam, & ne qua inter eos diffidentia esse videatur, qui maximè omnium debent esse vnum. Nam si credendam mulier sese marito existimat, quare de dote fideiussor, vel alius intercessor exigitur, vt causa perfidiæ in connubio eorum generetur? T. Probè. C.A. Planè in dote restituenda primùm deducuntur expensæ, quæ dotem ipso iure minuunt, cuiusmodi sunt impensæ necessariæ, sine quibus res salua non esset, quod vel natura ipsa demonstrat. Secus autem est de expensis vtilibus, quæ rem meliorem faciunt: nam cum non intus in re ipsa, sed foris positæ sint; non minuunt dotem ipso iure, sed habet maritus eo nomine actionem, ob rem vtiliter gestam, vt iudex dispiciat quid rei sit, aut non sit. Enimverò de voluptuariis, aut expensis quæ ornatus aut voluptatis causa dumtaxat fiunt, neque actio, neque deductio competit, etiamsi voluntate mulieris sint factæ; ne scilicet facilitate eius dos minuat, quam integram seruari reipublicæ interest, vt sub Rubrica, *De impensis in res dotales factis*, demonstratur. Atque hanc quidem necessariarum, vtilium, & voluptuariarum impensarum distinctionem ab externis principiis, de quibus supra expositum est, manare, per se (nisi fallor) pater. T. Réuera dicis. C.A. Deducuntur quoque per compensationem de dote, si quæ mulier viro abstulerit, quorum nomine agere quoque soluto matrimonio potest aduersus eam, sed non turpi actione furti, in honorem matrimonij (nam harum rerum secundum publicæ honestatis principia summam rationem habendam esse antè dictum est) verum propria actione rerum amotarum, quæ & condictio est, vt res verbis mitigetut, prout titulo, *De actione rerum amotarum*, cuiusmodi & Codicis est titulus, est proditum, vbi singulare hoc iudicium vocatur. Nam singulari iure aliquando vtendum esse, supra didicimus. T. Verum. C.A. Ad hæc deducuntur etiam de dote, quæ mulier constante matrimonio percepit. Nam *Si*, vt habet titulus Codicis, *dos constante matrimonio soluta fuerit sine causa legitima*, quod legibus stare non potest, quia donationis instar obtinet, quicquid, quamdiu durat matrimonium, mulier inde percepit, indebitè percepit, & ideo ab heredibus mariti repeti potest, vel retineri, si pars dumtaxat dotis sine causa, constante matrimonio, refusa fuerit, & pars retenta. Prohibeturque per Rubricam Codicis, *Ne pro dote mulieri bona mariti addicantur*, simpliciter & absolutè, nullis rationibus initis; nam hoc tanquam confusum & incertum iustitiæ ratio non patitur: sed si maritus non idoneus decessit, mulier, secundum iuris formam, quatenus successionis modus patitur, indemnitati suæ consulere potest. Pertinetque huc Nouella, vt primæ & secundæ dotis actione instante, nempe viro ad secundas digresso nuptias, prior vxor, aut ex priori matrimonio suscepti liberi, præferantur: vtque si vxor, aut is qui dotem pro ea conscripsit, in dotem conscripta tradere noluerit, & maritus iam suscipere differat, soluto matrimonio nihilominus ab eo per ipsum conscri-

conscripta exigatur donatio ante nuptias. Et ne donationem ante nuptias præster, qui, quo minus dotem acciperet, in causa non fuit. T. Nunc de liberis siue ventre porro quid ais? C. A. Planè cum circa liberos iam natos titulus Codicis sit, *Diuortio facta apud quem liberi morari vel educari debeant*; vbi traditur, arbitrio iudicis re diligenter perspecta, id esse permittendum: nam iam supra traditum est, multa legibus mutis commodè describi non posse, sed magistratui, qui lex loquens est, esse permittenda. Quantum ad nondum natos atinet, si post diuortium mulier ex eo qui maritus fuit prænantem se dicat, denunciare id illi debet intra triginta dies post diuortium factum. Qui quidem tum vel custodes mittere debet, qui obseruent mulierem, ne falsum partum supponat, vel denunciare non esse ex se prænantem: nam si neutrum faciat, omnino agnoscere tenetur, tanquam silentio confessus suum esse: nam qui tacet, consentire videtur. Et, si non agnoscat, quoniam ad hoc, quia facti est, præcisè compelli non potest, extra ordinem ob peruicaciam coercetur, qua de re est Rubrica, *De agnoscendis & alendis liberis, vel parentibus, vel patronis, vel libertis*. vbi & de liberis secundum principia naturalia alendis agitur, & vice versa de parentibus. Nam iniquissimum meritò quis dixerit, inquit Vlpianus, patrem egere, cum filius sit in facultatibus. vt & titulo Codicis, *De alendis liberis ac parentibus*, videre licet. Quod & ipsum producit ad patronos, quoniam speciem ac similitudinem gerunt parentum. T. Rectè. C. A. Sed & si negante muliere maritus post diuortium ex se prænantem eam dicat, probatum est nouo remedio (tanquam in re noua) vt tres obstetrices cum tribus honestissimis feminis mittantur, quæ ventrem inspiciant, & si prænantem dicant, non tam cogenda quam persuadenda est mulier (nam hac ratione subinde procedendum esse, antè demonstratum est) vt perinde custodes admittat, atque si ipsa hoc desiderasset: si verò non, nulla illi apponetur custodia, vt ostendit titulus, *De inspiciendo ventre, custodiendoque partu*. vbi & generaliter de inspiciendo ventre, custodiendoque partu, secundum principia cautionalia, ne falsus partus subiciatur, sic ait Prætor: Si mulier mortuo marito prænantem se esse dicet, his, ad quos ea res pertinebit, procuratorive eorum, bis in mense denunciandum curet, vt mittant, si velint, quæ ventrem inspiciant. mittantur autem mulieres liberæ dumtaxat quinque, hæcque simul omnes inspiciant, dum ne qua earum, dum inspicit, inuita muliere ventrem tangat. Mulier in domo honestissimæ feminæ pariat, quam ego constituam. Mulier antè dies triginta quam parituram se putat, denunciet his, ad quos ea res pertinet, procuratoribusve eorum, vt mittant, si velint, qui ventrem custodiant. In quo conclauis mulier paritura erit, ibi ne plures aditus sint quam vnus. si erunt, ex vtraque parte tabulis præfigantur. ante ostium eius conclauis liberi tres, aut tres liberæ, cum binis comitibus custodiant. Quotiescunque ea mulier in id conclaue aliudve quod, siue in balneum ibit, custodes, si velint, id antè prospiciant, & eos qui introierint, excutiant. Custodes qui ante conclaue positi erunt, si volunt, omnes qui conclaue aut domum introierint, excutiant. Mulier cum parturire incipiet, his, ad quos ea res pertinet, procuratoribusve eorum, denunciet, vt mittat quibus præsentibus pariat. Mittantur mulieres liberæ dumtaxat quinque, ita vt præter obstetrices duas, in eo conclauis, ne plures mulieres liberæ sint quam decem, ancillæ quam sex. hæc quæ intus futuræ erunt, excutiantur omnes in eò conclauis, ne qua prægnans sit. Tria lumina, ne minus, ibi sint: scilicet quia tenebræ ad subiiciendū aptiores sunt. Quod natum erit, his, ad quos ea res pertinet, procuratoribusve eorum, si inspicere volent, ostendatur. Apud eum educetur, apud quem parens iusserit: si autem nihil parens iusserit, aut is, apud quem voluerit educari, curam non recipiet, apud quem educetur, causa cognita constitutam. Is apud quem educabitur quod natum erit, quoad trium mensium sit, bis in mense: ex eo tempore, quoad sex mensium sit, semel in mense: à sex mensibus, quoad anniculus fiat, alternis mensibus: ab anniculo, quoad fari possit, semel in sex mensibus, vbi volet, ostendat. Si cui ventrem inspicere custodiriue, adesse partui licitum non erit, factumve quid erit, quo minus ea ita fiant, vti supra comprehensum est, ei quod natum erit, possessionem causa cognita non dabo. Siue quod natum erit, vt supra cautum est, inspicere non licuerit, quas vtique actiones me daturum polliceor his quibus ex edicto meo bonorum possessio data sit, eas, si mihi iusta causa videbitur esse, ei non dabo.] T. Optimè profectò, & cautissimè. C. A. Quod quidem ideo sic faciendum fuit, partim ne falsus partus subiciatur, vt dictum est, partim quia haud parua res est, mulierem prænantem in possessionem bonorum mariti defuncti ventris nomine mitti, quod in fauorem partus sic introductum fuit, quoniam in multis is qui in ytero est, pro iam nato habetur. T. Intellego. C. A. Et ideo si mulier possessionem quam ventris nomine accepit, dolo malo in alium transulisse dicatur, tum quædam actio in eam competit, quatenus interest eius qui experitur, ne scilicet, quod in fauorem partus ei tributum est, alij prædæ occasionem tribuat, tum

autem is qui per dolum venit in possessionem, cogendus est à Prætorè ab ea decedere, non tam quidem Prætorìa potestate manu ministrorum, qua re subinde opus esse antè traditum est; quàm remittendo eum per interdictum ad ius ordinarium, quod melius & ciuilius: nam non semper, quod licet, honestum est, vt suo loco audiuimus; & traditur sub rubrica, *Si ventris nomine muliere in possessionem missa, eadem possessio dolo malo ad alium translata esse dicatur.* T. Teneo. C.A. Planè, *Si mulier calumnia causa ventris nomine in possessione esse dicetur*, ob id quòd ex defuncto marito prægnantem se diceret, cum non esset, in id quòd interest ei, ad quem ea res pertinet, tenebitur; sic vt quòd alimentorum nomine percepit, refundat, nisi fortè deferente hærede iurauerit: tum enim ob reuerentiam iuramenti, & ne quisquam tam impius putetur, vt peierare audeat (nam reipublicæ interest, non putare quemquam esse tam impium) de calumnia non queritur. T. Intelligo. C.A. Sed hæc quidem cum circa legitimas nuptias ac matresfamilias ita sese habeant; *De concubinis* (de quibus & Codicis rubrica) certa quoque lex constituta est, vt solæ illæ in concubinato haberi possint sine metu criminis, in quas stuprum non committitur. non quidem vt concubinatus pro re bona & legitima habeatur, sed propter hominum infirmitatem, extra pœnas legis, à quo nomen accepit, habeatur. nam quemadmodum iubendi & vetandi, ita & permittendi, tolerandi, conuiuendi, dissimulandi plures esse gradus, supra didicimus. adèd nihil est in omni iure ciuili, quòd non à primis iuris principiis dependeat, indeque pro cuiusque rei natura ac qualitate deriuetur. T. Præclare naras. C.A. Et quidem qui ex his concubinis nascuntur, naturales liberi vocantur; tum quidem ad differentiam legitimorum, qui ex iusto matrimonio nascuntur; tum autem ad differentiam illegitimorum qui ex iniusto & prohibito concubitu, contra naturam gignuntur; tum verò quia hoc genus propagationis, à iure illo naturali descendit, quòd cum brutis illis animantibus nobis est commune, vt ostendit latius titulus Codicis, *De naturalibus liberis, & matribus eorum, & ex quibus causis iusti efficiantur.* Et quidem cum qui ex complexu illicito nati sunt, vix ali permittantur: his vltra hoc etiam testamento aliquid relinquere permittitur, nec non & matribus eorum; suntque legitimi per subsequens matrimonium, oblationem curiæ, & aliis quibusdam modis. de quibus est etiam Nouella, *Quibus modis naturales efficiantur legitimi, & sui, supra illos modos qui in superioribus constitutionibus continentur, & de indotatis nuptiis.* Item quibus modis naturales efficiuntur sui, & de eorum ex testamento, siue ab intestato, successione.

De tutela & curatione.

TITVLVS V.

T. **D**ICTVM abste est de coniunctione maris & feminae: ordo postulat, vt de tutela & cura eorum qui ex illis prognati sunt, deinceps exponas. C.A. Ita faciam. Et quidem cum tutela sit pupillorum, qui parentibus orbi, ad annum pubertatis nondum peruenerunt; curatio autem adolescentium ad annum ætatis vicesimum quintum, vt sub titulis Institutionum, *De tutelis & curatoribus*, traditur, vtraque sanctissima, & sacris literis laudata res est, & tam publicè quàm priuatim vtilis, vt tum quidem pueri, in quibus seminarium ciuitatis est, rectè educantur; tum verò hi qui parentibus orbi sunt, ab aliis tamquam parentibus secundum principia naturalia regantur ac defendantur. Nos ea de re dicemus, primè quid tutela sit, & quòdplex; deinde quòmodo administraretur, amittatur, & eo nomine agatur.

Quid tutela, & quòdplex sit.

TITVLVS VI.


T. **Q**UID ergo est tutela? C.A. Tutela, vt sub Rubrica, *De tutelis* (quæ & in Institutionibus existat) traditur, est vis ac potestas in capite libero, ad tuendum eum qui per ætatem se defendere nequit, iure ciuili data ac permiffa. Quæ quidem clausula vltima ideo additur, vt intelligatur, multa esse quæ non modò iure gentium, sed & naturali inuenta sunt, & tamen iuro ciuili permiffa, certaque ratione ac forma descripta dicuntur, nimirum vt intelligatur, sepe fieri, vt circa vnã & eandem rem diuersa iura concurrant, vt supra audiuimus. Quæ ratione & iustas nuptias contrahere dicuntur, qui secundum præcepta legum coeunt, & obligatio iuris vinculum, quo necessitate adstringimur, alicuius rei soluendæ secundum nostræ ciuitatis iura. Qui autem vim illam ac potestatem quam dicò habent, tutores sunt; exque

exque re, vt habet Paulus, nomen habent: nam appellantur tutores, quasi tutores atque defensores, sicut æditi dicuntur, qui ædes tuentur. T. Quomplex autem est tutela? C. A. Triplex: testamentaria, legitima, datiuæ. T. *De testamentaria tutela, de qua & Codicis Rubrica est, quid ais?* C. A. Ea est quæ ex testamento proficiscitur: nam lege duodecim tabularum permissum est patri, liberis quos in potestate habet, testamento tutores dare (dummodo eos det, qui, vt habet titulus Institutionum, testamento tutores dari possunt) nam is maximè & velle & posse iis de optimis tutoribus prospicere præsumitur: & ideo nec satisfare eiusmodi tutores tenentur, vt alij, quod ex cautionalibus principiis est introductum, habeturque paterfamilias quasi minor quidam magistratus, respectu eorum quos suæ potestati subditos habet. T. Rectè. C. A. Secus autem est, si sui iuris sint liberi; in quos nullum habet imperium pater: & ideo non potest iis ipso iure testamento tutores dare, sed datos mox confirmat Prætor, aut Præses, vel Consul, vt quod priuatim bene fecisse pater præsumitur, auctoritatem publicam per magistratum adipiscatur, & quod legè deest, per magistratum suppleatur, vt sæpe necesse esse, supra demonstratum est: idque etiam sine inquisitione, remittendo satisfactionem quæ ipso iure debetur, quoniam idonei electi videntur, de quo gradu quoque supra dictum est. T. Probè. C. A. Idem etiam obseruatur, si curatores fortè pater testamento liberis adultis dederit: nam licet quidem ipso iure non teneat datio (quoniam tamen in republica aliquod omnino debeat esse ius domesticum, cuiusmodi est ius patriæ potestatis; nam ex singulis domibus ciuitates iunguntur, & est cuiusque familiæ quoddam quasi paruum regnum; id tamen ad bona vsque aduultorum, qui puberes facti in suam tutelam venerunt, extendere non placuit) confirmatur tamen à Præto eodem modo, quo de tutore diximus, vnde, *De confirmando tutore vel curatore*, compositus est titulus, qui & in Codice exstat. Nam traditum est superius, quædam esse quæ solis legibus administrari non possunt, sed magistratum auxilio indigent: pertinentque vel maximè ad politicam disciplinam, vt hi gradus diligenter notentur & obseruentur. T. *De legitimis tutoribus*, siue, vt habet Rubrica Codicis, *De legitima tutela*, quid dicis? C. A. Legitima tutela est, quæ deficientibus testamentariis, lege duodecim tabularum, defertur proximis agnatis, qui capite non minuti, ad hæreditatem legitimam pupilli, si fortè moriatur, admitti possunt: scilicet vt cessante prouisione hominis, succedat prouisio legis; & qui sperant successionem, iidem & tueantur bona, ne dilapidentur; & vbi successionis est emolumentum, ibidem, secundum principia physica, sit & onus tutelæ; vt videre licet sub titulis Institutionum, *De legitima agnatorum tutela*, & *De capitis diminutione*. Nam vt captandæ hæreditatis causa quæ fraus ab iis speretur erga personam pupilli, non est iure præsumendum: nam reipublicæ interest, ne quis tam putetur esse sceleratus. T. Intellego. C. A. Ac quamquam quidem lex duodecim tabularum non faciat mentionem tutelæ patronorum, & ipsa tamen ex ea deducitur per interpretationem, vt sæpe fieri antè dictum est. Nam cum hæc tutela propter spem successionis imponatur, & certum sit, quemadmodum agnati pupillis, ita & patronos libertis succedere: sequitur per consequentiam, de qua antè est expositum, vt eodem modo, non quidem ex verbis, sed ex sententia legis tutelæ onus illi sentiant, prout circa parentum, & fiduciarum tutelam quoque accidit, vt sub titulis Institutionum, *De legitima patronorum tutela*, *De legitima parentum tutela*, & *De fiduciaria tutela*, traditur. Ac tamen quidem in hoc genere tutelæ satisfactio locum habeat, nam hoc ad cautionem rerum pupillarum inductum est; ex causa tamen, & habita ratione personæ, remitti potest, quod relinquitur prudentiæ iudicis. Nam traditum est suo loco, cum non omnia legibus describi possint, multa magistratibus & iudicibus, tanquam secundis quibusdam legislatoribus esse permittenda. T. Quæ est tutela datiuæ? C. A. Quæ deficientibus testamentariis, & legitimis tutoribus, à magistratu vrbico ac prouinciali, nec non municipali (nam ius dandi tutores, inquit Vlpianus, datum est omnibus magistratibus municipalibus) decernitur, ne sine tutoribus idoneis pupilli relinquantur; & deficiente lege muta, succedat lex loquens; vt videre est sub Rubrica, *De tutoribus vel curatoribus datis ab his qui ius dandi habent: & qui, & in quibus causis specialiter dari possunt*. Cum qua congruunt Rubricæ Codicis, *De tutoribus vel curatoribus illustrium vel clarissimarum personarum*: quos constat præfectum vrbi, adhibitis decemviris è numero senatus amplissimi, & Præto clarissimo viro, qui tutelaribus cognitionibus præest, dare. *Qui dare tutores vel curatores, & qui dari possunt, vel non possunt*, nempe minores vigintiquinque annis, qui ipsi plenum animi iudicium non habent; debitorum pupilli, ne quam fraudem illi faciant, & similes. *Quando mulier tutela officio fungatur*, nimirum cum mater, vel auia liberorum, vel nepotum sunt tutrices, quod ratione singulari est indultum; nam alioqui tutelam administrare, virile munus est, & ultra sexum femineæ infirmitatis

tales officium est. *In quibus casibus tutorem curatorem habenti, tutor vel curator dari potest.* cum, videlicet abest tutor vel curator, cum tam late diffusum est pupilli vel adolescentis patrimonium, ut unus non sufficiat, cum tutor vel curator litem vult instituere contra minorem, quo casu alius ei tutor vel curator in litem datur, ut habet titulus, *De in litem dando tutore vel curatore.* cum aliis de genere eodem. T. Teneo quid dicas. C.A. Atque ad hos quidem tutores petendos tenentur mater & liberti pupilli, propter summam necessitatem & coniunctionem. Inuitantur autem & admittuntur, quamquam tanquam longius positi non cogantur (nam hos rerum gradus esse, suis locis ostendimus) cognati, affines, amici patris, nutricij, alumni, & similes, ut habet titulus, *Qui petant tutores, & ubi petantur;* nempe apud magistratus illius civitatis, unde per conditionem patris pupilli originem ducunt, vel ubi eorum sunt facultates. de utroque tituli Codicis sunt, *Qui petant tutores vel curatores, & ubi petantur tutores vel curatores.* pertinetque ad hunc tractatum titulus Institutionum, De Artiliano tutore, & de eo qui ex lege Julia & Titia dabatur: nec non Nouellæ, Ut qui se res minorum obligatas habere perhibent, aut eis obligati sunt, ad eorum gubernationem, & tutelam penitus non accedant, & ut curatores nullo modo suscipiant cessiones aduersus eos quorum curam gerunt, gesseruntve. Et ut hæc generaliter in omni curatione valeant, in quibus casibus leges curatores dari præcipiunt. Item de administratione pecuniarum illis competentium, & quando eas deponi oporteat, aut redditus ex iis comparari: & item Nouella, Ut sine prohibitione ulloque impedimento matres debitrices & creditrices tutelam gerant minorum, neque iusiurandum præstent, quod non venient ad secunda vota.

De administratione tutorum vel curatorum.

TITVLVS VII.

T.  **V**NC de administratione tutorum & curatorum quid tractas? C.A. Primum ex quo tutor scit tutorem se datum, nisi legitimam excusationem adferat, mox intra tempus legitimum ad eam gerendam accedere debet; & si cessat, suo periculo cessat. T. Audio. C.A. In ipsa autem administratione eandem diligentiam præstabit, quam paterfamilias rebus suis ex bona fide præstare debet, ita ut non ad suum modum (si forte negligentior est) diligens sit, sed ad modum boni patrisfamilias: nam ferè maiorem operam alienis rebus, quas suscipimus gerendas, & maxime quidem pupillaribus præstare debemus, quam nostris. T. Intellego. C.A. Et ideo, secundum principia æconomica, quibus hæc res potissimum dirigitur, & inventarium, siue repertorium bonorum facere debet, & debitores pupilli quam diligentissime conuenire, & debitum ab iis exigere, pupillum ipsum quam parcissime, sic tamen ut dignitatis & facultatum ratio habeatur, educare, bona probe administrare, & si quid de rebitu annuo superat, ad scenus, vel in emptionem idoneorum prædiorum collocare, & si qua sunt his similia. T. Rectè. C.A. Porro si plures sint tutores testamento dati, primum videndum est quem gerere testator voluerit: id si non liquet, ipsi inter se conueniant: si nec id quidem, Prætor statuet; & si res ita postulabit, tutelam diuidet: ita ut suam quisque partem administret, eoque nomine (periculo tamen omnium, ut res tanto diligentius geratur, minimeque negligatur) conueniatur & agat, ut docet Rubrica, *De administratione & periculo tutorum & curatorum, qui gesserunt vel non, & de agentibus vel conuenientibus uno vel pluribus.* cum quo conueniunt tituli Codicis, *De administratione tutorum vel curatorum, & pecunia pupillari seruanda vel deponenda,* prout maxime videbitur conuenire, *De periculo tutorum & curatorum,* quos de fortuito casu non teneri utique constat. *Si ex pluribus tutoribus vel curatoribus, omnes vel unus agere pro minore, vel conueniri possint.* In qua re traditur, reliquis causam deferentibus, vnum rectè posse officium facere. *Ne tutor vel curator vestigalia conducatur:* ne, dum res pupilli vel adolescentis præferri debent, silcus damnum patiat. *De actore à tutore seu curatore,* decreto Prætoris dando, non autem procuratore auctoritate priuata, si forte pater filij emancipati tutor vel curator factus, res eius maternas absens per alium administrare velit, quod ob maiorem cautionem ita placuit. T. Probè. C.A. Ad hæc ea vis tutelæ est, ut si quid à pupillis contrahatur (loquor autem de iis qui dari possunt, nam infantes nullum omnino negotium gerunt) nullam vim habeat, nisi auctoritas tutoris in ipso actu, tanquam pars eius, intercedat. qua de re est Rubrica, *De auctoritate & consensu tutorum & curatorum.* cum qua congruit ex parte titulus Institutionum, *De auctoritate tutorum.* T. Rectè. C.A. Et in contractibus adolescentum tametsi auctoritas curatorum in negotio ipso non requiratur, ut

tur, vt ipso iure constet; quo tamen firmitus sit quod agitur, consensus eorum necessarius habetur, ita vt auctoritas tutorum ad substantiam rei, consensus autem curatorum ad firmitatem eius referatur. quod & titulo Codicis, *De auctoritate præstanda*, comprobatur. T. Pulchrè. C.A. Actotius quidem huius administrationis is est effectus, vt si quas pecunias pupillares tutor mutuo dederit, vel in emptionem prædiorum contulerit, etiam nulla facta pupilli mentione, tamen pupillus eo nomine vtilem habeat actionem, quæ cum directa eiusdem sit effectus: nam quicquid tutor circa pupillarem pecuniam agit, pupilli nomine agere intelligitur, etiam si nihil exprimat. Et contra si tutor infantem defendendo condemnetur, succurritur ei, vt non in eum, sed in pupillum iudicati actio detur: & si coheres pupilli conuentus de fidei commissio in solidum cavit, danda est in pupillum utilis actio. quibus de rebus tractatur sub Rubrica, *Quando ex facto tutoris vel curatoris minores agere vel conueniri possunt*. De qua re & Codicis est titulus, vbi minoris nomine & pupillus & adolescens intelligitur.

De amittenda tutela vel curatione.

TITVLVS VIII.

T. **Q**UID autem? Tutela & curatio quibusnam modis amittuntur? C.A. Præterquam quod morte tutoris & curatoris, & legitima ætate pupilli & adolescentis, aliisque modis tutela & curatio finiuntur, vt docet titulus Codicis, *Quando tutores vel curatores esse desinant*; & Institutionum, *Quibus modis tutela finitur*, nam tutela duodecimo anno pupillæ, quartodecimo pupilli; curatio vicesimo quinto adolescentis finitur, quamquam ad damnum omne euitandum placuit, *Vt causa post pubertatem adsit tutor*, ad pupillum in iudicio defendendum, donec administrationem ad curatores transtulerit: tum duobus ferè modis amittuntur, nempe si aut suspectus sit tutor vel curator, aut excusationem legitimam habeat. T. *De suspectis tutoribus & curatoribus*, de quibus & Institutionum ac Codicis titulus est, quid ais? C.A. Hi sunt qui moribus tales sunt, vt suspecti habeantur: veluti si ad alimenta pupillo præstanda copiam sui non faciant, si dolo abstinent pupillum hæreditate, si pecuniam pupillarem ad vtilitatem eius non collocant, & si qua sunt his similia. Quæ quidem satisfactione non delectur, quoniam satisfactio propositum tutoris maleuolum non mutat, sed diutiùs grassandi in re familiari facultatem præbet, præstatq; pupillarem rem saluam esse, quàm tabulas cautionis rem saluam fore habere. Planè tutor quamuis pauper est, fidelis tamen & diligens, vt suspectus non est remouendus: quoniam bona externa quæ in potestate hominis non sunt, cum iis quæ in animo & potestate hominis consistunt, secundum principia moralia nihil habent commune. Secus autem est, si cum possit, non satisfat tutor vel curator: qua re suspectum se facit, & vt talem ipsum remoueri, docet titulus Codicis, *De tutore vel curatore qui satis non dedit*. T. *De excusationibus* autem? C.A. Enimvero cum aliæ ex iis, prout & sub Rubrica Institutionum, *De excusationibus tutorum & curatorum*, videre licet, temporales sint, vt minor ætas, furor; aliæ perpetuæ, vt mutum, surdum esse: hæ omnes sic diuiduntur, vt vel ex persona excusantis ducantur, quæ vel animum spectant, vel corpus, vel fortunæ bona, tam ad rem familiarem quàm ad rem publicam pertinentia; vel ex persona eius cuius tutela vel cura gerenda est. T. Quænam sunt excusationes ex persona gerentis, quæ ad animum pertinent? C.A. Si furiosus, si mente captus est; si rerum agendarum imperitus, si literas, hoc est, legere & scribere nesciat. T. Quæ ad corpus? C.A. Si minor viginti quinque annis, si maior septuaginta, si mutus, surdus, cæcus, si fontico morbo laborans, sic vt rebus superesse non possit. T. Quæ ad fortunæ bona, & rem familiarem? C.A. Si Romæ tres liberos habeat, vel quatuor in Italia, vel quinque in prouinciis: si tam pauper & egenus, vt vita illi opera sit, nullisque aliis rebus vacare possit. T. Quæ ad rem publicam? C.A. Si procurator fisci est, si veteranus miles, si absens reipublicæ causa, si magistratum gerit, si alia tria habeat onera tutelæ non affectatæ, si miles armatæ militiæ est, si Grammaticam, Rhetoricam, Medicinam Romæ vel in prouincia profiteatur, & intra statutum numerum sit? T. Quæ sunt excusationes, quæ ex persona pupilli vel adolescentis ducuntur? C.A. Vt si litem cum pupillo de omnibus fortunis suis, vel maiore parte earum, habeat; si inimicitias capitales cum patre eius gesserit, propter litem capitalem, alteri ab altero intentatam, & si qua sunt alia de genere eodem. Quæ omnia intra quadraginta dies à tempore scientiæ, veris non falsis allegationibus proposita, iustam causam excusationis, secundum principia moralia & physica præbent, vt ostendunt tituli Codicis, *Si tutor vel curator falsis excusationibus excusatus sit*,

quod non prodest. *Si tutor vel curator reipublica causa aberit. De excusationibus veteranorum. Qui numero liberorum se excusant. Qui morbo. Qui astate. Qui numero tutelarum.* De quibus quidem omnibus non simpliciter statuitur, ut ipso iure à tutela vel curatione liberum aliquem faciant, sed cum interuentu magistratus, quoniam causæ cognitionem desiderant: vbi cum lex muta non sufficiat, simul & loquente est opus, vti sæpe accidere, suprâ latius est declaratum.

De actionibus qua causa tutela competunt.

TITVLVS IX.


T. **R**ELIQUVM est, de actionibus quæ causa tutelæ competunt, vt videamus. C.A. Quæ in hac re spectantur, tria sunt. T. Cedo quæ? C.A. Reputationes, actiones, & res pupillares. T. Reputationes quas vocas? C.A. Quas tutor reddendis rationibus facit, de iis quæ in alimenta & disciplinas pupilli impendit, dummodo moderata sint pro modo facultatum, sic vt semper aliquid supersit, vt docet titulus, *Vbi pupillus educari vel morari debeat, & de alimentis ei præstandis.* Nam solet, inquit Vlpianus, Prætor frequentissimè adiri, vt constituat vbi filij vel alantur, vel morentur, non tantum in posthumis, verum omnino in pueris: & solet ex persona, ex tempore, & ex conditione statuere (nam quanta vis circumstantiarum sit, suprâ audiuius) vbi potius alendus sit, & nonnumquam à voluntate patris recedit Prætor. Porro ius alimentorum decernendorum pupillis, Prætori quoque competit, vt ipse moderetur, quam summam tutores vel curatores ad alimenta pupillis vel adolescentibus præstare debeant, secundum modum patrimonij: & ni faciant, per Præsidentem provincie ei rei prospicitur; vt sub titulis Codicis, *Vbi pupilli educari debeant, & de alimentis pupillo præstandis*, cauetur. T. De actionibus autem? C.A. Hæ quidem vel inter tutorem & pupillum sunt, vel cum aliis. T. Quænam sunt inter pupillum & tutorem? C.A. Primum directa actio tutelæ, qua qui pupillus fuit, finita tutela (non antè) directò contra tutorem de administratione ipsius experitur: nam in omnibus quæ fecit tutor (inquit Vlpianus) cum facere non deberet, item in his quæ non fecit (nam, secundum principia ethica, & omitendo & committendo peccatur) rationem reddit hoc iudicio, præstando dolum & culpam (de quorum origine suprâ quoque dictum est) & quantam in suis rebus diligentiam: vnde fit, vt officio eius incumbat, etiam rationes actus sui conficere, & pupillo reddere: & si non fecit, aut si factas non exhibet, hoc nomine iudicio tutelæ in simplum tenebitur, quod & *Arbitriam tutela* in Codice vocatur: vt, quoad eius fieri potest, amicè inter tutorem & pupillum agatur. Sin autem dolo ex rebus pupilli aliquid subtraxerit, actione de rationibus distrahendis in duplum conueniri potest, non solum si legitimus tutor fuit, sed & alius qui iure tutor est & gerit tutelam, vt demonstrat Rubrica, *De tutela & rationibus distrahendis, & vtili curationis causa actione*, qua adolescens contra curatorem experitur, ad exemplum & imitationem directæ actionis tutelæ. T. Rectè. C.A. Atque huc quidem pertinent tituli Codicis, *Si mater indemnitatem promissit.* vbi traditur, si tutor matri indemnitatem promittenti administrationem commisit, ipsum nihilominus teneri. *Si contra matris voluntatem*, nempe vltimam, *tutor datus sit*, placuit in fauorem ipsius, & quia præsumitur tum voluisse prospicere filio, siue damno existimationis à tutela remouendum. *De diuidenda tutela* inter tutores, ad bona administranda: & *pro qua parte quisque tutorum conueniatur.* primo nempe loco, pro qua quisque gessit: & si soluendo non est, itur ad reliquos contutores; nam per diuisionem administrationis inter eos factam, mutuum periculum vtique minimè finitur. nam & *Si tutor vel curator non gesserit*, cum tamen debuerit, æquè tenetur: & si inuentarium cæteraque instrumenta non profert, iuratur, propter odium, aduersum eum in litem, ex affectione quanti interest id fieri; vt ostendit titulus, *De in litem iurando.* & si quas pecunias in vsus suos conuertit, legitimas vsuras præstare eum debere tradit Rubrica, *De vsuris pupillaribus.* T. Optimè. C.A. Deinde est hîc actio contraria à parte tutoris; qua si quid in rem pupilli tempore tutelæ gerendæ impendit, repetit: nam tametsi quidem regulariter pupillus sine tutoris auctoritate obligari non potest, ac minus quidem in rem ipsius tutoris; in hac tamen realiter receptum est, quo scilicet provocentur tutores, vt promptius de suo aliquid pro pupillo impendant. & quidem vti ad similitudinem pupillorum adolescentibus vtilis actio competit contra curatores, ita & curatoribus vtilis actio competit contra adolescentes, quia vtraque similitudinem habet actionis tutelæ; vt sub titulo, *De contraria tutela, & vtili actione*, siue, vt est in Codice, *De contrario iudicio tutela*, videre licet. T. Iam quænam autem sunt quæ aduersus alios competunt

petunt actiones? C. A. Enimverò si quis non verus tutor aut curator, sed pro tutore vel curatore negocia gessit, cum eo non minus atque ipsis agi potest, quemadmodum & ipsi agunt cum pupillo. quod quidem necessariò à Prætore propositum esse, Vlpianus ait. Nam quia plerumque incertum est, vtrum quis tutor, an verò quasi tutor pro tutore administraverit tutelam, idcirco in vtrumque actionem scripsit, vt, siue tutor sit, siue non sit qui gessit, actione tamen teneretur. Solent enim magni errores intercedere, vt discerni facile non possit, vtrum quis tutor fuerit, & sic gesserit, an verò non fuerit, pro tutore tamen munere functus sit. Pro tutore autem negocia gerit, qui munere tutoris fungitur, in re imuberis, siue se putet tutorem, siue se sciat non esse, fingit tamen esse; vt demonstrat titulus, *De eo qui pro tutore, pròve curatore negocia gessit.* de qua re & Codicis est titulus. T. Audio. C. A. Sed & si falsus tutor auctor dolo malo factus est, in rebus pupilli, datur contrahenti aduersum eum iudicium, ne scilicet quis decipiatur, dum falsus tutor adhibetur, quod non est ferendum. vnde Prætor sub Rubrica, *Quod falso tutore auctore gestum esse dicitur.* In eum qui cum tutor non esset, dolo malo auctor factus esse dicitur, iudicium dabo, vt, quanti ea res erit, in tantam pecuniam condemnetur.] T. Intellego. C. A. Quin si id quod tutores aut curatores debent, ab ipsis, vel hæredibus eorum seruari non potest (nam quamuis hæres tutoris, tutor non est; ea tamen quæ per defunctum inchoata sunt, per hæredem, si legitimæ ætatis, & masculus sit, explicari debent) tenentur eo nomine fideiussores eorum & nominatores, quotum muneri incumbit, quam maximè idoneos suo periculo nominare; vt docet Rubrica, *De fideiussoribus, & nominatoribus, & hæredibus tutorum & curatorum.* pertinetque eodem titulus Institutionum, De satisfactione tutorum & curatorum. T. Teneo. C. A. Et si nec hi sufficiant, itur tandem per actionem subsidariam ad ipsos magistratus municipales, quibus hoc nominatim titulo, *De magistratibus conueniendis*, imponitur oneris, vt de idoneitate tutorum & fideiussorum dispiciant, & satisfactiones, quas oportet, exigant, cum similibus. Adeò nihil omittit legillator, vt res pupilli sit salua. non tenentur autem magistratus maiores, quoniam ferè non per se hæc administrant, sed per inferiorum ordinum magistratus. pertinentque huc tituli Codicis, *De hæredibus tutorum vel curatorum. De fideiussoribus tutorum vel curatorum, & de magistratibus conueniendis.* T. Iam de rebus pupillorum, & adolescentum qui sub tutela vel cura sunt, quid habes dicere? C. A. Certè oratione Seueri Imperatoris grauissimè prohibetur, ne prædia eorum rustica vel suburbana distrahantur, vel pignori supponantur, nisi vel parentes vltima voluntate hoc cauerint, quibus maximè hac in re fidendum est; vel æs alienum vrgeat, cui ob necessitatem (quæ legem non habent) seruiendum est, idque intercedente decreto Prætoris, tanquam summi tutoris aut curatoris, ne quid temere fiat. Extra has causas non placuit admittere vllam prædiorum alienationem, quantumcumque utilis videatur, cum vt plurimum nullæ sint certiores diuitiæ quàm quæ fundis sunt fundatæ; vt videre licet sub Rubrica, *De rebus eorum qui sub tutela vel cura sunt, sine decreto non alienandis vel supponendis.* vbi verba Seueri Imperatoris ad senatum sunt hæc: Præterea, patres conscripti, interdicam tutoribus & curatoribus, ne prædia rustica, vel suburbana distrahant, nisi vt id fieret, parentes testamento vel codicillis cauerint. Quòd si fortè æs alienum tantum erit, vt ex rebus cæteris non possit exsolui, tunc Prætor vrbæ, vir clarissimus, adeatur, qui pro sua religione æstimet quæ possint alienari, obligarive debeant, manente pupillo actione, si postea potuerit probare obreptum esse Prætori. Si communis res erit, & socius ad diuisionem prouocet, aut si creditor, qui pignori agrum à parente pupilli acceperit, ius exsequetur, nihil nouandum censeo. Qui autem huc pertinent tituli Codicis, sunt, *De prædijs, & alijs rebus minorum sine decreto non alienandis vel obligandis. Quando decreto opus non est.* nempe cum pater testamento ita cauit, vt supra dictum est; aut princeps specialiter id concessit: nam ad instar præsidialis decreti concessio principalis accedit, cum vestes detritæ & animalia superuacua venduntur. *Si quis ignorans rem minoris esse, sine decreto comparauerit*, vt propter bonam fidem, & iustum titulum habeat præscribendi facultatem. *Si maior factus alienationem factam sine decreto ratam habuerit*: placuit rati habitationem, si quidem læsione & fraude careat, valere, idque siue expressè id fiat, siue tacitè, per quinquennale, post annum vicesimum quintum ætatis, taciturnitatem, ne res semper in incerto maneat. T. Probè dicis. C. A. Atque hæc quidem cum circa tutores & curatores pupillorum & adolescentum ita sese habeant; sciendum est, & aliis nonnumquam extra illos causa cognita curatores dari, ac maximè quidem iis qui in eandem causam cum illis incidunt, cuiusmodi sunt furiosi, qui vitio rationis & intelligentiæ laborant; & prodigi, qui vitio morum, dum finem expendendi non facientes, furiosum rerum suarum exitum faciunt. T. Rectè. C. A. Ac cum istud de prodigis primùm moribus esset introdu-

atum, pòst, vt sæpe fieri suo loco dictum est, in legem abiit. Et si fortè pater filio furioso aut prodigo, testamento curatorem dederit, non quidem eum confirmat prætor, vt de curatore minoris suprà dictum est; sed quod vno gradu longiùs abest (nam hæc diligenter in republica notanda sunt) dabit eundem Prætor curatorem, sequutus voluntatem patris, vt latius proditum est sub Rubrica, *De curatoribus furiosi, & alijs extra minores datis*. cum quo congruunt tituli Codicis, *De curatore furiosi vel prodigi*: pertinetque ad hunc tractatum Nouella, Vt matres etiam tutelæ rationibus obnoxie sint.


De successione ex testamento, & alijs ultimis voluntatibus.

TITVLVS X.

T.  PLANATA ea parte iudiciorum ciuiliū ad personas pertinentium, quæ de liberorum procreatione educationeque tractat, sequitur nunc altera, de successione, quam non minùs quàm superiorem à natura insitam esse dicebas. C.A. Ita res est: nam ipsa procreatio non aliò pertinet, quàm vt in deficientis locum aliud caput substituatur: quod quidem non aliud est quàm successio. Et verò quòd non tam morientium voluntate quàm lege rem hanc gubernari debere quis dixerit, certè cum vnaquæque ciuitas ex singulis domibus iungatur, & in quaque domo necessarium sit vt vnus præsit, qui pater sit familias, quamquam naturæ satis consentaneum est, eum qui ætate cæteras antecedit, familiam ducere debere: tamen, vt sunt res humanæ incertæ, sæpe accidit, vt minùs ille sit idoneus, magis autem qui ætate minor est. Cui accedit quòd sine liberis sæpe quis moritur, & qui genere proximus est, non tam ad familiam ducendam sit aptus quàm quis alius. Quare, vt huic rei remedium adhibeatur, vilum est plerisque legum conditoribus, in omni antiquitate & memoria, iam inde à Patriarcharum temporibus, nemini magis deberi, vt de successore dispiat, neque quemquam id rectiùs posse facere, quàm si cuiusque voluntati, quæ tamen lege gubernetur, & certo modo dirigatur, hoc sit commissum. T. Probè narras. C.A. Quæ quidem res licet in prima natura erat incognita, quoniã omnia erant communia; ex principijs tamen primæ naturæ tunc orta est, cum personarum & rerum distinctiones esse cœperunt. T. Rectè. C.A. Nec ad rem pertinet, quòd de rebus suis disponere quis videtur, in id tempus, quo earum non est futurus dominus: quoniam præterquam quòd hæredis institutio, quæ princeps pars est testamenti, non tam bonorum est, quàm personarum, vt scilicet hæres defuncti personam repræsentet, & consequenter in ius & bona eius succedat, tum id quod testator facit, non vt priuatus facit, qui moritur, sed vt publicam personam sustinens, quæ non moritur, vnde testamenti factio non priuati, sed publici iuris esse dicitur, & non modò non odiosum, sed & fauorabile habetur vltimum quod nunquam rediturum est arbitrium. T. Optimè. C.A. Nos autem, vt ordine procedamus, primùm de ratione ac forma condendi testamenti differemus: deinde de acquisitione ex testamento, per vniuersitatem: tum de acquisitione ex testamento per res singulas.

De ratione ac forma condendi testamenti.

TITVLVS XI.

T.  E ratione ac forma condendi testamenti quid ais? C.A. Enimverò cum testamentum sit voluntatis nostræ iusta, hoc est, legibus congrua sententia, de eo quod quis post mortem suam fieri velit, cui nomen à testatione est, propterea quòd coram testibus fiat, sine quibus de voluntate non constaret, & multis fraudibus esset subiecta: quæ ea in re spectantur, sunt quatuor: testator ipse, cum forma qua testari debet, liberi eius, scriptura testamenti, & institutio hæredis. T. De testatore ipso, & forma testandi, quid dicis? C.A. Enimverò si queramus, inquit Caius, an valeat testamentum, in primis animaduertere debemus an is qui fecerit testamentum, habuerit testamenti factionem: deinde, si habuerit, exquirimus an secundùm iuris ciuilis regulas testatus sit. Ac dico quidem testamenti factionem habere omnes homines ciues Romanos, siue masculos, siue feminas, dum modo puberes sint, sui iuris, mentis compotes, & testabiles; absque quo, vel certo animi iudicio destituuntur, vel libera voluntate, vel bonis de quibus testentur, vel persona legitima, quibus omnibus ad testandum est opus. Forma autem condendi testamenti est, vt vel in scriptis coram septem testibus puberibus, masculis, ciuibus Romanis, ad hoc rogatis fiat: vel per nuncupationem hæredis, coram quinque testibus palàm & expressè, sic vt testator ab omnibus exaudi

diri & intelligi possit, vt latius traditur titulo, *Qui testamenta facere possunt, & quemadmodum testamenta fiant.* cum quo congruunt tituli Codicis, *Qui testamenta facere possunt, vel non.* & *De testamentis, & quemadmodum testamenta ordinentur.* & Institutionum, *De testamentis ordinandis.* & *Quibus non est permittum facere testamentum.* T. Intellego C. A. Ac cum testes ei rei adhibere, naturæ actus ipsius congruat, vt modò dictum est, quòd hi quinque debent esse numero, inde manauit, quòd olim Romæ publicè coram vniuerso populo, qui in quinque tribus initio diuisus erat, calatis comitiis testamenta condebantur: quòd cum multas haberet incommoditates, placuit tandem, vt coram quinque fieret testibus, qui quinque tribus populi Romani repræsentarent. Et quidem si per scripturam fiat testamentum, ideo duo amplius requiruntur, quoniam id genus testandi successit in locum testamenti quòd fiebat per æs & libram, vbi præter testes supradictos aderant etiam libripens & emptor familiæ. Quòd ideo admonéo, vt intelligatur, sæpe fieri, secundum ea quæ supra dicta sunt, vt vna eademque lex partim naturali ratione constet, partim ciuili, secundum formam cuiusque ciuitatis. T. De liberis autem testatoris quid ais? C. A. Si quos liberos in potestate habeat, proximos hæredes suos (nam de emancipatis hic non agimus) eos debet vel instituire, vel exheredare, & quidem si filius est, cuius propter sexus naturalem præstantiam, & operam quam reipublicæ nauat, maior quàm femina ratio habetur, etiam nominatim, alioqui si neutrum faciat, & silentio eos prætereat, non valet ipso iure testamentum, tanquam ab eo conditum, qui mente & memoria non satis constaret, dum propriis liberis præteritis, qui etiam viuente patre, quasi domini & hæredes bonorum ipsius habentur, alium hæredem sumit, quòd non facturum fuisse præsumitur, si mentis suæ composuisset. De quo est titulus, *De liberis & posthumis hæredibus instituendis, vel exheredandis.* Cum quo congruunt tituli Codicis, *De liberis præteritis, vel exheredatis.* *De posthumis hæredibus instituendis, vel exheredandis, vel præteritis.* Et titulus Institutionum, *De exheredatione liberorum.* T. Teneo. C. A. Et quidem quoniam fieri potest vt testamento bene condito, post alij mihi existant proximi hæredes qui testamentum rumpant, dum præteriti inveniuntur, veluti agnatione posthumi, post mortem testatoris, vel si moriente, aut emancipato filio, nepos ex eo incipiat mihi esse proximus hæres, quæ est quasi agnatio, inuenta sunt remedia, quibus hæ incommoditates rumpendi testamenti euitentur: vnum quidem per Gallum Aquilium iuriconsultum (nam & iuriconsulti sunt quidam quasi secundarij legislatores, vt suo loco dictum est) qui formulam induxit, qua & posthumi in institutione comprehendantur, his verbis: Si filius meus viuo me morietur, tunc si quis mihi ex eo nepos, siue quæ neptis post mortem meam in decem mensibus proximis, quibus filius meus moreretur natus, nata erit, hæredes sunto. Alterum verò per legem Velleiam, quæ formulam dat, qua & nepotes iam natos testamento quis completatur, hoc modo: Si quis ex suis hæredibus, suus hæres esse desierit, liberi eius in locum suorum, sui hæredes succedunt. Quibus rebus fit vt neque agnascendo, neque quasi agnascendo rumpatur testamentum. T. Rectè. C. A. Et est quidem discrimen inter rumpere testamentum, quòd fit alio postea testamento condito, ex quo hæres existere poterit, vel agnatione sui hæredis, aut quasi, vt iam dictum est, & non iure facere testamentum, quòd iniustum dicitur, nempe cum solennia iuris desunt, & nullum esse testamentum, cum filius in potestate præteritur, vt diximus, & denique irritum fieri testamentum, cum non aditur ex eo hæreditas, vt latius ostendit titulus, *De iniusto rupto, irrito facto testamento.* Quòd pertinent quoque rubricæ Institutionum, *Quibus modis testamenta infirmantur.* *De inofficioso testamento.* & *De hæredum qualitate & differentia.* nec non *Novella, De testamentis imperfectis à parentibus in filios factis,* & de diuisione rerum filiis coram parente, & de eius facultatibus facta est subscripta. T. Dehinc de scriptura testamenti quid ais? C. A. Sanè si quid in testamento scripto inductum reperiatur, si quidem inconsultò factum sit, valet quòd inductum est, dummodo legi possit: nam non fuit mens testatoris, quidquam mutare: si verò consultò, non valet, etiam si legi possit: quoniam vtique verum est, mutatam esse voluntatem testatoris, quam constat ambulatoriam esse, vsque ad mortem, vt docet Rubrica, *De his quæ in testamento delentur, inducuntur, vel inscribuntur.* Ac est quidem delere lituris, inducere cancellis, inscribere aliis literis. T. Superest *De hæredibus instituendis* (de quibus & Institutionum titulus est) vt exponas. C. A. Sanè ab institutione, quoniam substantia ipsa & fundamentum est totius vltimæ voluntatis, initium ferè in testamentis condendis fieri solet, quamquam subinde aliter fiat. Et si quis neque legaturus quidquam est, neque quemquam exheredaturus, is quinque verbis, vel etiam tribus testari potest, vt, *Lucius Titius mihi hæres esto: vel, Lucius hæres esto.* T. Probè. C. A. Ac fit quidem institutio vel primo gradu, de quo iam diximus, vel secundo,

aut

aut tertio, & sic deinceps per substitutionem: quæ quidem vel est vulgaris, vt, Lucius hæres esto: & si hæres non erit, Seius hæres esto. vel pupillaris, vt, Filius meus hæres esto: & si hæres non erit, siue erit, & antequam in suam tutelam venerit, mortuus fuerit, Seius hæres esto. vt. videre est sub titulo, *De vulgari & pupillari substitutione*. de qua re Institutio- num duo diuersi sunt tituli. T. Scitè. C.A. Ac quàmquàm quidem tutio form videatur, plures gradus hæredum facere, quia tamen multa sæpe accidunt, quò minus primo loco instituti succedant, & triste est sine hærede decedere: placuit hac in re præ hominum affectu inferuire, vt ex animi sententia hæredem quis habeat, nec non veteri consuetudini, qua primum substitutiones inductas fuisse traditur, cui sæpe legislatorem accommodare se debere, supra demonstratum est. Et verò hoc amplius in substitutione pupillari est, quod per eam non modò patri, sed & ipsi filio impuberi, qui testari non potest, de hæredè prospicitur. T. Verum. C.A. Ac possunt quidem institutiones pariter & substitutiones non solum pure fieri, sed & sub conditione, vt omnino pro voto suo, & ex animi sententia hæredem quis habeat: quæ sane nulla est nisi impleta conditione, siue ea fortuita sit, vt, Si nauis ex Asia venerit, siue potestatiua, vt, Si Titio decem dederis. Ac debet quidem omnis conditio honesta esse, & legitima, & naturà possibilis: nam alias conditiones, quæ contra bonos mores, aut leges, vel per rerum naturam impossibiles sunt, in hæredum Institutione pro non adiectis habentur, non quidem ratione interna, secundum quam conditio impossibilis, quæ pars est ipsius institutionis, totum sua natura corrumpit, sed externa, ob fauorem vltimæ voluntatis, quæ repeti non potest: quod secus est in stipulationibus inter viuos, quæ si quid habent vitij, corrigi possunt. Adde etiam, quòd adiecta institutioni conditio impossibili, per errorem id factum præsumi debeat, ne quis in re tam seria lusisse, & id quòd agit nullum esse, nec quemquam sibi hæredem fore (quòd ipsi actui contrarium est) voluisse videatur, vt videre licet sub Rubrica, *De conditionibus institutionum*. T. Intellego. C.A. Atque ad hanc quidem materiam institutionum & substitutionum pertinent tituli Codicis, *De hæredibus instituendis, & qua persona institui non possunt*, vt intestabiles, collegia nullo priuilegio subnixæ, cum similibus. *De institutionibus, & substitutionibus, & restitutionibus sub conditione factis*. Nam si conditio honesta est, debet illi parere institutus; alioqui fit locus substituto, vel ei cui in eum casum hæreditas per fidei commissum restitui iubetur. *De impuberum & alijs substitutionibus vulgaribus*, nempe, de quibus modò est expositum: ultra quas sunt & aliæ nonnullæ, *De necessarijs serujs hæredibus instituendis vel substituendis*. Nam is qui soluendo non est, & ob id alium hæredem habiturus non esset, qui damnosam hæreditatem adire veller, seruum suum hæredem necessarium, etiam in fraudem creditorum, relinquere potest. quòd non interna, sed externa ratione in fauorem testatoris, & libertatis permittitur.

De acquisitione per vniuersitatem ex testamento.

TITVLVS XII.

T. **A**M acquisitio per vniuersitatem ex testamento quonam modo se habet? C.A. Hæc est quæ ad hæreditates acquirendas pertinet. in qua re quæ spectantur, sunt, ius deliberandi circa hæreditatem adeundam, vel non ad eundam (vnde fit vt in Codice vna sit Rubrica, *De iure deliberandi & ad eundam vel acquirenda hæreditate*) acquisitio ipsa, vel amissio hæreditatis, ratio aperiendi testamenti, & discessio à testamento. T. *De iure deliberandi*, quid ais? C.A. Hoc autem est, quòd ei cui delata est hæreditas, tempus à Prætorè datur, ad deliberandum vtrum eam adire velit, nec ne. Quòd tum quidem secundum principia prudentiæ per se decet, ne quid temere fiat: tum verò eò pertinet, ne aut in damnosam hæreditatem, quæ ære alieno oppressa sit, quis facile se coniciat, aut lucrosam repudiet. vnde Prætor, Si tempus, inquit, ad liberandum petet, dabo. Item si pupilli pupillæ nomine postulabitur, tempus ad deliberandum an expediat eum hæreditatem retinere, & hoc datum sit, si iusta causa esse videbitur, bona interea diminui, nisi causa cognita boni viri arbitratu, vetabo.] Quamquam omne hoc periculum hodie iure Codicis vetari potest, beneficio inuentarij, si quidem quis hæreditatem adiens, omnia bona in inuentarium conferat, eo animo vt non amplius quàm in iis est teneatur: quòd æquum bonum Iustiniano visum est, & ad accelerandas aditiones hæreditatum accommodatum. pertinetque huc Nouella, Vt deliberandi ius etiam ad impuberes transmittatur. T. Audio. C.A. Nec refert, quantum ad ius deliberandi attinet, paganum ne sit testamentum, an verò militare: quoniam, quantum ad hæredem attinet, eadem vtròque est ratio: licet, quantum ad milites, illi omnibus


bus supradictis obseruationibus soluti sunt, dummodo de voluntate constet, quæ sola testamentum militis efficit: quæ de re Traiani Imperatoris post Iulium Cæsarem, Titum, Domitianum, & Neruam verba, titulo, *De testamento militis* (qui de militari testamento in Institutionibus dicitur) hæc sunt: Cum in militiam meam prolatus sit, subinde testamenta à commilitonibus relicta proferri, quæ possint in controuersiam deduci, si ad diligentiam legum reuocentur & obseruantiam, secutus animi mei integritudinem erga optimos fidelissimosque commilitones, simplicitati eorum consulendum existimaui; ut, quoquo modo testati fuissent, rata esset eorum voluntas. faciant igitur testamenta quomodo volent, faciant quomodo poterunt, sufficiatque ad bonorum suorum diuisionem faciendam nuda voluntas testatoris.] T. Intellego. C.A. Atque id quidem ideo sic fuit introductum iure singulari, partim ob nimias occupationes militum quas in expeditione habent; nam ne consulendi quidem petitiones, & solennia obeundi tempus habent: partim ob fauorem eorum quos primus Iulius Cæsar, occupata republica, multis eiusmodi beneficiis afficere cœpit, ut tanto sibi eos addictiores haberet: quæ post alij Imperatores confirmarunt; & quod prius temporarium, & ex indulgentia fuerat, perpetuum, & pro certa iuris constitutione esse iusserunt. quod quidem homini vero iurisconsulto futuro diligenter notandum est; ut secundum ea quæ de principiis iuris singularibus suo loco dicta sunt, intelligat, nihil in republica tam bene generaliter constitui posse, cuiusmodi sunt & obseruationes istæ circa testamenta, à quibus non aliqui partim ratione, partim fauore absolui debeant, dum non ad paruam singulorum, sed magnam vniuersæ reipublicæ iustitiam respicitur: nam quemadmodum æqualibus inæqualia, ita inæqualibus æqualia dare iniurium est. T. Dehinc *De acquirenda vel omittenda hereditate* quid dicitis? de qua re est suprà dictus titulus Codicis, *De adenda, vel acquirenda hereditate.* & alius, *De repudianda vel abstinenda hereditate.* C.A. Acquiritur autem hereditas, si quis post testatoris mortem delata hereditate (nam viuentis, secundum principia Physica, non est hereditas) solenniter eam adeat, vel pro hærede se gerat, vel bonis hæreditariis se immisceat, animo adipiscendi hereditatem, non autem si pietatis vel alia de causa id faciat: nam tum animi destinatio abest, quæ in omnibus hominû negotiis interuenire debet. T. Bene est. C.A. Omititur autem hereditas, si quis hereditatem delatam (nam, ut habent principia Physica, priuatio præsupponit habitum) sciens prudens (quoniam consensui nihil est tam contrarium quàm ignorantia & error) solenniter repudiet, vel ab ea abstineat, vel re aut verbis ipsam recuset. T. Rectè. C.A. Et quidem cum omnes hæredes vel extranei sint, ut quilibet; vel sui, ut liberi in potestate, vel necessarij, ut serui hæredes instituti, extraneis planè liberum est adire vel non adire hereditatem. nam beneficium non confertur in inuitum; & vnicuique liberum est habere vel non habere obligationem. suis autem iure prætorio permittitur quidem ex æquitate, ut à parentum hereditate abstineant, ne homo liber contra voluntatem suam cui rei obstringatur; sed iure ciuili antiquo omnino cogebantur hereditatem parentum, cum quibus vna & eadem persona censentur, subire; vnde sui & necessarij hæredes dicebantur. Et verò etiam hodie, nisi expressè abstineant, ipso iure continuatur in eos parentum successio: quoniam etiam adhuc viuo patre, quasi domini bonorum ipsius censentur. Ac quantum ad necessarios hæredes attinet, hi, velint nolint, coguntur esse hæredes: ut qui alioqui nullum esset habiturus hæredem (quod triste ac luctuosum est) seruum saltem necessarium hæredem habeat (ut paulo antè tactum est) & bona quæ vendenda sunt, illius potius quàm defuncti nomine vendantur. Nec verò fit seruo iniuria; quoniam ex seruitute in libertatem, quæ inæstimabilis res est, deducitur: nec est toleranda eius peruicacia, si cum Domini defuncti iniuria (cuius vtique in rebus humanis magna ratio habetur) in seruitute fortè manere malit. T. Nunc *Testamenta quemadmodum aperiuntur, inspiciuntur, & describuntur* (de qua re & Codicis similis est titulus) reddito. C.A. Planè quia necessarium est ut suprema hominum iudicia ad exitum deducantur, eaque res neque sine iudice transigi, neque apud iudicem aliter cognosci potest, quàm inspectis cognitisque verbis testamenti: officium Prætoris est, ut cogat signatores conuenire, & sigilla sua cognoscere, ut sic aperiatur testamentum; idque siue omnes conueniant, siue maior pars eorum, siue nulli: nam si qua res vrgeat, potest aperiri testamentum, interuenientibus optimæ opinionis viris; à quibus postquam descriptum ac recognitum factum est, mittitur ad signatores, ad inspiciendum sigilla sua, facta porrò inspiciendi ac describendi ex ordine potestate iis qui suo vel alieno nomine iusta ex causa id desiderat. T. Probè dicitis. C.A. Et quidem cum ob vicesimam hereditatum, quam princeps habebat, edictum olim à Diuo Adriano factum esset, circa aperiendas tabulas, cessante post deinde vicesima tamquam principali; simul & edictum, tamquam accessorium sublatum est. Et si quis proferat tabu-

las

las integras & illatas, quibus hæres scriptus est, omnino mittitur in possessionem, licet aliud quid dubitationis moueatur, quod principali causa referatur, vt docet titulus Codicis, *De edicto diui Adriani tollendo, & quemadmodum scriptus hæres in possessionem mittatur*. Cui adde, quod si filij & filiz, nepotes & neptes, & similes, qui natura sunt hæredes, post obitum testatoris moriantur, ante apertas tabulas tamen transmittere hæreditatem, ad suos hæredes: quia licet non sit adita, utique tamen delata est, vt ostendit titulus Codicis, *De his qui ante apertas tabulas hæreditatem transmittunt*. T. Reliquum est de discessione à testamento vt nunc dicas. C.A. Id verò duplicem habet inspectionem. T. Dic priorem. C.A. Vna est, *Si quis*, hæres testamento scriptus, *omissa causa testamenti ab intestato*, si forte proximus agnatus est, *vel alio modo* (titulo generali, non verò speciali, veluti proprio iure emptionis, donationis, aut simili, nam tum alia res est) *possideat hæreditatem*, vt circumveniat eos, quibus testamento aliquid est relictum. Prætor enim qui voluntates defunctorum tuetur, huic calliditati occurrit, & quod testamento datum est, præstare cogit, ne quis ex dolo suo, contra principia ethica, cum iniuria testatoris & legatariorum lucretur, vt prodit Rubrica Codicis, *Si omissa sit causa testamenti*. T. Dic sequentem. C.A. Altera est, si dominus à familia occisus esse diceretur, senatusconsulto Silliano & Claudiano cautum est, vt procurante & persequente scripto hærede, in primis & ante omnia publica quaestio de familia habeatur. Quod ni ille faciat, & inulta morte testatoris ante quaestionem habitam, & supplicium sumptum, testamentum aperiat, hæreditatemve adeat, vt bona defuncti ei, vt indigno & ingrato, & quasi de captata morte suspecto, adimantur, & tanquam caduca fisco addicantur, vt docet titulus, *De senatusconsulto Silliano, & Claudiano: & quorum testamenta ne aperiantur, prohibitum est*. cum quo congruit titulus Codicis, *De his quibus, vt indignis, hæreditates auferuntur, & ad senatusconsultum Sillianum*. T. Intelligo. C.A. Sed & *Si quis aliquem testari prohibuerit vel coegerit* (de qua re & Codicis est titulus) ita vt alium hæredem instituere prohiberetur, vel ipsum hæredem facere compelleretur; huic petenti hæreditatem, denegari debent actiones, propter vim ac dolum, qui nemini debet esse lucro: & denegatis ei actionibus, fisco locus erit. Qua quidem circuitio- ne ideo est opus, quia cum coacta voluntas, sit voluntas, prius is qui coëgit, à petitione repellendus est, & deinde hæreditas, tanquam caduca, fisco addicenda. T. Probè dicis. C.A. Atque hæc quidem cum circa testamenta solennia ita se habeant, sciendum est præterea, & aliud genus esse vltimarum voluntatum minus solenne, ob commoditatem, iure singulari, secundum principia externa, inductum, cui Codicillorum nomen est, quibus si non hæreditates, legata certe & fideicommissa relinquuntur. qua de re, *De iure codicillorum*, siue (vt est in Codice & Institutionibus) *De codicillis*, titulus est compositus, vbi usus eorum approbatur. Ac conficiuntur quidem codicilli quatuor modis, inquit Paulus: Aut enim in futurum confirmantur, aut in præteritum, aut per fideicommissum testamento facto, aut sine testamento. Et quidem ideo fideicommissa dari possunt ab intestato succedentibus, quoniam creditur paterfamilias sponte sua his relinquere legitimam hæreditatem.

De acquisitione per res singulas ex testamento, siue de legatis & fideicommissis.

TITVLVS XIII.

T.  **C**EPIMVS de vniuersitatis siue hæreditatis ex testamento acquisitione: nunc de singulis rebus testamento relictis auemus cognoscere. C.A. Id verò fit per legatum aut fideicommissum. T. Legatum quid vocas? C.A. Donationem quandam à defuncto relictam, ab hærede præstandam: vel, si mauis, delibationem hæreditatis, qua testator, ex eo quod vniuersum hæredis foret, alicui quid collatum vult. T. Quod verò fideicommissum? C.A. Quo fidei alicuius à testatore committitur, vt vniuersam hæreditatem, vel rem aliquam singularem alicui restituat. T. De his autem quidnam tractas? C.A. Primum in genere dicam, quidnam in iis sit iuris: deinde speciatim de certis rebus, per legatum aut fideicommissum relictis: tum de iis quæ legatis accidunt: post quo pacto legata & fideicommissa dimittantur: & denique quomodo acquirantur. T. In genere autem quidnam de iis dicis esse iuris? C.A. Vti quisque rei suæ legasset, ita ius esto. Cuius legis rationem, quæ antiquissima est, nempe duodecim tabularum, quoniam supra ostendimus, hic omittetur. Ac fideicommissa quidem tametsi primum nullam necessitatem præstandi habebant, quoniam nullam iustitiam continebant, post tamen paulatim ex facto vno aut altero Augusti Imperatoris (vt fit cum ad exemplum ea trahuntur) in necessitatem deducta sunt, quasi scilicet

viri

vel boni sit, non iussis modò, sed & optatis testatoris satisfacere, ac maxime quidem, quoniam iussa, optata, fideicommissa, & alia eiusmodi, non tam specie quam gradu, secundum ea quæ supra disputata sunt, differunt. Et ideo lege cautum est, vt per omnia exæquata sint legata fideicommissis, vt sub titulo, *De legatis & fideicommissis*, primo, secundo, tertio (nam tot libros ob amplitudinem materiz continet) videre licet. cum quo congruunt tituli Codicis, *De legatis & fideicommissis. Communia de legatis & fideicommissis, & de in rem missione tollenda*, quamquam superuacua, quoniam pro legatis & fideicommissis tres competunt actiones: personalis, ex testamento; in rem, per rei vendicationem; & hypothecaria, nulla facta distinctione quibus verbis sint relicta. Congruunt quoque cum his Rubricæ Institutionum, *De fideicommissariis hæreditatibus, & ad senatusconsultum Trebellianum, De singulis rebus per fideicommissum relicta.*

De certis rebus per legatum aut fideicommissum relicta.


TITVLVS XIIIIL.

T. VNC de certis rebus per legatum aut fideicommissum relicta quid ais? **C.A.** Huius generis sunt plures tituli speciales, qui alij ius aliquod singulare continent, alij verborum interpretatione indigent: qua de causa factum est, quòd in Codice inter titulos ad legata pertinentes vnus est, *De verborum significatione*. **T.** Quinam autem primi sunt generis? **C.A.** Primum *De annuis legatis & fideicommissis*: veluti cum annua, bima, trima die, vel in annos singulos quid legatur. In quibus quidem legatis hoc singulare est, vt tot sint legata, quot sunt anni; cum contrà in annua stipulatione, vna dumtaxat sit stipulatio. Ac ratio quidem diuersitatis est, quoniam stipulatio est actus iuris civilis & solennis, qui, quantum ad obligationem attinet, diuidi non potest, licet, quantum ad solutionem, diuidatur: & ideo qui tempore stipulationis capax est promissi, per omnes annos qui inde dependent, intelligitur esse capax: contrà autem legatum actus est priuatus, in facto consistens, & ob id secundum rei subiectæ naturam diuisibilis: vnde sequitur, vt tot videantur esse legata, quot sunt anni: in quibus singulis videndum est, vtrum legatarius capax sit legati, nec ne. **T.** Audio. **C.A.** Deinde *De usu, & usufructu, & redditu, & habitatione, & operis per legatum vel fideicommissum datis*. de quorum omnium natura singulari (nempe vt non morte testatoris, quemadmodum alia legata, sed adita demum hæreditate cedant) dictum est superius; excepto redditu, cuius nomine venit, quicquid ex re aliqua obuenerit, estq. minus in redditu, quam in usufructu. Item *De seruitute in rem legata*; de qua & ipsa supra est expositum; quoniam in partes diuidi non potest, solidam à singulis hæredibus eam peti debere: quod secus est in plerisque rebus alijs. **T.** Verum. **C.A.** Tum *De dose prælegata* siue relegata (nam cum alia legari dicantur, hæc, quæ ipsius vxoris est, relegari siue prælegari dicitur) in qua re tamen videri queat nihil esse emolumenti, cum dos ipso iure vxori debeatur; hoc tamen inest illi commodi, vt quæ dos post annum à tempore mortis primum restituenda esset, vi huius legati repræsentetur, sic vt statim exigi possit, cum alijs quibusdam commoditatibus. **T.** Intelligo. **C.A.** Ad hæc *De optione vel electione legata*, serui fortè, vel alterius alicuius rei: in qua re hoc peculiare est, quòd non hæredis debitoris, vt communiter fit, est electio; sed legatarij, qui, quem volet, ex seruis à testatore relicta, optare potest: nam hoc ipsum, secundum principia Logica, est optionem vel electionem dare. **T.** Sic est. **C.A.** Et denique *De tritico, vino, vel oleo legato*: vbi hoc singulare est, vt si qualitateit aliquam iis adiiciam, quæ non inueniatur, veluti decem modios tritici, qui singuli centum pondo pendant, nihil legatum esse videatur: quoniam id quod legatum est, non reperitur, nec tenetur hæres aliud, quam legato comprehensum est, præstare. Et si cui in genere centum pondo olei, non adiecta qualitate, legentur, non quæritur cuius generis oleo testator vti soleat, aut illius regionis homines, sed potest hæres quale vult oleum præstare, quoniam & verbis generalibus, & voluntati testatoris satisficit; & naturaliter in ambiguis, debitoris, secundum principia extraordinaria, est electio. Quamquam secus est, cum certum pondus olei, ex eo quod testator habet, relinquatur: tum enim, quemadmodum de seruo legato dictum est, legatarij est electio; nam legatum generis ex rebus certis legato optionis comparatur. **T.** Nunc de secundi generis legatis legatis dicito, vbi verborum interpretatione est opus. **C.A.** Primum circa fundi legatum sic, vt vel solus fundus legetur, quo casu ex instrumento non alia veniunt, quam quæ infixæ in edificataq. sunt, & pauca quæ mœneri possunt; vel solum instrumentum fundi, quo legato ea continentur, quæ fructus quærendi, cogendi, conseruandi gratia parata sunt; vel fundus cum instrumento, in quod lega-

tum venit fundus, & instrumentum quod ad colendum fundum pertinet, vel fundus instructus, quod legatum amplissimum est; sic ut quicquid in fundo est, quo instructior sit, eo legato contineatur. Quæ quidem res omnis ex verborum quibus testator utitur proprietate secundum principia Grammatica dependet, ut latius tractatur sub titulo, *De instructo vel instrumento legato*. T. Bene est. C.A. Deinde *De peculio legato*, quo nomine venit pusilla illa pecunia, quam dominus filio vel seruo suo relinquit, quam probatum est legari posse non solum ipsi seruo filiove cuius est, sed & alij: potest quoque seruus ipse cum peculio relinqui, quo casu seruo alienato manumisso vel mortuo, legatum peculij extinguatur, nam secundum principia Physica, quæ accessorium locum obtinent, extinguuntur, cum principales res peremptæ fuerint. T. Sic est. C.A. Porro cum *De penâ legata* agitur, ea hoc legato continentur, quæ esui potuique sunt, & quæ his accedunt, ut oleum, muria, mel, & his similia, in quibus esse solemus. T. Rectè. C.A. Ad hæc *De suppellectile legata*, verum est, domesticum patrisfamilias instrumentum quod in communi seruiat, eo legato comprehendi, non autem argentum, aurumve, factum, vel vestitum, vel quod generis sui nomen separatum habeat, ut instrumentum fabrilis, vel cuiusvis alterius artificij: unde Tubero suppellectilem esse ait instrumentum quoddam patrisfamilias, rerum ad quotidianum usum paratarum, quod in aliam speciem non cadit. T. Probè. C.A. Planè *De alimentis & cibarijs legatis* primum Labolenus sic scribit: Legatis alimentis cibaria & vestitus, & habitatio debentur, quia sine his ali corpus non potest. Deinde Ulpianus, Diariis, inquit, & cibarijs relictis, neque habitationem, neque vestiarium, neque calcearium deberi, palam est, quoniam de cibo tantum testator sentit. T. Bellè. C.A. Ad *De auro, argento, mundo, ornamentis, unguentis, veste, vel vestimentis, & statu legatis*, quamquam quidem magna ex parte ex communi usu, & ipsius testatoris, statuendum est, quod his legatis, quæ facti siue voluntatis sunt, contineatur, propria tamen cuiusque horum significatio est, ut auro vel argento legato, quicquid auri argenti que relictum est, legato contineatur, siue factum, siue infectum sit, non autem pecunia signata. Mundo muliebri ornamenta non continentur, sed reliqua, & cum his argentum balneare. Ornamenta sunt, ut monilia, gemmæ, margaritæ, non autem vestis muliebris. Unguentis legatis non ea tantum legata videntur, quibus vngimur voluptatis causa, sed & valetudinis. Vestis an vestimentum legetur, nihil interest: ac sunt quidem vestimentorum omnia, lanæ, lineæque, vel serica, vel bombycina, quæ induendi, præcingendi, amictiendi, insternendi, iniiciendi, accumbendive causa parata sunt, & accessionis vice his accedunt. Statuarum nomine & imagines veniunt, & signa, & alia eiusmodi. T. Pulchrè. C.A. Denique *De liberatione legata* debitori, videri quidem queat nullum esse legatum, quoniam id quod legatur, iam ipsius est cui legatur: sed quoniam debitum quod lego meum est, unde & in ære meo debitor esse dicitur, utique valet legatum. Ac est quidem effectus huius legati, ut non solum exceptionem legatarius habeat, si fortè ab eo petatur, sed & actionem, ut acceptilatione liberetur, in quo tanto plus est, quam in simplici remissione, quod in simplici remissione quædam est dumtaxat quasi non petitio, siue discessio à petitione, vel eius potius renunciatio; in acceptilatione autem, plena perfecta que quasi solutio, quæ est fertilior quam remissio.

De his qua legatis accidunt.

TITVLVS XV.

T.  RANSEAMVS nunc ad ea quæ legatis accidunt. C.A. Placet verò. & quidem vel in ademptione & translatione legatorum spectantur, vel in rebus dubiis, vel in pœnæ adiectione, vel in legatis inutilibus, vel in eorum amissione, vel in conditionibus adiectis legato. T. *De adimendis vel transferendis legatis vel fideicommissis* (quod pertinet titulus Institutionum


De ademptione legatorum, & translatione) quid dicit? C.A. Planè cum ambulatoria sit voluntas testatoris vsque ad mortem, nihil est dubium, quin quæ testamento legata sunt, rectè adimi testamento possint, siue in totum, siue ex parte, ut, Fundum illum præter usumfructum, neque do, neque lego: vel ab vno ad alium transferri, ut, Quod Titio legavi, Scio do, lego. vel, Titio fundum do lego: si Titius decesserit, Scio hæres meus dare damnas esto. Ac fit quidem translatio legati, inquit Paulus, quatuor modis: aut enim à persona in personam transfertur, aut ab eo qui dare iussus est transfertur, ut alius det, aut cum res pro re datur, ut pro fundo decem aurei; aut quod purè datum est, transfertur sub conditione. T. *De rebus dubiis* autem? C.A. Hæc de eo genere sunt, quæ obscura suprâ appellata sunt, cum de extraordinariis principiis, unde hæc dependent, ageretur. Ac nascitur quidem

dem omne dubium, vel in factis, veluti si quærat, in naufragio vter de duobus videatur prius extinctus, vel in verbis, vt si sermo est ambiguus. Et quidem cum in factis explicandis id secundum præsumptionum principia sequamur, quod naturæ maximè est consentaneum; nam hac ratione infantem prius quàm matrem periisse in naufragio præsumimus, in verbis ambiguis & obscuris, id secundum principia extraordinaria potissimum; quod rei gerendæ aptius est, quo scilicet valeat potius quàm intereat: verùm si tam obscurum & inuolutum dictum aut factum est, vt nullum penitus exitum habeat, res èd reddit, vt nihil nec dictum nec factum censeatur. Nam in ambiguo sermone, inquit Paulus, non vtrumque dicimus, sed id dumtaxat quod volumus. Itaque qui aliud dicit quàm vult, neque id dicit quod vox significat, quia non vult; neque id quod vult, quia id non loquitur. T. *De his qua pœna causa relinquuntur*, quid ais? C. A. Enimverò si quis volens quid fieri ab hærede suo, vel patre dominive eius, quod tamen per se licitum sit, veluti in Asiam ire militatum, ita legatum relinquat, vt si contrà factum sit, tertio alicui in pœnam vel probrum hæredis vel parentis, dominive ipsius decem dentur aut viginti; placuit huiusmodi legatum, tanquam odiosum & probrosum, non valere: quoniam cum hæredis nomen honoris sit, non debet in probrum trahi, secus autem si sine mentione aut suspitione pœnæ vel probri id fiat, per formam simplicis conditionis, vt, si hæres meus, eiusve pater aut dominus in Asiam militatum abierit, tertio centum lego: vel per formam translationis, vt, Titio centum do, lego; & si in Asiam militatum abierit, quod illi legavi tertius habero. aded vt vno eodemque facto duæ possint esse diuersæ intentiones, quarum vna vitiosa sit, altera non sit. Qua de re Martianus, Pœnam, inquit, à conditione voluntas testatoris separat, & an pœna, an conditio, an translatio sit, ex voluntate defuncti apparet. Iustinianus titulo Codicis, *De his qua pœna nomine in testamento vel codicillis scribuntur vel relinquuntur*, absolutè vult legatum valere, etiam si pœna adiecta sit, dummodo non illicita, nec inhonesta. T. De legatis inutilibus sequitur vt dicas. C. A. De his duò tractantur. T. Quod est primum? C. A. Quod sub titulo, *De regula Catoniana*, traditur, quæ sic habet: Quodcumque legatum inutile foret, si testamenti facti tempore testator decesserit, id, quandocumque decesserit, non valebit. Ac ratio quidem est, quoniam cum regula de vitio intrinseco loquatur, quod testamentum per se ab initio nullum reddit aut inutile, veluti si quis impubes intestabilisve testeretur, aut quo alio modo, non refert testamentine facti tempore, an post quis moriatur, omnino enim inutile est quod actum est. Celsus hanc regulam in quibusdam falsam esse ait: sed si propius rem adspicias, exempla quæ ab eo & aliis proferuntur, planè extra regulam sunt. Cui adde, quòd nulla regula, siue definitio iuris generalis, tam aptè concipi potest, vt non quibusdam in causis vitietur. Et verò etiam suo loco dictum est, omnis scriptionis eam esse naturam, vt numquam totam rei veritatem, sed partem eius dumtaxat exprimat: qua quidem si rectè vtare, fit vt principiis bene præuisis & cognitis, ad reliqua non difficile peruenias; sin verò minùs, fit è contrà, vt dum apprehensis verbis legis, contra eius nitatis voluntatem, cauillator & sophista euadas. T. Quod alterum? C. A. De quo in titulo, *De his qua pro non scriptis habentur*, agitur. Et quidem pro non scriptis habentur, quæ ita scripta sunt vt legi non possint, quod ratio ipsa dicit, nec non quæ quis sibi adscripsit in testamento: quod quamuis possit esse sine vitio, quia tamen multis occasionem daret fraudandi, visum est, secundum principia externa & cautionalia, vt in vniuersum prohibeatur. Cui adde, quòd quæ ei, qui tempore condendi testamenti in rerum natura non est, legantur, pro non scriptis quoque habentur. Quibus proximum est, si legatarius ante mortem testatoris, post testamentum conditum, in rerum natura esse desinat. quod cum sit, legatum in causam caduci cadere dicitur: in verum autem caducum, si testamenti quidem condendi tempore legatarius in rerum natura sit, & item tempore mortis testatoris, sed post deinde ante apertas tabulas cum mori contingit, quo casu olim lege Papia legatum caducum factum ad fiscum perueniebat: quod ærarij augendi causa introductum erat, sed id postea Iustinianus per titulum Codicis, *De caducis tollendis*, emendauit, statuens vt legatum statim morte testatoris cedat, atque etiam si legatarius ante apertas tabulas moriatur, tamen ad hæredem suum transmittat, sic vt caduco in hoc casu sublato, fisco minimè sit locus. T. Dehinc, quomodo amittantur legata, reddito. C. A. Si quis indignum se iis præstet, veluti si eum à quo hæres institutus est, sua negligentia mori patiat, si tutor datus legatarius se excuset à tutela, si contra mandata vxorem quis duxerit, eaque testamento ei quid leget, si filius emancipatus sui commodi causa cum dedecore patris, partim testamentum eius oppugnat, partim ex eo cupit succedere, si libertus patronum post mortem, de illicitæ mercis negotiatione deferat: qui quidem tametsi publicè præmio afficiatur, priuatim tamen, tanquam

ingratus erga patronum, amissione eorum quæ testamento ei relicta sunt, punitur. aded-
 sæpe fit, vt diuersorum respectu, eiusdem facti nomine, & præmio, & pœna quis afficia-
 tur; vt latius videre est sub titulo, *De his quæ vt indignis auferuntur*. T. Restant condi-
 tiones, ni fallor. C.A. Sic est. Et quidem differunt à demonstratione, causa, & modo, vt
 ostendit titulus, *De conditionibus, & demonstrationibus, & causis, & modis eorum quæ in te-
 stamento scribuntur*. T. Quid igitur propriè vocas conditionem? C.A. Hæc est quæ sua
 natura rem suspendit, suoque euentu condit, vt sit, vel non sit: Ac consistit quidem omnis
 conditio, vel in non faciendo, vt si Capitolium non ascēderis, vbi externa ratione propter
 vtilitatem receptum est, vt præstita cautione Mutiana, quæ à iuriconsulto Murio inuen-
 tore eius nomen habet, de restituendo eo quod perceptum est, mox accipiat quis legatum,
 quod per se non nisi post mortem debetur, quoniam prius certum esse non potest, cum
 Capitolium non ascēdisse: vel in faciendo, idque siue impossibilis conditio est, quæ fa-
 uore vltimarum voluntatum, vt supra dictum est, pro non adiecta habetur; siue possibi-
 lis, quæ vel ante mortem testatoris impleri potest, vel demum post mortem, siue illa ca-
 sualis sit, siue potestatiua. Quæ quidem pro impleta habetur, cum non per legatarium,
 sed per alium stat, quo minus impleatur, ne scilicet alienum factum alij ob sit, quod esse
 non debet. Atque huic quidem pertinet titulus Codicis, *De conditionibus insertis, tam in
 legatis quam fideicommissis & libertatibus*. quarum euentum vtique expectare oportet an-
 tequam ad legatum vel fideicommissum, vel libertatem perueniatur, nisi fortè viduitatis
 conditio imponatur; quam propter matrimoniorum libertatem sacris literis concessam,
 auferre placuit per titulum Codicis, *De indicta viduitate, & de lege Iulia Miscella tollen-
 da*. T. Demonstrationem autem? C.A. Demonstratio est, quæ rem non suspendit, sed de-
 notat. Nam cum conditio ferè ad futurum referatur; demonstratio vt plurimum præsens
 respicit. Et quidem cum regula sit, demonstrationem vice nominis fungi, veluti, Coquum
 quem à Caio emi, Titio do, lego: illud quoque certum est, si quidem de corpore constet,
 falsam demonstrationem non nocere: veluti, Pamphilum seruum meum, quem à Caio
 emi, do lego: nihil enim obest legato quod non à Caio, sed ab alio illum emi, quando qui-
 dem de Pamphilo ipso constat. T. Causam verò? C.A. Causa est, quæ, quid ad legandum
 testatorem mouerit, ostendit: veluti, Titio, quia negotia mea gessit, centum do, lego. In
 qua re receptum est, falsam causam adiectam legato non obesse quidem, quo minus re ipsa
 subsistat legatum; sunt enim, secundum principia Physica, plerumque separata ac diuersa,
 res & causa (secus autem est si cohæreant) sed tamen si probari potest, testatorem aliter
 legaturum non fuisse; datur aduersus legatarium agentem exceptio doli, ne stricti iuris ra-
 tio voluntati testatoris præferatur, vt docetur quoque sub titulo Codicis, *De falsa causa,
 adiecta legato vel fideicommissis*. T. Modum denique? C.A. Modus est qui declarat ad
 quem vsum aut finem quid cui relinquatur: veluti, Titio centum do, lego, vt monumen-
 tum mihi exstruat, vt epulum quotannis exhibeat, cum similibus, vt videre licet sub
 titulo Codicis, *De his quæ sub modo legata vel fideicommissa relinquuntur*.

De iis quibus legata vel fideicommissa minuuntur.


TITVLVS XVI.

T.  IDEAMVS nunc ea, si placeat, quibus legata vel fideicommissa minuuntur. C.A. Ea partim ex lege Falcidia, partim ex senatusconsulto Trebel-
 liano proficiuntur. T. *Ad legem Falcidiam* (de qua re & Codicis Insti-
 tutionumque est titulus) quid ais? C.A. Illà cauetur, vt qui:que testa-
 mento tantum dare, legare possit, quantum volet, dummodo ne minus
 quàm quartam partem hæreditatis eo testamento hæredes capiant. Et ratio quidem legis
 est, quoniam licet suæ quisque rei moderator sit & arbiter, si tamen hæredem relinquere
 velit, vtique rationi consentaneum est, vt non nudum nomen hæredis, sine re habeat,
 quippe cum sine re successio iuris, & familiæ quasi inanis quædam & vana res sit: cui ac-
 cedit ratio cautionalis, quòd hæc res vel ipsius testatoris causa inducta videretur, ne, si aliter
 fiat, nemo inueniatur, qui illi velit esse hæres: quod tum quidem triste priuatim per se est,
 tum publicè inutile. nam reipublicæ interest, successiones familiarum conseruari. T. In-
 telligo. C.A. Verba autem legis Falcidiæ primo capite sunt: *Qui ciues Romani sunt, qui
 eorum post hanc legem rogatam testamentum facere volet, ius potestasque esto, vt hac
 lege sequenti licebit.* T. Teneo. C.A. Verba autem secundi capituli sunt: *Quicumque
 ciuis Romanus post hanc legem rogatam testamentum faciet, is quantam cuique ciui
 Romano pecuniam iure publico dare, legare volet, ius esto, dum ita detur legatum, ne
 minus*

minus quàm partem quartam hæreditatis, eo testamento hæredes capiant, eis quibus quid ita datum legatumve erit, eam pecuniam sine fraude sua capere liceto. Isque hæres, qui eam pecuniam dare iussus damnatus erit, eam pecuniam debet dare, quam damnatus est.] T. Optimè. C.A. Planè *Si cui plus quàm per legem Falcidiam licuerit, legatum esse dicitur*, sic ut res sit dubia, subuenit Prætor hæredi, iubens legatarium ei satisfacere: ut si apparuerit eum ampliùs, quàm per legem Falcidiam licet, accepisse; quanta ea res erit, tantam pecuniam det, dolusque malus absit: quæ quidem cautio, non ex interna ratione pendet, sed contra eam est, proficiens ex utilitate externa, quo vltima voluntas quàm citissimè mandetur executioni: nam alioqui ipso iure non deberet quicquam ampliùs dari legatario, quàm quod manifestè constaret non esse contra legem Falcidiam: sed quoniam res sæpe est dubia, placuit eam explicari per hanc satisfactionem, qua utique magis cautum est hæredi propter fideiussionem, quàm si sine ea nudam ad repetendum quod supra Falcidiam datum esset actionem haberet. atque ex his quidem principiis, ferè omnes satisfactiones nascuntur, ut usufructuaria, Mutiana, & similes. pertinetque ad hunc tractatum Nouella de hæredibus, & Falcidia, & si hæres legata soluere noluerit. T. Nunc *Ad senatusconsultum Trebellianum* (de quo & Codicis Institutionumque sunt Rubricæ) quid dicis? C.A. Planè cum eum qui totam hæreditatem ex fideicommissio restituit, actionibus hæreditariis liberari, & in fideicommissarium eas transire placuerit, ut, secundum principia Physica, qui sentit commodum, sentiat & onus (qua de re verba Senatusconsulti sunt: Cum esset æquissimum in omnibus fideicommissariis hæreditatibus, si qua de his bonis iudicia penderent, ex his eos subire, in quos ius fructusque transfereretur, potiùs quàm cuiquam periculosa esse fidem suam: placet ut actiones quæ in hæredem, hæredibusque dari solent, eas neque in eos, neque his dari, sed his, & in eos quibus ex testamento fideicommissum restitutum fuisset, quo magis in reliquum confirmetur supremæ defunctorum voluntates) tum ad similitudinem legis Falcidie (quod sæpe fieri ostensum est superiùs) comparatum est, ut quicumque ex fideicommissio aliquid restituit, siue totum siue partem, si quidem minus haberet quàm quartam partem hæreditatis, id ei liceat retinere, vel repetere si datum est. T. Rectè. C.A. Cuius quidem ratio inde pendet, quòd fideicommissa per omnia æquata sunt legatis: nam tametsi quidem reuera inter vtrumque aliquid interest, secundum ea quæ supra diximus, propter utilitatem tamen externam, & difficultates multas, & rerum confusiones, & litium multiplicationes vitandas, sæpe conuenit ut res non nihil diuersæ inter se confundantur, & eodem iure censeantur, quemadmodum de actione recepticia, & de constituta pecunia, deque rei uxoris & ex stipulatu actione, & aliis similibus, factum videmus. Nec alia ratione constat, quòd de æstimatoria actione supra traditum est, & quod alibi facit Iustinianus, de contractu emphyteutico: nam uti in nonnullis propter utilitatem conuenit distincta confundere: ita in aliis è re est, confusa & dubia distinguere, & seorsim ponere. Nam tametsi quidem subtili ratione ostendi fortasse posset, æstimatoriam actionem vel ad emptionem & venditionem, vel ad locationem & conductionem, vel ad mandatam pertinere, item emphyteusim ad emptionem, venditionem, vel locationem, conductionem: quia tamen res erat controuersa & dubia, utilius visum est, in medio, secundum principia extraordinaria, id relinquere, & propriam tam rei æstimatorie, quàm contractui emphyteutico actionem dare: quæ omnia homini vero iuriconsulto ac politico futuro, diligenter sunt noranda. pertinentque ad hunc tractatum fideicommissorum Nouellæ de constitutionibus, & ut restitutiones fideicommissi vsque ad vnum gradum consistant. T. Probè. C.A. Et quidem cum his rebus diminuantur legata, augentur si hæres in mora est, quo minus præstet ea: nam post litem contestatam non solum fructus debentur, sed & vsuræ; ut docet titulus Codicis, *De usuris & fructibus legatorum seu fideicommissorum*.

De acquirendis legatis & fideicommissis.

TITVLVS XVII.

T. PEREST de acquirendis legatis nunc ut differas. C.A. In hac re videndū est quando dies legati cedat, & quomodo in iis caueatur. T. Quid autem dicis, *Quando dies legatorum vel fideicommissorum cedat*, de quo & Codicis est titulus? C.A. Enimverò scire oportet, inter cessionem legati & petitionem hoc interesse, quòd cedere dies legati tum dicitur, cum legatum incipit deberi: quod debitum ad hæredem transmitti potest, si legatarius fortè moriatur; peti autem tum potest, cum sublatis omnibus obstaculis, exigì potest debitum quod

iam antè natum erat. T. Audio. C.A. Et quidem quantum ad vtrumque attinet, regulariter dies omnis legati cedit (nisi aliud natura rei legatæ exigat) per mortem testatoris: nam cum per eam perficiatur donatio testamento facta, necessariò sequitur, vt & nascatur obligatio, siue debitum quod ex ea proficiscitur. Sed quoniam hoc debitum eius naturæ est, vt præstari debeat ab hærede, secundum definitionem legati, vti que verum est, tamen si natum est, peti nondum posse, nisi vbi per aditionem aliquis fuerit factus hæres, à quo peti poterit, & qui præstationem hanc faciat. T. Intellico. C.A. Cui accedit, quòd licet in diem legatum relictum sit, cedat tamen per mortem testatoris, tamen si peti ante diem non possit. Cuius ratio est, quia cum tempus quod foris est positum, non sit modus inducendæ vel tollendæ obligationis, quâ vti que à voluntate hominis vel iuris proficisci constat, tempus quod legato adiicitur, nõ ad cessionem, sed ad petitionem refertur. T. Teneo. C.A. Quamquam secus est in legato conditionali, quod non cedit nisi existente conditione: quoniam secundum principia physica, vnde omnia hæc manant, conditionis ea est natura, vt voluntatem ipsam, vnde obligatio nascitur, suspendat, donec vel extiterit, vel defecerit. T. Rectè. C.A. Et dixi quoque, cessionem, ita vt iam traditum est, se habere, nisi aliud natura rei legatæ exigat: quoniam sunt quædam res quæ in rerum natura non prius sunt, nec esse intelliguntur, quàm re ipsa ad actum deducantur, aut deduci possint. quod quidem quoniam non fit nisi dies venerit, traditum est in iis non ante diem cedere, quàm cum simul & venit. Et ideo si vsusfructus legatus sit, non cedit dies per mortem testatoris (vt antè tractum est) nisi & venerit per aditionem hæreditatis. Ratio autem est, quia cum vsusfructus sit ius vtendi fruendi, id ipsum ius potestatis cuiusdam est præsentis, quæ vti que in rerum natura esse videri non potest, nisi petitio eius re ipsa iam competat, nec vllum iuris obstaculum habeat, quo minus exerceatur. T. Probè. C.A. Ac quod dicas per mortem testatoris aliquod saltem ius quæsitum esse, id quidem non est ius vtendi fruendi, sed ius habendi ius vtendi fruendi adita hæreditate, quod non inducit cessionem ipsius vsusfructus, sed potius certam spem habendi vsusfructus. De qua quidem certa spe amplius dispici posset, si ad hæredem transmitti posset. Sed quoniam nec ipse quidem vsusfructus ad hæredem transit, propter causam externam, ne scilicet inutilis reddatur proprietas, abscedente semper vsusfructu, multo minus spes eius ad hæredem transire debet. T. Iam quoniam autem modo cauetur in legatis? C.A. Equidem si adita hæreditate, vel agnita bonorum possessione, sint aliqui legatarij, quorum dies legati expectatur, vel conditio pendet, his (ne forte interim bona dissipentur ab hæredibus) permittitur cautionem exigere de legatis, sua die vel adueniente conditione præstandis, quod ex cautionalibus principiis, & ex mala hominum fide nascitur. T. Bene habet. C.A. Et nisi cautio hæc præstetur, poterit legatarius impetrare missionem, non quidem in rem; nam eam sublatam esse, supra traditum est, sed in possessionem bonorum, legatorum vel fideicommissorum seruandorum causa. Cuius quidem possessionis non ea vis est, vt aliquò modo pro dominio habeatur, aut hæredem extrudat, sed solùm vt sit pro custodia, dum iam ipso hærede domino possidet; nec non vt hæres hac re tædio affectus, cautionem quam petit præstet, quo facto mox tenetur à possessione discedere, vt demonstratur sub Rubricis: *Vt legatorum seu fideicommissorum seruandorum causa caueatur. & Vt in possessione legatorum vel fideicommissorum seruandorum causa esse liceat. cum quibus congruit titulus Codicis, Vt in possessione legatorum vel fideicommissorum seruandorum causa mittatur, & quando satisfdari debeat.*

LIBER VNDECIMVS.

De iudiciis pratoris.

TITVLVS I.

T. **P**ERCVRSIS iudiciis civilibus, agè tranſeamus nunc ad pratoria, quæ ſecundo loco poſuiſti. C.A. Sit ita ſanè. Et cum ſuprà demonſtratum ſit, ad iuſtitiam in rempublicam inducendam, tum quidem legibus opus eſſe, ad ciuitatem certo iure fundandam; tum verò magiſtratibus, ad ius executioni mandandum, & id ipſum ſi quando opus ſit iuuandum & corrigendum, intendendumque aut remittendum, prout res poſtulat, quibus vtriſque accommodata ſunt iudicia, per quæ magiſtratus legum iuſſa exſequuntur: certè quemadmodum ſuperiora iudicia iuris ſunt ac legum, ita hæc ſunt magiſtratum ſive Prætorum, à quorum iuriſdictione manarunt. quæ quidem cum initio eſſent annalia, poſt, vt accidere ſolet, facta ſunt perpetua, ſuntque tum quidem exſequendi, tum verò corrigendi, tum etiam ſupplendi iuris civilis gratia conſtituta. **T.** Quoniam autem pacto diuiduntur? C.A. Quoniam omnis iuriſdictione Prætoris mixti ferè imperij eſt, ea mixtura ſic ſeſe habet (quemadmodum & ſuprà tractatum eſt) vt iudicia prætoria omnia, alia plus habeant imperij quàm iuriſdictionis, alia plus iuriſdictionis quàm imperij, alia æquas vtriuſque partes. **T.** Quæ ſunt primi generis? C.A. Bonorum poſſeſſiones: de quibus primò loco dicemus, vt ſucceſſionis materiam, de qua proximè tractatum eſt, continuemus, & ſarta tecta. **T.** Quæ ſecundi? C.A. Ea partim ſpontaneæ ſunt iuriſdictionis, vt donationes, & manumiſſiones, & quæ cum his ſunt connexa: partim contentioſæ, vt rerum poſſeſſiones, vnde res iudicatæ dependent; interdicta & exceptiones, quæ circa poſſeſſionem verſari vti que conſtat. **T.** Quæ tertij? C.A. Stipulationes prætoriz: cum quibus & de civilibus tractabitur. Nam quemadmodum iudiciis civilibus quædam etiam prætoria, propter continentiam materiz, admixta eſſe iam audiuiſmus: ita & cum prætoris quædam civilia ſubinde miſcebuntur. Sed dicemus ordine de ſingulis.

De bonorum poſſeſſionibus.

TITVLVS II.

T. **P**RO primò, *De bonorum poſſeſſionibus* (de quibus & Inſtitutionum eſt titulus) quid habes dicere? C.A. Bonorum poſſeſſio eſt ius perſequendi retinendique patrimoni, ſive rei quæ cuiuſque, cum moritur, fuit. Ac intelliguntur quidem bona vniuerſitatis cuiuſque ſucceſſio, qua ſucceditur in ius demortui, ſuſcipiturque eius rei commodum & incommodum: nec differt alia re bonorù poſſeſſio, à legitima hæreditate, quàm quòd hæreditas à lege, bonorum poſſeſſio à Prætoris ſecundario legiſlatore deferretur; & quòd hæreditas propriè ſucceſſio eſt iuris & familiæ, quod à perſona manat ad res: bonorum autem poſſeſſio non ſucceſſio perſonæ & familiæ eſt, ſed ius poſſidendi patrimoni, & rerum alicuius defuncti, quod à rebus manat ad perſonas. Ac quamquam quidem hoc modo ſubſtantia inter ſe differunt, effectus tamen in plerisque idem eſt, ſic vt bonorum poſſeſſiones in omnibus tam commodis quàm incommodis, & aliis, vice hæredum habeantur. **T.** Intelligo. Sed quando hæreditas à lege iam conſtituta erat, quid opus erat bonorum poſſeſſionem inducere? C.A. Quoniam hæreditas non aliter obtineri poteſt, quàm ſecundum præſcripta legum, ſecundum quas, quia ſæpe eueniebat, vt ab hæreditate excludatur is qui ex bono & æquo minimè eſſet excludendus: id animaduertens Prætor, & cupiens æquitati fauere, vt debet, & tamen nolens legem civilem tollere, nec etiam poteſtatem habens vt id faceret, neque item videns bono reipublicæ conuenire vt fieret, rationem inuenit per bonorum poſſeſſiones, vt tum quidem quod æquum eſt fiat, & ſua cuique iuſta conſeruentur, tum autem ius ipſum civile integrum maneat & illæſum. adeò ſæpe fit, vt quæ directò commodè fieri nequeunt, per circuitiōnem non malè (vt ſuprà traditum eſt) efficiantur. **T.** Verum. C.A. Sed hæc quidem cum in genere circa bonorum poſſeſſiones ita ſe habeant,

beant, sciendum est speciatim, omnem bonorum possessionem vel exstantibus tabulis testamenti dari, siue de ingenuorum hominum successione agatur, siue libertinorum, vel non exstantibus tabulis. de quibus separatè distinctèque agemus.

De bonorum possessione exstantibus tabulis, quæ ad ingenuos pertinet.

TITVLVS III.

T. **X**STANTIBVS tabulis, quænam competit inter ingenuos bonorum possessio? C.A. Quæ exstante testamento & nomine hæredis defertur. Sed *Si tabula testamenti exstabit, & tamen nomen hæredis ita deletum est vt legi nequeat, non potest eo nomine hæredi vlla competere bonorum possessio, quoniam ignoratur, nisi fortè post prolatas tabulas, & nomen cognitum id factum sit: tum enim non nocet quo minus bonorum possessio tamquam exstantibus tabulis petatur, dummodo intra legitimum tempus centum dierum vitium, ex quo testatorem nouit mortuum, petatur, vt habet titulus Codicis, Qui admitti ad bonorum possessionem possunt, & intra quod tempus.* T. Intellego. C.A. Quo quidem tempore elapso non potest ampliùs peti, nisi fortè agatur *De bonorum possessione furioso, infanti, muto, surdo, cæco competenti.* De qua traditum est, non nocere iis, nec qui ipsis substituti sunt, si curatores eorum intra tempus ad petendam bonorum possessionem præstitutum officium non faciant: nam vt iis profint dantur, non verò vt noceant. Et si mutus, surdus, cæcus, id quod agatur intelligant, possunt ipsi bonorum possessionemmittere. T. Rectè. C.A. Et si pluribus competat bonorum possessio, non petentium partes, vel repudiantium, de quibus est Rubrica Codicis, *De repudianda bonorum possessione, petentibus accrescere, docet Rubrica Codicis, Quando non petentium partes petentibus accrescant.* quæ res perinde habetur, atque si illi soli essent quibus bonorum possessio competit. T. Probè. C.A. Planè est autem omnis bonorum possessio, quæ exstantibus tabulis competit, duplex: vna contra tabulas, & altera secundùm tabulas. de qua vtraque explicabimus. T. *De bonorum possessione contra tabulas, quid dicis?* C.A. Ea est quæ liberis propriè competit (vnde titulus Codicis est, *De bonorum possessione contra tabulas, quam Prætor liberis pollicetur*) in testamento paterno præteritis, hoc est, neque institutis, neque vt oportet exhæredatis, siue naturalibus, siue adoptiuis. Nam cum iis, si quidem in potestate sint, permissum sit ipsum testamentum paternum, tamquam nullum, expugnare, & sic succedere secundùm ea quæ suprâ dicta sunt, quod grauius est; vtique non est iis denegandum, vt bonorum possessionem contra tabulas capiant, quod est mitius & benignius: nam cui quod plus est licet, non debet quod minus est non licere. quamquam in exhæredatis hoc locum non habeat, propter expressam patris voluntatem, contra quam veniri non debet, nisi per inofficiosi querelam expugnetur, quod facere poterit si velit. Atque huic quidem bonorum possessioni cum est locus, tria omnino veniunt in considerationem. T. Dic primum. C.A. Id autem est, *De legatis præstandis contra tabulas bonorum possessione petita.* Nam si fortè filius emancipatus obrinuit bonorum possessionem contra tabulas, tamquam præteritus, quod sanè prætores, seruientes magis naturali coniunctioni, quàm ciuili rationi, qua pater non cogitur filium emancipatum instituere vel exhæredare, à cuius formulis mutatis moribus Romanorum & ad lenitatem reductis paulatim recedi cœpit, introduxerunt; is, quamuis hoc modo tacitè & per obliquum paternum testamentum expugnatum sit, tamen tenebitur ex eo, si non externis, in quibus non est tantus fauor, saltem coniunctis & fauorabilibus personis (nam personarum qualitates diligenter considerandas esse, suprâ traditum est) sua legata præstare, cuiusmodi sunt liberi defuncti, vxor, parentes, nurus dotis nomine, & similes quibus pietas debetur: & ob id filius emancipatus inuidere non debet id quod iis legatum est, cogitans, tametsi quodam modo nouum est, ex testamento expugnato legata præstari, nouum quoque esse, & ex solo fauore inductum, quod ad bonorum possessionem ipse admittatur. Secus autem est, si filius, qui in potestate est, contra tabulas bonorum possessionem à Prætorè petat: nam nulla legata præstabit, quia etiam suo iure posset ab intestato succedere, cum testamentum patris sit ipso iure nullum, & proinde nocere ei non debet, quod mitiùs egerit, & honori patris pepercerit. T. Dic alterum. C.A. Illud verò est, *De collatione bonorum.* Nam cum Prætor admittens ad bonorum possessionem contra tabulas emancipatum, æqualem eum facit filiofamilias, in commodo successione paternæ, æquum est, vt æqualis quoque sit in bonorum collatione. Et ideo cum omnia quæcumque filiusfamilias lucratur, cedant patri, & bonis illius applicentur, æquum visum est, vt filius emancipatus, volens bonorum possessionem contra ta-


bulas

bulas petere, bona quæ habet, quantum ad filium familias, non autem extraneum hæredem pertinet, in medium conferat, vt hac ratione ad æqualitatem, quæ inter fratres esse debet, res redigatur. Vnde Vlpianus, Hic titulus, inquit, manifestam habet æquitatem, cum enim Prætor ad bonorum possessionem contra tabulas emancipatos admittat, participesque faciat, cum his qui sunt in potestate, bonorum paternorum; consequens esse credit, vt sua quoque bona in medium conferant, qui appetunt paterna, T. Intellego. C. A. Qua quidem ratione comparatū quoque est, vt filia quæ contra tabulas ad bonorum possessionem, vel alio modo ad successionem patris admitti petit, dorem quam accepit conferat, vt *De dotis collatione* traditur. Sed si dote contenta ab hæreditate paterna in totum abstineat, non tenetur ad collationem: nam quod habet, non ex successione, sed ex liberalitate paterna habet: quod non est ei auferendum. Ac complectens quidem vtramque hanc collationem titulus Codicis, *De collationibus* inscribitur. T. Dic porro tertium. C. A. Id autem pertinet ad liberos filij emancipati petentis bonorum possessionem contra tabulas, qui in aui testatoris potestate manserunt, quibus certum est, propter patriam potestatem, hæreditatem aui iure civili deberi, excluso patre emancipato. Et ideo quod ille admittitur, per bonorum possessionem contra tabulas cum iniuria liberorum fieri constat, atque ita iurisconsulti ipsi produnt. Cuius iniuriæ moderandæ causa, & vt simul patri, tamquam filio aui, propter naturalem rationem faueatur, scinditur res per medium (vti nonnumquam secundum principia extraordinaria fieri debere, supra probatum est) sic vt dimidium patri, dimidium liberis eius cedat. Et si quid habeat bonorum, hoc ad communem vtilitatem cum filiis conferre debet. Aded vt si fratres qui in potestate manserunt habeat, & filios quos dico, collatio fieri debeat cum filiis, quibus solis fit iniuria, non autem cum fratribus, quibus nihil detrahitur: nam siue cum solis nepotibus succedant, siue cum patre eorum, fratre suo, æquè multum ferunt. Quæ est summa eorum quæ tractat titulus, *De coniungendis cum emancipato liberis eius*. T. Optimè. C. A. Et quidem quemadmodum iis qui in rebus humanis sunt, per bonorum possessionem succurrit Prætor: ita & iis qui in vtero sunt, propter spem nascendi & fauorem, idem beneficium tribuit; quoniam in multis, qui in vtero est, pro iam nato habetur. Et ideo si id quod in vtero erit, inter suos hæredes est futurum: mittitur venter in possessionem, vice contra tabulas bonorum possessionis, daturque curator tam ventri quam bonis, qui ne quid secus fiat, quam oportet, curæ habet. Qua de re est Rubrica, *De ventre in possessionem mittendo, & curatore eius*. T. Teneo. C. A. Sed & si impuberi, cuius nomine petitur bonorum possessio, controuersia fiat, an inter liberos sit: Prætor causa summatim cognita (nam propter alimenta res dilationem non patitur) si non manifestè calumniam à parte impuberis inueniat, sed causam ambiguam, hoc est, vel modicum pro puero facientem (secus autem si manifesta appareat calumnia) dabit ei Carbonianam possessionem; quæ perinde se habet, atque si nulla ea de re controuersia esset, idque dilato secundum principia extraordinaria iudicio in tempus pubertatis, ne de statu suo periclitetur antequam se tueri possit, nisi fortè tam expedita causa impuberis reperiatur, vt nihil habeat difficultatis; quo casu aut stulti aut iniqui Prætoris esset, rem in tempus pubertatis differre cum summo eius incommodo (nam multa medio tempore possent interuenire) cui consultum velit: vt traditur sub titulo, *De Carboniano edito*, qui & in Codice exstat, & à Carbone Prætoris nomen habet. T. Iam *De bonorum possessionibus*, siue *possessione*, vt habet titulus Codicis, *secundum tabulas*, quid ais? C. A. Ex inductæ sunt in consequentiam (nam hoc sæpe fieri, suo loco probatum est) bonorum possessionis contra tabulas: quoniam si ei fauemus qui iudicium paternum expugnatum venit; quanto magis ei fauendum est, qui secundum tabulas paternas possessionem bonorum sibi dari postulat! Nam tamen si quidem honorificentius est, solenniter adire hæreditatem; expeditius tamen est & facilius, petere bonorum possessionem. T. Probè narras. C. A. Atque hæc quidem cum iura liberorum sint circa bonorum possessionem, secundum parentis tabulas, vel contra; è diuerso circa bonorum possessionem parentum, contra liberorum tabulas: scribit Vlpianus sub titulo, *Si à parente quis manumissus sit*, hoc modo: Emancipatus à parente in ea causa est, vt in contra tabulas bonorum possessione, liberti patiatur exitum, quod æquissimum Prætori visum est, qui à parente habuit beneficium bonorum quærendorum: quippe si filius familias esset, quodcumque sibi acquireret, eius emolumentum patri quæreret. Et ideo itum est in hoc, vt parens exemplo patroni (nam ad exemplum multa constitui, antè traditum est) ad contra tabulas bonorum possessionem admittatur. Nam cum patria potestas quasi speciem quandam seruitutis filio imponat, emancipatio manumissionis similitudinem gerit, sic vt etiam eodem nomine hîc appelletur. T. Optimè. C. A. Ac quantum ad bonorum possessionem

sessionem secundum tabulas artinet, ea locum habet non solum ex testamentis pagano-
rum, sed & ex iis quæ iure militari facta sunt: idque siue ipsorum sint militum, inter quos
in classibus etiam remiges & nauæ numerantur; siue aliorum qui in hosticolo & procinctu
versantur. de quibus Vlpianus sub titulo, *De bonorum possessione ex testamento militis*, Om-
nes, inquit, omnino qui eius sunt conditionis, vt iure militari testari non possint, si in ho-
sticolo deprehendantur, & illic decedant, quomodo velint, & quomodo possint, testaban-
tur, siue præses quis sit prouinciæ, siue legatus, siue quis alius, qui iure militari testari nõ po-
test.] Nam cum eadem pericula experiantur, iura quoque eadem merito sibi vendicant.

De bonorum possessione qua ad libertinos pertinet.

TITVLVS IIII.

T.  **I**s nunc porro de illa parte bonorum possessionis te interrogem quæ ad
libertinos pertinet, de quibus tractant tituli Institutionum, De serui co-
gnatione, De successione libertorum, De assignatione libertorum? C. A. Vo-
lo sanè. & quidem quoniam hæc res inter patronum & libertum potissi-
mum versatur, clarioris doctrinæ gratia primò de iure patronatus dice-
mus, & obsequiis patronis præstandis, nec non operis libertorum; post verò de bonis eo-
rum, & quæ inde dependent. **T.** *De iure patronatus* (de quo & Codicis est Rubrica, cum
titulo, *De bonis libertorum*, coniuncta) quid ais? C. A. Enimvero cum summum sit patro-
ni beneficium, quo hominem seruum, qui pro mortuo habetur, ad libertatem, hoc est, vi-
tam perducit; comparatum est, vt multis modis eo nomine libertus patrono, & eius liberis
obligetur; quod ius patronatus dicitur: cuius ea inter cætera vis est, vt moriente liberto,
siue testato, siue intestato, patronus optionem habeat, vt vel ea petat quæ libertatis causa
expressim imposita sunt, vel possessionem certæ partis bonorum. **T.** *De obsequiis autem
parentibus & patrono præstandis*? C. A. Enimvero quemadmodum filio patris, secundum
principia moralia à natura insita, ita & liberto patroni semper honesta, ac sancta, & inuiola-
ta debet esse persona. Et quidem cum omnia obsequia præstare ei debeat, non potest sine
permissu Prætoris in ius eum vocare, & multo minus de vi aut dolo eum accusare, aut iu-
ramentum calumniæ ab eo exigere. Nam dominis, inquit D. Petrus, & multo magis pa-
rentibus, & patronis, etiam dyscolis, est parendum. Quia enim Dei vicarij sunt, eiusque
imaginem ac similitudinem referunt, nomina eorum sacrosancta sunt habenda; vt & sub
titulo Codicis, *De obsequiis patrono præstandis*, videre licet. Et quidem ea vsque adeo de-
bentur, vt si non præstentur, & ingratum se libertus exhibeat, in seruitutem reuocari pos-
sit; vt docet titulus Codicis, *De libertis, & eorum liberis*. **T.** *De operis denique libertorum,*
de quibus & Codicis est titulus? C. A. Planè cum certas operas iis imponere ferè moris sit,
hæ, quatenus officiales sunt, quæ in ministerio personali & officio consistunt, ad hæredem
non transeunt; quatenus verò fabriles, quæ in rerum ac pecuniarum præstatione cernun-
tur, transeunt. Sed ne modum patroni in operis exigendis excedant, cautum est ne tur-
pes aut legibus damnatæ operæ exigantur, nec aliæ quæ ætatis, sexus, dignitatis, valetudi-
nis, honestatis rationem egrediuntur. **T.** Nunc *De bonis libertorum*, & quæ inde dependen-
t (de quibus & Codicis est titulus, nec non Institutionum de successione libertorum)
quid ais? C. A. Sanè cum patroni olim durissimas res à libertis exigere soliti essent, scili-
cet ad remunerandum tam grande beneficium quod in libertos confertur, cum ex serui-
tute ad ciuitatem Romanam perducuntur, ea res occasionem dedit Prætori: quemadmo-
dum sæpe fieri solere, antè audiuimus (nam ex malis moribus, bonæ leges, vt vulgo dicitur)
vt modum ei rei poneret. Itaque edixit, se non amplius quàm de duobus, contra libertos
daturum actionem, de operis scilicet, de quibus iam diximus; & de societate, si fortè ob-
sequium non præstaret, sed in re sua negotiaretur. Nam cum olim patroni societatem fe-
rè inire solerent cum libertis negotiantibus, aut aliter rem facientibus; inde paulatim indu-
ctum est, vt ipso iure quædam quasi societas inter vtrumque esse censeatur: cuius societa-
tis nomine sit, vt post mortem liberti, patrono dimidia pars bonorum eius comperat (quasi
scilicet ea sit natura societatis, vt si aliud dictum non sit, in æquas partes res diuidatur)
quam partem patronus tum quidem ab intestato habet; tum verò per bonorum possessio-
nem contra tabulas, si fortè aliter quàm oportet, libertus fuerit testatus. de qua re est &
titulus Codicis, *De bonorum possessione contra tabulas liberti, qua patronis liberisq; eorum
datur*. **T.** Probè. C. A. Et verò quod iuris est in libertis singulorum, idem etiam obser-
uatur *De libertis vniuersitatum*, siue municipum: qui quidem licet cuncti difficilè con-
sentire possint de bonorum possessione petenda, per alium tamen facilè possunt, nempe
per

per syndicum suam, qui res eorum agens, vnam personam repræsentat, & petitam bonorum possessionem vniuersitati acquirit. T. Audio. C.A. Nec verò cum patroni persona hoc ius moritur, si fortè ante libertum decedat, sed & transit ad filios in potestate ex iustis pupillis quæ sitos, qui maximè vnæ eademque persona cum defuncto sunt, ex quibus si patet vnus de legorū cui libertum assignauerit, cum non minus patronum atque defunctum agnoscere debet, vñ in titulo, *De assignandis liberis* (de qua re. & Institutionum est Rubrica) traditur, vbi verba senatusconsulti sunt hæc: Si qui duos pluresve liberos iustis pupillis quæ sitos in potestate habens, de libertate, libertate sua significasset, cuius ex liberis suis eum libertum, eamve libertam esse veller: is eave, quandoque is qui eum eamve manumissum esse viuos vel testamento, in ciuitate esse defuisse, solus ei patronus, solusve patronus esset, perinde atque si ab eo eave libertatem consecutus consecutave esset, vñque si ex liberis quis in ciuitate esse defuisse, neque oī libori vlli essent: cæteris eius liberis qui manumississet, potius omnia iura ferrentur, ac si nihil de eo libertate, eave liberta is parens significasset. T. Tunc. C.A. Atque in his omnibus, *Si quid in fraudē patroni factum sit*, quo minus ille id quod conuenio assequatur, Prætor, ne id ei noceat (nam nihil iustitæ magis contrarium quàm dolus) curæ habebit, idque siue per testamentum id fiat, siue per alienationem, vt habet titulus Codicis, *Si in fraudem patroni à libertis alienatio facta sit*, siuo alio modo, verba Vlpiani sunt: Si quid dolo malo liberti factum esse dicitur, siue testamento facto, siue intestato: libertus decesserit, quo minus quàm pars debita bonorum ad eorum quem perueniat, qui contra tabulas bonorum possessionem accipere possant, cognoscat Prætor, & operam dat ne ea res ei fraudi sit.

De bonorum possessione, & aliis successioneibus, non exstantibus tabulis.

TITVLVS V.

T. QVANTVM VDLVIMVS de bonorum possessionibus quæ exstantibus tabulis competunt: nunc de iis dicas velim quæ competunt, *Si tabula testamenti nulle exstant*. C.A. Enimvero hac in re duplex est inspectio: vna Prætoria, & altera civilis. T. Prætoria quænam est? C.A. Cùm nullo condito, aut ad effectum deducto testamento, bonorum possessio conceditur. Nam quamquam quidem legitima est successio ab intestato, quædam tamen sunt & faciliora, & expeditiora, & diuersa in prætoria bonorum possessione, quàm in successione civili. T. Intellego. C.A. Ac defertur quidem hæc bonorum possessio per quatuor gradus, secundum diuersas partes edicti, ex quibus prima ea pars est, vnde liberi ad bonorum possessionem admittuntur; secunda, vnde legitimi; sequens, vnde cognati; & vltima, vnde vir & vxor, de quibus tituli à primis verbis edicti sunt desumpti. T. Quid? de ea parte *Vnde liberi* admittuntur, quid ais? C.A. Eam primo loco ob id positam esse dico, quoniam in omni successione, prima, secundum principia Physica & moralia, ratio est liberorum, siue ex testamento, siue ab intestato succedatur. Et quidem eum Rubrica ista hic cum superiore coniungatur, in Codice seorsim per se ponitur. T. Quid de ea, *Vnde legitimi*? de qua re & in Codice est titulus. C.A. Nimirum vt deficientibus liberis, proximè admittantur legitimi: qui quidem sunt omnes consanguinei, tam femine quàm masculi, quos lex duodecim tabularum, vel alia, aut senatusconsulta, ad successionem ab intestato vocant, siue illi agnati sint, hoc est, per masculinam lineam coniuncti, siue cognati, per femininam: vnde & qui quæcūq; ex senatusconsulto Orphiciano aut Terrylliano succedere possunt, hanc habent bonorum possessionem. T. Iam quid de ea, *Vnde cognati*? quæ & in Codice cum superiore coniungitur. C.A. Hæc bonorum possessio ex mera indulgentia (de qua supra audiuimus) Prætoris est, & naturali æquitate proficiscitur, qua sanguinis ratione admittuntur omnes cognati, siue per masculum, siue per feminam coniuncti, qui nullo iure civili ad successionem vocantur. Ac sunt quidem cognati appellati, quasi ex vno nati, aut; vt Labeo ait, quasi commune nascendi initium habuerint. T. Rectè. C.A. Admittuntur autem hi cognati ordine (secundum principia ex natura iustitiæ ducta) vsque ad septimum gradum cognationis, sic vt prioribus omittentibus, vel repudiantibus (de quo supra ex Codice dictum est) posterioribus fiat locus. Ad quam rem per titulum, *De successorio edicto* (qui & in Codice exstat) certum tempus, centum scilicet dierum præstitutum est (nisi quod parentibus & liberis, qui propriè ad sua vocantur, plus temporis in honorem sanguinis tributum est) intra quod dispicere debent, vtrum petere velint, an omittere, ne scilicet bona diutius vacua iaceant, sine domino, & creditoribus per longiorem moram iniuria fiat. T. Probè. C.A. Et sunt quidem gradus cognationis sic dicti, à similitudine scalarum locorumque procliuium: qui alij superioris ordinis sunt, vt si à filio ad patrem, auum, præauum,

proauum, abauum, atauum, tritauum, & alios maiores recta linea adscendas; alij inferiori, vt si à patre ad filium, nepotem, pronepotem, abnepotem, atnepotem, trinepotem, & alios minores descendas; alij ex transfuerso, qui non per rectam lineam, sed à latere coniunguntur, vt frater soror, patruus amica, auunculus matertera, patruelis consobrinius, & sic deinceps. T. Teneo. C. A. De quibus quidem gradibus computandis (quod pertinet titulus Institutionum, De gradibus cognationum) & affinitatibus, & nominibus eorum, cum quaeritur; primum, quantum ad gradus computandos, primo loco adscendendum est ad eandem originem, & post descendendum ad eum quoque ritus quotenam gradu mihi siquid vnde numerus ipse graduum mox per se lucet. T. Qui sic autem? C. A. Nam si quaerant quoro gradu mihi frater sit, pono memetipsum filium, vnde adscendo ad communem patrem, qui mihi primo gradu est; & inde descendendo ad fratrem, qui secundo: sit quaerens de patre, ibidem ponens me filium, adscendo ad patrem meum, qui primo gradu est: deinde ad auum, qui secundo: post descendendo ad auum filium, patruum meum, qui tertio: à quo si porro descendam ad ipsius filium, patruelum meum, inuenio quarto gradu eum mihi conueni. Atque hoc modo facilis omnino est ratio computandorum graduum, quam nonnulli multis difficultatibus sine causa inuoluerunt. T. Intellego. C. A. Nec opus est in depingendis gradibus vllam personam hypotheticam (quam vocant) constituere (quod nouum inuentum est, contra veteres picturas, vt in antiquis libris manuscriptis videre licet) quoniam si adscendendum est, siue recta linea tantum adscendo, siue etiam ad latera iterum descendendo, pono me ipsum de cuius cognatione quaeritur, filium, si autem descendendum, pono me patrem: & hoc modo sine vlla erratione computatio procedit. T. Optimè sanè. C. A. Atque hæc quidem cum in cognationibus ita se habeant, nomina affinitatum sunt, socer socrus, qui loco patris sunt & matris; gener nurus, qui filij filia; vitricus nouerca, qui in causam patris & matris incidunt; & priuignus priuigna, qui in causam filij & filia. T. Nunc de ea parte edicti quid ais, *Vnde vir & uxor* (qui titulus & in Codice est) ad bonorum possessionem admittuntur? C. A. Ea est, qua deficientibus liberis legitimis, & cognatis, vir & uxor propter indiuiduam vitæ societatem inter se succedunt, dummodo iustum sit inter eos matrimonium, nempe secundum præcepta legum contractum, non autem si iniustum, vel diuortio iam diremptum sit. T. Intellego. C. A. Atque hæc locum habent non solum in paganis, sed & si *De veteranorum & militum successione* agatur, quibus ob fauorem, secundum principia externa, hoc etiam amplius tribuitur, vt si capite puniri meriti sunt, testamentum facere possint; & intestatorum bona, si puniti sunt, ad cognatos eorum pertineant: si tamen ex militari delicto, vbi privilegio est locus; non ex communi, vbi locum non habet, sunt puniti. T. Teneo. C. A. Et quidem quemadmodum de hæredibus institutis, & legatariis diximus, ita etiam nonnulli sunt, *Quibus non competis bonorum possessio*: nam si seruo meo hærede instituto, dolo feci quo minus testamentum mutaretur, non possum illius nomine bonorum possessionem secundum tabulas petere, ne contra bonæ fidei regulas ex dolo meo lucre. T. Audio. C. A. Et verò vti ex Prætoris edicto bonorum possessio datur, prout hucusque demonstratum est, ita quoque placuit, *Vt ex legibus senatusve consultis bonorum possessio detur*, si quæ fortè sint quibus hoc est constitutum; ne scilicet maioris sint auctoritatis secundarij quam primarij legum conditores: quod esse non debere, supra probatum est. Verba Prætoris sunt: *Vti cui quaque lege senatusconsulto bonorum possessionem dare oportebit, ita dabo.* T. Probè. C. A. Et si quaeras, *Quis ordo in bonorum possessione seruetur*; sanè intestati, vel quasi, hi gradus vocantur (vt supra demonstratum est) primum sui hæredes, deinde legitimi, tertio proximi cognati, deinde vir & uxor. Atque inter cognatos, prout quisque gradu cognationis prior est, ita prior vocatur; quo deficiente, succedit sequens. Ac deficit quidem, siue qui non exstat, siue is qui exstat, repudiat aut omittit bonorum possessionem, dum sciens prudens, & facultatem eius habens, intra legitimum tempus eam non petit: cæterum si aut nescierit, aut non potuerit, nulla, secundum principia ab hominis potentiis ducta, dubitatio est, quia dies ei non cedit. T. Quoniam de prætoris ratione dixisti, quæ non existentibus tabulis in successione seruetur; visne nunc porro de civili exponere? C. A. Equidè volo. & verò huius duo sunt capita. T. Quod est primum? C. A. *De suis & legitimis hæredibus*. Nam si quis intestatus moriatur, nullo condito testamento, aut ex quo non sit adita hæreditas: huic primo loco succedunt sui hæredes, hoc est, liberi, in potestate, vti quisque proximus; qui civili pariter & naturali ratione quasi eadem persona sunt cum defuncto: ad quos pertinet titulus Codicis, *De suis & legitimis liberis, & ex filia nepotibus ab intestato ueniensibus*, nec non Institutionum, De hæreditatibus quæ ab intestato deferuntur. Secundo consanguinei specialiter dicti, nempe qui ab eo sunt orti: nam generali nomine consanguineos

Cassius definit, eos qui sanguine inter se commixti sunt: & tertio agnati, hoc est, per virilem sexum illi coniuncti. Quorum quidem veteres Romani maiorem rationem habebant, quàm feminarum: quoniam per eos & familiæ propagantur, & respublica geritur ac defenditur, vt videre est sub titulo Codicis, *De legitimis heredibus*, & sub Rubricis Institutionum; De legitima agnatorum successione, De successione cognatorum. T. Quod est alterum caput? C.A. Quod *Ad senatusconsultum Tertullianum & Orphitianum* pertinet. Nam cum lege duodecim tabularum non ampliùs quàm de masculorum successione actum esset, ob rationem ciuilem iam dictam; procedentibus temporibus, mitiore & clementiore effecta republica, paulatim factum est, vt æquitatis naturalis habita ratione, etiam de feminarum successione agi cœperit: vnde tum quidem senatusconsultum Tertullianum manauit, quo mater liberis succedit, de quo est Rubrica Codicis & Institutionum; *Ad senatusconsultum Tertullianum*: tum verò *Orphitianum*, quo liberi matri, exclusis agnatis, quos illis præferri, durum, & contra principia Physica videbatur, vt demonstrat titulus Codicis & Institutionum, *Ad senatusconsultum Orphitianum*: quò etiam pertinet Rubrica, *De bonis maternis, & materni generis*. T. Rectè. C.A. Ultra quæ est quoque titulus Codicis generalis, *Communia de successione*. vbi varia ea de re mixtim tractantur, vt duo speciales: vnus *De bonis qua liberis in potestate patria constitutis, ex matrimonio vel aliàs acquiruntur, & eorum administratione*, nempe per patrem: & alter *De heredibus decurionum nauiculariorum, cohortalium, militum, & fabricensium*, quæ ipsis sine testamento, & hæredibus ab intestato decedentibus, non ad fiscum, sed ad corpus, cuius pars fuere, deuoluuntur. T. Intellego. C.A. Atque hæc quidem cum de successione ita se habeant, quæ pars & membrum sunt acquisitionis per vniuersitatem, tres sunt alij tituli Institutionum ad acquisitionem illam pertinentes: nempe, De acquisitione per arrogationem: De eo cui libertatis causa bona addicuntur, & De successione sublati, quæ fiebant per bonorum venditiones, & ex senatusconsulto Claudiano. T. Teneo. C.A. Pertinent quæ insuper ad totam hanc materiam successione ex testamento, & ab intestato Nouellæ, De triente & semisse, & successione filiorum, & nepotum, & naturalium, & collationibus, vel distributionibus, nec non & literarum aut numerationum, atque rerum ex quibus detinent inficiationibus. De filiis ante dotalia instrumenta natis. De successione eorum qui in Africa degunt. De decurionibus, vt filiis suis decurionibus dodrantem relinquunt. De iuramento à moriente præstito propter mensuram suæ substantiæ. De consanguineis & vterinis fratribus. Quibus modis naturales efficiuntur sui, & de eorum ex testamento, siue ab intestato successione. Vt liceat matri, & auix, & alijs parentibus post legitimam partem liberis derelictam, quomodo voluerint, residuam facultatem suam disponere. De hæredibus ab intestato venientibus, & de agnatorum iure sublato. Vt fratrum filij succedant pariter ad imitationem fratrum, etiam adscendentibus existantibus: & vt mulieres non insinuata antenuptiali donatione, non lædantur: non insinuans autem vir, vel si competat nuptiale lucrum, eo non fruatur: & rursus, vt mulieres non secundò nubentes, domine sint partis sponsalitiæ largitatis, quantum pars facit vnus filij: & vt similes sint poenæ vtriusque sexus, dum sine causa rationabili repudium mittitur. Vt deliberandi ius etiam ad impuberes transmittatur. Vt restitutiones fideicommissi vsque ad vnum gradum consistant. Renunciationes allegationum, ingratitude, inter parentes & liberos iugentium intra nonum diem, & constitutæ pecuniæ.

De fartis tectis.

TITVLVS VI.

T. **A** G E, post bonorum possessiones explicatas, de fartis tectis nunc exponito. C.A. Equidem hæc vel maximè ad Prætoris curam pertinent: & sunt eorum tria omnino capita. T. Quod est primum? C.A. *De operis noui nunciatione* siue (vt habet titulus Codicis) *De noui operis nunciatione*. Nam si te nouum opus, siue iure siue iniuria (nam hoc postea dispicietur) facientem ego ex causa testato tibi obnuncio siue prohibeo (quod vel sine Prætoris aditione, ob periculum in mora facere possum) ne pergas, tuum est (ne mihi fortè iniuria fiat) abstinere ab opere, donec caueas de demoliendo eo quod per iniuriam ædificatum erit. Qua quidem cautione ideo contentus esse debeo, quoniam mea ampliùs non interest, & dicat ratio naturalis, vt id patiar fieri quod mihi non nocet, alteri autem prodest: cui accedit, quòd reipublicæ interest, ne ædificia fieri impediuntur. T. Rectè. C.A. Ac videtur quidem nouum opus facere, qui aut ædificando, aut detrahendo aliquid pristinam faciem operis mutat:

tat: causæ autem ex quibus nunciamus sunt, aut iuris nostri conservandi causa, aut damni depellendi, aut publici iuris tuendi gratia: qua quidem ratione fit, ut in Codice circa hunc locum, tum quidem *De aedificiis privatis* tractetur; tum autem *De operibus publicis*; & *De rationibus operum publicorum*, & *de patribus civitatum*. T. Probè. C. A. Verba autem Prætoris sunt: Quem in locum nunciatum est, ne quid operis novifceret, quædæro agitur; quod in eo loco, antequam nunciatio missa fieret, aut in ea causa esset ut remitti deberet, factum est, id restituas.] Item: Quem in locum nunciatum est, ne quid operis novifceret, quæ de re agitur, si de e. re satisfidatum est: quod eius cautum sit, aut per te stat quo minus satisfidetur; quo minus illi in eo loco opus facere liceat, vim fieri veto.] T. Quod secundum est caput? C. A. *De damno infecto*, & *de suggrundis*, & *de protectionibus*, ex quibus ferè damnum metui solet; nam damnum infectum, propriè est damnum nondum factum, sed quod futurum veremur: veluti si fortè ædes tuæ ruinam minentur, quæ si caderent, meis ædibus damnum adferrent: quod quidem cum sit, quoniam non debet alteri per alterum iniqua conditio offerri, nec expectari donec damnum evenerit, sed antè si fieri potest, preveniri; permillum mihi est, quando quidem ad ædificandum vi compellere non possum, iurando non calumniæ causa me id facere (nam alioqui iniuria foret aduersarij, si nulla iusta causa subesset) ut postulem à te cautionem mihi dari, de damno, quod accideret, refaciendo; & nisi tu id factas, ego in possessionem rei tecum mittas, vè facultas mihi sit cauendi, ne quid damni eueniat. T. Probè. C. A. Verba autem Prætoris hæc de re sunt quæ sequuntur: Damni infecti suo nomine promitti, alieno satisfidari iubebo: ei qui intraverit non calumniæ causa id se postulare, eumve, cuius nomine ager, postulatorem fuisse, in eam diem quam causa cognita statuero. Si controuersia erit, dominus sit nec ne qui cauerit, sub exceptione satisfidari iubebo. De eo opere quod in flumine publico, ripæve eius fiet, in annos decem satisfidari iubebo. Eum cui ita non cauebitur, in possessionem eius rei, cuius nomine ut caueatur postulabitur, ire, & cum iusta causa esse videbitur, etiam possidere iubebo. In eum qui neque cauerit, neque in possessione esse, resque possidem passus erit, iudicium dabo, ut tantum præstet, quantum præstare eum oporteret, si de ea re ex decreto meo, eiusve cuius de ea re iurisdiclio fuit, quæ mea est, cautum fuisset. Eius rei nomine, in cuius possessionem misero, si ab eo qui in possessione erit, damni infecti nomine non satisfidabitur, eum cui non satisfidabitur, simul in possessionem esse iubebo.] T. Bene habet. C. A. Planè quod suggrundorum & protectionum hîc fit mentio, ex ea est, quod inde ferè damnum metui solet: nam suggrunda est pars recti, ultra structuram ædium proiecta & prominens: protectum, quod ita è domo prouehitur, ut nusquam requiescat. T. Tertium caput quod est? C. A. *De aqua & aqua pluuia arcenda actione*. Nam in concedendo iure aquæ ducendæ, non tantum eorum in quorum loco aqua oritur, verum etiam eorum ad quos eius aquæ vsus pertinet, voluntas exquiritur propter seruitutem iis debitam, quæ sine voluntate ipsorum minui non debet. Et concessio ductu aquæ, non mox per lapidem ducere licet (nisi id fortè sit expressum) sed eo modo quo consuetudo loci fert, veluti per fistulam, aut aliter. T. Rectè. C. A. Aquæ autem pluuie arcendæ actio tunc competit, cum damnum ex aqua pluuia timetur, non quidem per fluxum aut decursum naturalem, aut per diuersionem quæ agro colendo frumenti quærendi causa fit (neutrimum enim impedire possumus) sed propter opus aliquod exstructum. Et datur quidem superiori aduersus inferiorem, ne aquam quæ natura fluit, opere facto prohibeat per suum agrum decurrere: & inferiori aduersus superiorem, ne opere facto aliter aquam mittat, quàm fluere natura solet. T. Intellego. C. A. Atque hæc quidem cum ad damnum infectum pertineant (nam & remedium noui operis nunciationis aduersus futura opera inductum est, non aduersus præterita) vnum hîc additur de damno facto, ut, ne fiat, tanto diligentius caueatur, nempe *De publicanis*, & *uestigalibus*, & *commissis*: de quibus quamquam in superiori sermone de iure publico latius tractatum est; illud tamen hîc adiciendam, si quid publicanus vi ademerit, intra annum in duplum, post annum in simplum eo nomine agi: item si familia publicani furtum fecisse, vel damnum iniuria dedisse dicetur, actionem ea de re aduersus dominum, sine noxæ deditioe dari, partim quoniam dispicere debet, quales his rebus agendis præponat; partim ut insolentia istius generis hominum, tanto magis refrenetur: nam quantæ audaciæ, quantæ temeritatis sint publicanorum factiones, nemo est, inquit Vlpianus, qui nesciat. T. Optimè. C. A. Ac sunt quidem verba Prætoris: Quod publicanus eius publicani nomine vi ademerit, quod & familia publicanorum, si id restitutum non erit, in duplum; aut si post annum agetur, in simplum, iudicium dabo. Item si damnum iniuria furtumve factum esse dicetur, iudicium dabo.] T. Rectè. C. A. Sunt autem publicani, qui publico fruuntur, nam inde nomen habent, siue fisco uestigal pendant, siue

sive tributum consequantur: & omnes qui quid à fisco conducunt, rectè appellantur Publicani. T. Intelligo. C.A. Porro vectigalium & commissorum hinc fit quoque mentio, ut intelligatur, quemadmodum publicani, qui vectigalia conducta habent, coercentur, si quid aliter quàm oportet fecerint: ita è contra, & eos qui vectigalia fraudarint, esse puniendos, & merces, in quibus fraus fit, committi, & fisco vindicari, vnde Commissa nomen habent: ut sub titulo Codicis, *De vectigalibus & commissis*, videre licet. Pertinetque huc Rubrica ibidem, *Vectigalia naua insisui non posse sine permissu Principis*, ne ciuitatum quidem decreto.

De donationibus & manumissionibus.

TITVLVS VII.

T. **A**BSOLVTIS iis iudiciis pretoriis in quibus plus est imperij, sequitur ut de illis dicas in quibus plus est iurisdictionis. Quæ quidem cum vel spontaneæ sint iurisdictionis, vel contentiosæ, de iis quæ spontaneæ sunt, anteaueo cognoscere. C.A. Enimvero inter has primum locum tenent donationes, secundum autem manumissiones, quæ species quædam sunt donationis; nam manumissio est de manu datio. T. De donationibus quid ais? C.A. Donationes dicuntur à dono, quasi dono datæ: nam donari id proprie dicitur, quod nullo iure cogente conceditur. quæ res ex media laude iustitiæ est, & à naturali liberalitate ac beneficentia hominis in hominem proficiscitur: vnde nobilior olim, secundum principia extraordinaria putabatur, quàm ut aliqua actio eo nomine competeret, nisi res in manu data esset. Sed quoniam sæpe fit, ut non tam liberalis & gratuita, quàm remuneratoria, & quasi mercenaria sit donatio; placuit post deinde, ut non minus ex donatione, etiamsi res in manu data non sit, quàm ex quolibet alio quis teneatur. Idque siue *De donationibus* inter viuos agatur, de quibus & Codicis est titulus; quæ proprie sunt, cum quis ea mentè dat, ut statim velit accipientis fieri, & nullo casu ad se reuerti, nullam aliam ob causam id faciens, quàm ut liberalitatem ac munificentiam exerceat: siue *De mortis causa donationibus & capionibus*, de quibus donationibus vtrisque sub titulo Institutionum, *De donationibus*, agitur. Ac est quidem proprie mortis causa donatio, quemadmodum sub Rubrica Codicis, *De donationibus causa mortis*, videre licet, cum quis ita donat, ut non statim, sed post mortem demum fiat accipientis, scilicet quia se mauult habere, quàm cum cui donat, & magis eum cui donat, quàm heredem suum, prout de Telemacho Piræo donante Homerus prodit. (nam huiusmodi testimoniis legislatores, subinde vti, supra probatum est) Catio causa mortis est, cum ea quis accipit, quæ causa mortis dantur, siue ipsius donantis, siue alterius, siue directò, siue obliquè: veluti, Titio centum do, lego; si Caio decem dederit. Ac circa totam hanc rem olim proditum erat, cæcibus, & orbos liberis, ex testamentariis donationibus nihil posse capere (nisi ius liberorum impetrassent) & inter virum & uxorem ratio quædam decimarum (si quidem liberi non essent) habebatur, quæ fauore matrimoniorum & liberorum erant introducta; sed id postea Christianis temporibus fuit immutatum, per titulum Codicis, *De infirmis penis calibatus, & orbitatis, & de decimariis sublatis*; nec non per Rubricam, *De iure liberorum* generaliter omnibus concessio. Ac fiunt quidem donationes vel iure nullo adiecto, vel sub modo ut aliquid fiat, aut conditione, si aliquid fiat: aut tempore, ut in futurum expirent: ut tradit titulus Codicis, *De donationibus qua sub modo, vel conditione, vel certo tempore conficiantur*. Reuocanturque ex causis ingratiitudinis, legibus expressis: quoniam cum liberalitas ex optima & intima parte sit iustitiæ, ut diximus; nihil ei magis est conerarium, quàm ingratiitudo, ut demonstrat Rubrica Codicis, *De reuocandis donationibus*. T. Iam de manumissionibus autem quid dicis? C.A. Quemadmodum donationes, ita & hæc à liberalitate proficiscuntur, de quibus ut ordine tractemus, primum quid manumissio sit dicemus, tum quod duplex sit, post quæ actiones circa eam versentur. T. Quid igitur est manumissio? C.A. Datio libertatis, siue pure fiat, siue mortis causa, nimirum ut post mortem domini demum competat. T. Quotuplex est manumissio? C.A. Multiplex: sed hic eam distinguemus in eam quæ vindicta fit (nam sic virga magistratum, quæ capiti eius qui manumittitur imponi solet, vocatur) & quæ testamento. T. *De manumissione vindicta* quid ais? C.A. Hi generaliter dicuntur, qui apud idoneos magistratus manumittuntur, qui sunt Romæ Consules & Prætores, in prouinciis Præsides, Proconsules, præfectus Egypti, & similes: Habetque eandem vim, si apud concilium, siue Principis, siue quod aliud legitimum fiat manumissio, ut prædit titulus Codicis, *De vindicta libertate, & apud concilium manumissione*. Quod quidem lo-

cum habet non solum in manumissionibus seruorum ad singulos pertinentium, sed & cum *De manumissionibus qua seruis ad vniuersitatem pertinentibus imponuntur*, agitur. Nam D. Marcus omnibus collegiis quibus eorundem ius est, manumittendi potestatem dedit, vti etiam sub titulo Codicis, *De seruis reipublica manumittendis*, traditur. T. *De manumissis autem testamento*, siue, vt in Codice est, *De testamentaria manumissione*. C. A. Hi sunt qui ex testamento libertatem consequuntur, quam etiam omnibus seruis suis quis potest relinquere, sine certi numeri p̄æfinitione, quam lex Fusia Caninia induxerat, quæ per titulum Codicis & Institutionum, *De lege Fusia Caninia tollenda*, est sublata, idque siue directò, cum ipse testator libertatem imponit, tam purè quàm in diem vel sub conditione, siue per fideicommissum, cum fidei hæredis committit, vt illum aut illum manumittat. Et est regula generalis, *De fideicommissariis libertatibus* (de quibus & Codicis Rubrica est) vt non minus, imò etiam aliquanto magis, propter fauorem libertatis, eas præstare hæres cogatur, atque reliqua omnia fideicommissa, de quibus supra dictum est, prout cõsistat ex senatusconsulto, quod factum est tempore D. Traiani, Rubrio Gallo & Cœlio Hippone consulibus, in hæc verba: Si hi à quibus libertatem præstari oportet, euocati à Prætorè adesse nolissent, si causa cognita Prætor pronunciaffet libertatem his deberi, eodem iure statutum seruari, ac si directò manumissi essent.] Nec aliò pertinet senatuscõsultum Æmilio Iunco, & Iulio Seuero consulibus, cuius verba sunt: Placere si quis ex his qui fideicommissam libertatem ex quacumque causa deberent, seruo qui mortis tempore eius qui rogauit non fuerit, isque adesse negabitur, Prætor cognoscat, & si in ea causa esse videbitur, vt si præsens esset, manumittere cogi deberet, id ita esse pronuntiet. Cum ita pronuntiasset, idem iuris erit quod esset, si ita vt ex fideicommisso manumitti debuisset, manumissus esset.] Et quidem inter eos qui à superstitis manumittuntur, & quibus testamento libertas relinquitur, hoc interest, quòd cum superiore casu concessum censeatur tacitè peculium nisi adimatur, posteriore penes successores remaneat, nisi specialiter fuerit datum, vt habet titulus Codicis, *De peculio eius qui libertatem meruit*. T. Optimè sanè. C. A. Atque hæc quidem de testamentaria manumissione ita se habent, vt adita hæreditate suum sortiantur effectum, nisi fortè *De ademptione libertatis* per testatorem constet, vel lege adimatur: tunc enim, aut pro non data habetur, aut certè perinde obseruatur, ac si à testatore adempta esset, quemadmodum *De statu liberis* vsuuenit: nam cum statu liber sit, qui statutam & destinatam in tempus vel conditionem libertatem habet, vt si nauis ex Asia venerit, certum est, deficiente conditione, deficere quoque libertatem. T. Rectè. C. A. Et verò quemadmodum nonnulli sunt, *Qui sine manumissione ad libertatem perueniunt*, veluti si seruus ea lege venditus est, vt intra certum tempus manumittatur, vel si dominus seruum suum ob grauem infirmitatem pro derelicto habuit; nam his casibus per se competit libertas, ob causam fauoris extrinsecus assumpti, cui accedit, quòd qui ob necem domini detectam, præmium libertatis consequitur, sit Orcinus liberus, cum similibus, de quibus & in Codice titulus est, *Quibus ex causis serui pro premio libertatem accipiunt*: Ita quoque contrà traditum est, *qui & à quibus manumissi liberi non fiunt, & ad legem Æliam Sentiam*. Nam non competit libertas data seruo alieno, vt habet Rubrica Codicis, *De his qui à non dominis manumissi sunt*, vel damnato ad perpetua vincula, vt est ibidem sub titulo, *Qui non possunt ad libertatem peruenire*, & ab eo qui ipse postea seruus pronunciatum est: quoniam natura rerum non patitur, vt liberum hominem faciat is qui ipse seruus est: nec curator futiosus, seruum eius manumittere potest; quoniam vt res illius administret, non vt alienet, datur. Item seruus pignori datus, manumitti non potest sine consensu creditoris, qui quodammodo dominium in eum habet, vt ostendit titulus Codicis, *De seruo pignori dato manumisso*. Quamquam si seruus communis ab vno manumissus sit, qui pretium reliquum sociis offert, accipere id illi tenentur, vt seruus libertatem, quæ fauorabilis est, consequatur, qua de re Rubrica est Codicis, *De communi seruo manumisso*. Planè si quis in fraudem creditorum, seruos suos manumittat; sancitum est lege Ælia Sentia, ne consequantur libertatem: quia tamen si fauorabilis est causa libertatis, fauorabilior tamen est causa iustitiæ, ne suum quisquam petiniuriam amittat, vt docet & titulus Codicis, *Qui manumittere non possunt, & ne in fraudem creditorum manumittatur*. cui adde Rubricam ibidem, *Communio de manumissionibus*. vbi traditur, manumissionem à solo fructuario factam, proprietario post finitum vsufructum non nocere; nec si solus proprietarius manumiserit, vsufructuario, quantum vsufructus durat, nocere; sed si vterque manumittat, absolutè libertatem competere. T. Intelligè. C. A. Et quidem manumissione rectè facta, tamen si communiter libertatis conditionis sunt: qui manumittuntur, sic vt patronum agnoscere debeant, cuique obsequia, & alia quæ diximus, præstare (nisi fortè ingenuus manumif-

numissus sit, qui non libertinus sit, sed manet ingenuus, ut prodit titulus Codicis, *De ingenuis manumissis* si tamen patronus consentiat, fit ut iure aureorum annulorum à Principe impetrato (nam alioqui libertinis, non nisi ferreos annulos gestare licebat) speciem quandam ingenuitatis, propter dignitatem equestrem quæ eâ in re consistit, assequantur, vel natalibus restituti, reuera in eum statum veniant, quo omnes mortales initio nascebantur, ut sub titulo, *De natalibus restituendis*, est proditum, & de utroque sub Rubrica Codicis, *De iure aureorum annulorum*, & *de natalibus restituendis*. Pertinetque eodem Nouella, Ut liberti de cætero aureo non indigeant annulo, & ut pristinis restituantur natalibus, & de celebratione dotalium instrumentorum in libertis mulieribus facta, & hoc ipso etiam nuptias legitimas fieri, & filios suos, si nuper etiam ancilla fuerit, & ipsam liberam esse celebratione dotis, & legitimas nuptias, & qui ex ea processerint, filios suos. Et quidem cum serui manumissi olim vel dedititi, fierent, vel Latini, vel ciues Romani, hodie omnes fiunt ciues Romani, sublatis dedititiis per titulum Codicis, *De dedititiâ libertate tollenda*, & Latinis per Rubricam, *De Latina libertate tollenda*, & per certas modos in ciuitatem Romanam transfusa. Ac cum serui olim, vel ex iure Quiritium nostri esse dicerentur, vel tantum in bonis nostris, & illa ipsa differentia tamquam superuacua per titulum, *De nudo iure Quiritium tollendo* cessat, quemadmodum & per Rubricam, *De senatusconsulto Claudio* tollendo, prohibetur ne mulier libera cum seruo alieno consuetudinem habens, ob id ancilla eius efficiatur. T. Restat de actionibus quæ circa hanc rem versantur ut dicas. C. A. Hæ sunt quibus *De liberali causa* agi dicitur (de qua re & Codicis est titulus) idque siue ex libertate in seruitutem quis peratur, siue contra ex seruitute in libertatem proclamet: quod utrumque recta via hodie permissum est, sine vlla assertionis antiquæ difficultate, quæ per titulum Codicis, *De assertione*, tollenda, sublata est. T. Audio. C. A. Quamquam sunt nonnulli, *Quibus ad libertatem proclamare non licet*, veluti si quis maior viginti quinque annis ad pretium participandum se venditari passus est, quem constat ipsum suam libertatem vendidisse, & ob id nullam eius nomine habere actionem, siue potius proclamationem: nam quam diu in seruitutis possessione quis est, non tam agere dici debet, quod vocabulum iuris est, quam proclamare, quod facti. Ac si quas res habet, quas eius, contra quem proclamat, esse constat, inserim ei restituentur, ut habet titulus Codicis, *Quibus ad libertatem proclamare non licet*, & *de rebus eorum qui ad libertatem proclamare non prohibentur*. Constatque, si de statu libertatis vel seruitutis agatur, nec non de crimine, hæreditate, aut qua alia re inde dependente, prius de statu, quam de iis quæ inde dependent esse agendum, ut est sub titulo Codicis, *De ordine cognitionum*. Et verò quod contra communis iuris regulas, quibus dicitur neminem suorum membrorum esse dominum, & libertatem rem esse inestimabilem, aliquis se vendi pati potest ad pretium participandum, cum tamen seruus nihil habeat, nec habere possit, inde fluxisse videtur, quod olim debitores à creditoribus vendi poterant, & quod paulo mirius habeatur, si sua sponte quis id faciat, potius quam ab alio inferatur. T. Probe. C. A. *Quin si ingenuus esse dicitur* aliquis qui manumissus est, quem iam diximus non libertinum fieri, sed ingenuum manere, potest ea de re institui actio, dummodo id fiat intra quinquennium à tempore manumissionis, quod tempus præfinitum est, non interna, sed externa ratione, ne semper in incerto sit patronus; Qua etiam de causa comparatum est, *Ne de statu defunctorum post quinquennium queratur*, si quis eum forte, qui pro libero mortuus est, seruum asserere velit. de quo & Codicis est titulus. Quamquam alioqui, quantum ad libertatem attinet, pro illa, non autem contra illam, longi temporis est præscriptio, ut docet titulus Codicis, *De longi temporis præscriptione, qua pro libertate*, & *non aduersus libertatem proponitur*, quod à principis externis fauoris proficiscitur. T. Intellego. C. A. Ac quoniam quidem nonnumquam eueniebat, ut inter dominum, & seruum qui in ingenuitatem falsò se assereret, collusiq; esset, sic ut vincente seruo, is tamquam ingenuus ad honores subinde proueheretur, & ipse ordo amplissimus per id genus homines inquinaretur; factum est eius rei euitandæ causa senatusconsultum, *De collusione detegenda*. (de qua re & Codicis est titulus) quo si quis intra quinquennium à sententia super ingenuitate lata seruum eum esse probet, fit eius qui collusionem detexit.

De possessione.

TITVLVS VIII.

T. **D**E HINC de possessione volo vt differas, nam hinc quæ contentiosæ iurisdictionis sunt, potissimum dixisti dependere. C.A. Ita faciam, si prius *De acquirendo rerum dominio*, cuius pars est possessio, nonnihil dixerò: quo factò, de possessione ipsa dicam, eiusque vi & effectu. T. Ergo de acquirendo rerum dominio quid ais? C.A. Certè cum initio primo hominis statu omnia essent omnium, vt supra latius est expositum; post peccatum demum effectum est, vt iure gentium dominia rerum distinguerentur. Quod quidem ita fiebat, non quia per se bonum & pulchrum est, sed necessarium ad dissensiones vitandas, & diligentiorè culturam & curam; nam communia ferè negliguntur. Cui accedit, quòd prauæ hominum cupiditati, quæ quid suum habere optat, aliquid erat indulgendum, eique tamquam Cerbero ossa quædam oblicienda. T. Rectè. C.A. Ac sunt quidem omnes iuris gentium acquirendi dominij modi tres numero, ad quos reliqui reducuntur. T. Quis est primus? C.A. Per occupationem à parte acquirentis: nam quod nullius est, id ratione naturali (secundum principia naturæ corruptæ) occupanti conceditur. T. Quis secundus? C.A. Per traditionem ex iusta causa, à parte alienantis: nam nihil æquius est, quàm voluntatem eius qui rem suam in alium transferri vult, ratam haberi; quoniam suæ rei quisque moderator est & arbiter. T. Quis tertius? C.A. Per accretionem à parte rei: nam quod rei meæ per alluionem, insitionem, adnationem, & alios similes modos accrescit, meum est; quoniam pars eius est, cui accrescit, & inhæret. T. Iam de possessione, siue potius *De acquirenda vel omittenda possessione*, quid ais? quòd pertinet etiam titulus Codicis; *De acquirenda & retinenda possessione*. C.A. Possessio appellata est, vt & Labeo ait, à sedibus quasi positio: quia naturaliter tenetur res ab eo qui ei insistit; vnde & dominium rerum primum incipit. & quidem cum possessio propriè sit rerum corporalium, naturali ratione secundum principia Physica euenit, vt vna eademque res non nisi ab vno in solidum possideri possit: nam non magis eadem possessio apud duos esse potest, quàm vt tu stare videaris in eo loco in quo ego sto; vel in quò ego sedeo, tu sedere videaris. T. Intellego. C.A. Acquiritur autem omnis possessio, tum quidem corpore, quoniam non aliter positio dici potest; tum verò animo, quoniam cum sit actus iuris, non potest sine animi affectione peragi. nec minus vtrumque requiritur in contrarium actum, in amittenda possessione, quamquam fieri potest, vt etiam si sis in fundo, tamen eius possessionem amittas, nimirum si animo ab ea recedas. quo casu res perinde habetur, atque si semel ex eo loco excesseris, animo amittendi possessionem, & deinde non tamquam possessor, sed tamquam quilibet eò sis reuersus: quali fictioni sæpe opus esse, pro rerum vsu & vtilitate, suo loco ostensum est. vnde etiam fit, vt licet possessio non acquiratur, nisi corpore & animo, retineatur tamen solo animo: quod non ratione Physica constat, sed ciuili, absque qua in summa rerum incertitudine & confusione viueretur, si relicta possessione corporali, mox alius eas res inuadere & occupare posset. T. Vis autem & effectus possessionis in quonam consistit? C.A. In *Vsucapionibus & usurpationibus*, per quas iure ciuili dominia acquiruntur, quemadmodum supra iure gentium, siue naturali corrupto, certis modis ea acquiri diximus, prout sub titulo Institutionum, De vsucapionibus, & longi temporis præscript. videre licet. T. Quid est vsucapio? C.A. Est adiectio siue acquisitio dominij per continuationem possessionis, temporis lege definiti. nam si quis rem alienam bona fide iusto titulo possideat, si quidem mobilis sit, in quo minus est præiudicij, anno; si immobilis, in quo plus, triennio continuo, siue vsurpatione, hoc est, interruptione possessionis, per deiectionem fortasse, vel aliter, vsu eam suam facit, siue ea Italica sit, siue prouincialis, siue mancipi, siue nec mancipi: nam hæc vetera & obsoleta penitus tollere placuit Iustiniano per titulū Codicis, *De vsucapione transformanda, & sublata differentia rerum mancipi, & nec mancipi*. T. Intellego. C.A. Ac fuit quidem vsucapio introducta non interna ratione (nam tempus non est modus adiaciendi dominij) sed externa, ne dominia rerum semper sint incerta. Cui adde, quòd qui tam negligens est, vt rem suam tanto tempore ab alio possideri patiat, propè eam alienare videtur, & ob id meritò ob negligentiam, amissione eius punitur, ad vtilitatem eius qui vigilantem & diligentem se præstitit, dum possidet. quod quidem in potestate legislatoris vti que situm est, cum per ipsum rerum dominia constituantur, quæ alioqui iure naturali sunt nulla, vt supra traditum est. T. Probè. C.A. Ac requiritur quidem bona fides (vt traditur sub titulo Codicis, *Communia de vsucapionibus*) quoniam in omnibus negotiis iuris ac

ris ac iustitiæ, dolum & fraudem abesse, bonam autem fidem & voluntatem, quæ substantia iustitiæ est (vt suo loco didicimus) adesse oportet. Et requiritur quoque iustus titulus, quia sine iusto titulo non est bona fides: nam quod meum non est, vtrique scire debeo ad alium pertinere. T. Qui sunt autem iusti tituli? C. A. Veluti si quis *Pro emptore* aliquid possideat, quod reuera emit ab eo quem dominum esse putabat, de quo est titulus Codicis, *De usucapione pro emptore, vel pro transfactante, siue transfatione, id est Pro emptore, vel pro possessore hereditario, cum reuera heres alicui existens, puta aliquid esse ex hereditate, quod non est, vt ostendit titulus Codicis, De usucapione pro herede, sed heres aduato, cum reipfa donatio mihi facta est ab eo quem dominum esse putabam, de qua est Rubrica Codicis, De usucapione pro donato. Item Pro derelicto, vt si rem quæ verè pro derelicto est habita, ab eo quem dominum esse credebam, vt talem possideam animo, vsucapiendi. Item Pro legato, si reuera legatum mihi relictum est, ab eo quem dominum arbitrabamur. Tum Pro dote, vt si verè in dotem quid acceperit quis ab eo quem dominum arbitrabatur. Et denique Pro suo; cum quis ex iusto titulo, vel legitimo acquirens dominium, modo suum quid esse putat, quo quidem modo, omnia quæ mari, terra, celo capiunt, ab eo quæ alluione fluminum nostra sunt, possidemus. b. Tenet C. A. Qui quidem titulus suo modus si reuera interuenit, currit possessori vsucapio, tam ex ipso titulo, velut pro legato, pro donato, pro emptore, & sic deinceps; quam ex possessione pro suo. Si verò non interuenit, sed ipse interuenisse putat, si quidem id sit per errorem improbabilem, vt si in facto suo erret, putans emisse se quod non emit, nullà currit vsucapio, quoniam crassa ignorantia, quæ propè dolum est, non debet cuiquam suffragari, & hoc est, quod semper dicimus, titulos reuera debuisse intercedere: si uero probabilis est error, vt in alieno factum, veluti si feruum suum dimisse existimat, currit vsucapio, non quidem tamquam pro emptore, sed pro suo, quoniam emptio reuera non interuenit. T. Bene narras. C. A. Atque hæc quidem vsucapio pro suo tunc etiam locum habet, cum quis à non domino bona fide quid accipit, vt statim eius fiat ex causa legitima futura, veluti si à sponsa dotem accipiat, ante nuptias contractas, non pro dote (nam nondum dos est) sed pro suo vsucapit. T. Tenet C. A. Cæterum cum hæc circa vsucapionem ita se habeant, diuersi sunt tituli Codicis, quibus de longi temporis, quadriennij, longissimi temporis, & annali præscriptione agitur. T. Quam vocas longi temporis præscriptionem? C. A. Quæ reuè aliquando solus inter presentes decem, inter absentes viginti annis præscribitur, vt demonstrat titulus, *De præscriptione decem vel viginti annorum*. De qua quidem præscriptione tituli speciales sunt. In quibus causis cessat longi temporis præscriptio, veluti si colonus subactis instrumentis proprietatis, domini sui prædium possideat, vt à familia heriscunde, aut comitum diuidendo actione, per longum tempus quis aliquem vult remouere, quod non perditur. Item quibus non obijcitur longi temporis præscriptio, nempe militibus in expeditione degentibus, absentibus causa reipublicæ minoribus, & similibus. Ad hæc si aduersus creditorem præscriptio opponatur, quæ quidem habet locum, si quidem rem creditori à debitore oppignoratam, tertius extraneus longo tempore possederit: quæ res facit, vt ad pignus suum creditor reuerti non possit; secus autem, si à debitore vel qui in eius ius successit, fuit possessa. T. Quam præscriptionem quadriennij? C. A. Quæ super bonis vacantibus non apprehensis à fisco illi opponitur. Nam notum est, inquit Constantinus titulo, *De quadriennij præscriptione*, à fisco quætionem post quadriennium continuum super bonis vacantibus inchoandum non esse: secus autem est, si iam sunt apprehensæ, & in fiscum redactæ, de quibus est titulus, *Ne rei dominica vel templarum vindicatio temporis præscriptione submoueat*. T. Quam longissimi temporis? C. A. Triginta vel quadraginta annorum. Nam quæcumque sunt actiones quibus certum tempus non est præscriptum quo pereant, hæc triginta vel quadraginta annorum præscriptione tolluntur, ne lites sint immortales, & aliquis tandem earum sit finis. T. Quam denique annalem? C. A. Quæ in Italicis contractibus locum habere solet, sed Iustinianus totam eam rem, tamquam litium fœtricem sustulit, vt videre licet sub titulo, *De annali exceptione contractus Italici tollenda, & de diuersis temporibus, & exceptionibus, & præscriptionibus, & interruptionibus earum*. Ac quamquam quidem alluio, quæ in tacito incremento consistit, speciem habeat præscriptionis, vt supra tactum est; si tamen repente aluco fluuij mutato, facies agri mutetur, non perditur eius dominium, vt est sub titulo, *De alluionibus, & paludibus, & pascuis ad alium statum translata*.*

De re iudicata.
 De re iudicata, quam à possessione pendere, & ad Prætoris iurisdictionem pertinere dixisti, nunc credo peruentum est. G. A. Verum dicis. Et quidem eius rei duo summi sunt constituenda capita: quorum vnum generale est, alterum verò speciale. T. Generale quodnam est? G. A. De re iudicata, & de defectu sententiarum, & de interlocutionibus, nec non De confessionibus. T. Rem iudicatum (de qua & Codicis est titulus) quam vocas? C. A. Quæ sine contradictione in pronuntiatione iudicis accepit, quod vel condemnatione, vel absolutione contingit, utique certum est, secundum Rubricam Codicis, *Commissationes, epistolæ, programmatæ, & subscriptiæ, auctoritatem rei iudicæ non habent*. T. Effectus sententiarum quibus est? C. A. Primum ut iudex datus postquam semel dixit sententiam, iudex esse desinat, ne amplius corrigere eam possit, quippe quia siue malè, siue bene, officio ad quod datus præfatus est. Quod ideo sic constitutum est externa ratione, ne vna questio ex alia trahatur, sed aliquis sit litium finis: ut ostendit titulus Codicis, *Sententiam rescindi non posse*. Deinde ut magistratus populi, iudicium à se datorum, vel arbitrorum sententias exsequatur: nam is finis est omnis iurisdictionis, per quam iustitia in republica inducitur, ut idoneo loco demonstratum est. Pertinetque huc Nouella, De executoribus, & de his qui conueniuntur & reconueniuntur. Et sic quidem executio, per captiorem signorum certo ordine, donec rei iudicæ penitus sit satisfactum, nisi quod in quibusdam personis coniunctis, cuiusmodi sunt parentes, patroni, socij, & similes, ratio habetur, nequeant: nam huiusmodi distinctiones personarum omnino necessarias esse, supra didicimus. T. Interlocutiones autem quænam sunt? C. A. Quæ inter cognoscendum pro et natâ decernuntur, de quibus dicitur: Quod iussit veruitve Prætor, contrario imperio tollere potest, licet de sententiis sit contra. Et ratio quidem est, quia cum in ordinanda litioraria se offerant, quæ quotidie mutantur, quemadmodum in omni republica fieri solet, nihil mirum est, si prætor, se iis accommodando, prout quæque res fert, ita ex ratione ipsa iusto & iniusto statuat, haud aliter atque peritus nauta, pro ventorum atque tempestatum mutatione, navigandi quoque rationem mutat. Quod quidem secundum exactam viam iustitiæ non solum in lite ordinanda, sed & in vniuersa republica gerenda, legibusque ac iudiciis fieri debere, nisi hominum malitia, & imbecillitas, imperitiaque faceret, ut ad maiora mala declinanda, modus his rebus, etiam cum aliquo malo, sit ponendus. vade in iudiciis & sententiis placuit, ut res etiam malè iudicata maneat, ut aliquis sit litium finis, & ne per corruptionem, aut imperitiam, importunitatemque res semel constitutæ, incertæ reddantur, & sursum deorsum voluantur. T. De confessionibus (de quibus & Codicis rubrica est) quid dicis? C. A. Pro iudicatis eos esse habendos, quippe qui quodammodo sua sententia damnantur: & ideo vulgo dicitur, in confessum nullas partes esse iudicis, præterquam in condemnando, quando nimirum res in facto, veluti in debito agnoscendo, & similibus consistit. T. Bene dicitis. C. A. Atque hæc quidem cum in his libris Pandectarum ita tradantur in vniuersum, in Codice aptem magis tractantur particulatè per hos titulos. T. At quosnam autem? C. A. *Quomodo & quando index sententiam proferre debeat presentibus partibus, vel vna parte absente*, si quidem per edictum peremptorium vocata non veniat. *De sententijs ex periculo recitandis*, sic ut post rem bene cognitam ac deliberatam, sententia scripto comprehendatur (quod periculum ab eo dicitur, quoniam eo concipiendo sit periculum, utrum rectè se habeat nec ne) & inde deinceps recitetur. *De sententijs & interlocutionibus omnium iudicum*: ex quibus illæ definitiæ sunt, quæ condemnationem aut absolutionem continere debent, hæc non sunt, ut modò dictum est. *De sententia qua sine certa quantitate proferatur*, quam per se nullam esse constat, nisi ad aliud quod certum sit referatur. *De sententijs qua pro eo quod interest proferuntur*: de quibus regula est in casibus certis, vbi certa pecunia debetur, id quod interest, dupli quantitatem non debere excedere; in incertis iudici dandam esse operam, ut in id quod reuera interest, reus condemnetur. *Si à non competente iudice iudicatum esse dicatur*: quod utique constat nullius esse momenti. *De pœna iudicis qui malè iudicant, vel eius qui iudicem vel aduersarium corrumpere curant*: ex quibus ille damnatum datum, cum intamix nota resarcire debet, hic autem litem perdit. *De fructibus & litium expensis*: de quibus regula generalis est, victum victori condemnandum esse in expensas: & à tempore litis contestatæ, eum qui condemnatur, ad fructus quoque teneri, ac sunt quidem fructus, qui iustis sumptibus deductis supersunt.

De usuris rei iudicata, quæ centesimæ debentur, si intra quadrimestre post sententiam latam rei iudicatæ non satisfaciatur. *Si plures una sententia condemnati sunt*, placuit pro partibus virilibus eos teneri, nisi aliud sit expressum. *Quibus res iudicata non praiudicet*, nempe quos non tangit, siue per se, siue per mandatum, siue per ratihabitionem, ut ostendit quoque titulus, *Res inter alios actas vel iudicatas, alijs non nocere, & si ex falsis instrumentis vel testimonijs iudicatum sit*, falso probato, etiam sine appellatione sententia reuocatur: nam nihil iustitiæ magis contrarium, quàm falsum. T. Iam speciale caput, quo de agibus, quodnam est? C. A. Id verò ad bona debitorum & aliorum possidenda pertinet (quæ quidem causa est, quòd cum possessione hic tractatus coniungitur) siue cessio bonorum interuenierit, siue non. T. *De cessione bonorum* quid tractas? C. A. Enimvero si quis ære alieno grauatus, bona sua creditoribus cesserit, quod ex benignitate introductum est contra iuris rigorem, quo corpus etiam pro debito obligatur; ipse quidem liber manet, & carcerem euitat, sed bona à creditoribus possessa venduntur. Nec ea quidem dumtaxat quæ tunc habet, sed & quæ post acquireret, donec plenè sit satisfactum, nisi fortè modicum quid sit, cuius rationem non haberi, iam sæpiuscule secundum principia extraordinaria admonimus. Quemadmodum nec ea quoque vendi possunt, quæ misericordiæ causa pro alimentis mensuris vel annuis ei dantur, aut ab aliquo relinquuntur. Nam tametsi quidem stricta ratio iustitiæ etiam id auferri fortasse permetteret, naturalis tamen benignitas & beneficentia, qua homo hominem alimentis fraudare non debet, nec impedire, ut si ipse nolit, alij saltem misericordiam aduersum eum exerceant, id nulla ratione patitur. Et ideo secundum moderatè iustitiæ rationem sic est constitutum. Ac possunt quidem cedere bonis tam filii familias quàm patres familias, tamque feminæ quàm viri, & tam reipublicæ quam singulorum hominum debitores; ut tradit titulus Codicis, *Qui bonis cedere possunt*. Pertinetque huc Nouella, Ne quis cogatur bonis cedere. T. Si nulla interuenit cessio, quid tum fieri ais? C. A. Equidem vel itur in possessionem bonorum rei seruandæ causa, ne pereant, vel possidentur aut venundantur bona auctoritate iudicis. T. Dic *Quibus ex causis in possessionem eatur*. C. A. Tres ferè sunt causæ, inquit Vlpianus, ex quibus in possessionem miti solet: primò rei seruandæ causa, de quo Prætor ait: In bonis eius qui iudicio sistendi causa fideiussorem dedit, si neque potestatem sui faciet, neque defenderetur, iri iubebo. Item qui fraudationis causa latitat, si boni viri arbitrari non defenderetur, iri iubebo.] secundò legatorum seruandorum gratia: & tertio ventris nomine. Quibus quidem causibus non reuera possidemus, sed magis custodiam & obseruationem nobis concedit Prætor. Quæ quidem res non tam ex internis principiis fluit, quàm extrinsecus affumitur: ut tum is qui petit, curam bonorum gerat, tum verò ille à quo petitur, tædio affectus officium faciat. T. *De rebus auctoritate iudicis possidendis seu vendendis* quid dicis? C. A. Planè si quis debitor fraudationis causa latitat, subterfugitque, ne secum aliqua actio moueatur, nec sit qui eum defendat: Prætor eius bona possideri, & nisi iusta causa aliter eum moueat, vendi, creditoribusque inde satisfieri iubebit. Inter quos si & fiscus est, & mulier dotis nomine, ferè cæteris creditoribus ob causam publicam vel quasi præferuntur, ut ostendunt tituli Codicis, *De privilegio fisci*, & *De privilegio dotis*. T. Rectè. C. A. Ad pertinet quidem huc Prætoris edictum, quod ait: Si quis cum in possessione bonorum esset, quod eo nomine fructus ceperit, ei ad quem ea res pertinet, non restituat, siue quid impensæ, siue dolo malo fecerit, ei non præstabitur, siue dolo malo eius deterior causa possessionis facta esse dicetur, de ea re iudicium in factum dabo.] Item: Quod postea contractum erit, quàm is cuius bona venierunt consilium receperit fraudandi, sciens ea qui contraxerit, ne actio eo nomine detur.] T. Probè. C. A. Et verò fit nonnumquam ut, *De separationibus bonorum* hoc casu agatur, ut & sub titulo Codicis, *De bonis auctoritate iudicis possidendis seu venundandis*, & *de separationibus bonorum* traditur. Nam si quis debitorem seium habuerit, cui hæres exstitit Titius, qui nunc latitat, & pueri seij bono potestatis quantum ad creditum suum atinet, sufficere, vel quasi quod non fiet; si cum Titij bonis commista maneant, & ex his tam Titij creditoribus, quàm ei satisfieri debeat, is ex æquitate, ne alteri per alterum non iniqua conditio offeratur, petere poterit, ut seij bona à Titij bonis separentur: quod è contra non permittitur Titij creditoribus, si forte puperius bona seorsim sibi sufficere: nam licet alicui, adiciendo sibi, creditorum per aditionem hæreditatis, aut aliter creditoris sui facere deteriorem conditionem. T. Audio. C. A. Et si ex causa fiet, ut dixi, ut bona creditoris non vendantur. Prætor, *De curatore bonis dandis* aditus tam debitoris quàm creditorum causa, constituit unum aut plures, ex consensu maioris partis creditorum, quibus & in quos actiones utiles competunt, cum reliquis quæ ad bonam bonorum administrationem pertinent. Et curant iidem, *si qua in fraudem creditorum*

ditorum gesta sunt, ut restituantur. qua de re verba Prætoris sunt: Quæ fraudationis causa gesta erunt cum eo qui fraudem non ignoravit, de his curator bonorum, vel ei cui ea de re actionem dare oportebit, intra annum quo experiundi potestas fuerit, actionem dabo.] Item: Quæ Lucius Titius fraudandi causa sciente te in bonis, quibus ea de re agitur, fecit, ea illis si eo nomine quo de agitur actio ei ex edicto meo competere, esse oportet, ei si non plus quàm annus est, cum de ea re qua de agitur, experiundi potestas est, restituas interdum causa cognita, & si scientia non sit, in factum actionem permittam.] Tit. Codicis huc pertinens est, De reuocandis iis qua in fraudem creditorum alienata sunt.

De interdictis.

TITVLVS X.

T. **D**E HINC de interdictis (de quibus & Codicis est titulus) quæ & ipsa, quemadmodum superiora, ad possessiones pertinere dixisti, volo ut exponas. C.A. Hæc, ut in tractatu *De interdictis* (de quibus & Institutionum est titulus) sine extraordinarijs actionibus quæ pro his competunt traditur, sunt formulæ illæ, & conceptiones verborum, quibus Prætor aut iubet aliquid fieri, aut fieri prohibet: quod tum maximè fit, cum de possessione, aut quasi possessione inter aliquos contenditur, habetque ferè locum in his quæ non à iudice in perpetuum, sed ad tempus decernuntur, donec causa cognita, de re ipsa plenius statuatur. Nam in multis rebus accidit, & potissimum quidem vbi de possessione agitur, ut extemporario aliquo remedio sit opus, ad vim & iniuriam prohibendam. T. Rectè. C.A. Ac quoniam quidem mutatis temporibus, & ad vitam clementiorem moribus traductis, paulatim à formulis, quæ rudioribus ferè congruunt, & ob id iure civili per primarios legislatores fuerant introducta, recedi cœptum est; ideo mentio hic fit actionum extraordinariorum, quæ iure Prætorio, quod secundarium est, in factum conceptæ, loco formularum competunt. T. Quomodo diuiduntur interdicta? C.A. Variis modis: sed nos ea sic partiemur, ut primum locum iis demus, quæ causam publicam habent: secundum autem iis quæ priuata. quæ quidem omnia vel prohibitoria sunt, vel restitutoria, vel exhibitoria, vel mixta, ut res ipsa indicabit.

De interdictis qua publicam causam habent.

TITVLVS XI.

T. **Q**UÆNAM autem sunt quæ causam publicam habent? C.A. Quæ vel ad testamentorum, quæ publici iuris sunt, iurisdictionisque Prætoris auctoritatem conseruandam pertinent, vel ad loca sacra & publica. T. Dic ea quæ primi sunt generis. C.A. Vnum est, quod *Quorum bonorum* (qui titulus & in Codice exstat) à primis verbis edicti vocatur, quod sic ait: *Quorum bonorum ex edicto meo illi possessio data est, quod de his bonis pro hærede, aut pro possessore possides possideresve, si nihil vsucaptum esset, quod quidem dolo malo fecisti, ut desineres possidere, id illi restituas.] Alterum, Quod legatorum, siue Quorum legatorum, ut habet titulus Codicis, quo iubetur, ut quod legatarius non ex voluntate hæredis occupauit, id restituat hæredi, ne quis sibi ius dicendo, quod ferendum non est, legata occupet, sed ab hærede ea petat. Sequens, Ne vis fiat ei qui in possessionem missus erit à Prætoris, qui ait: Si quis dolo malo fecerit, quo minus quis permissu meo, eiusve cuius ea iurisdicatio fuit, in possessione bonorum sit, in eum in factum iudicium, quanti ea res fuit, ob quam in possessionem missus erit, dabo.] Et vltimum, De tabulis exhibendu (quo modo & titulus Codicis habet) de quibus Prætor ait: Quas tabulas Lucius Titius ad causam testamenti sui pertinentes reliquisse dicetur, si hæc penes te sunt, aut dolo malo tuo factum est ut desinerent esse (nam hoc perinde est, ne cui suus dolus proficit) ita eas illi exhibeas. Item si libellus aliusve quid relicum esse dicetur, decreto comprehendam.] T. Iam secundi generis quænam sunt? C.A. Primum est, Ne quid in loco sacro fiat. nam ait Prætor: In loco sacro facere, inue eum immittere veto.] Alterum De locis & itineribus publicis. quæ si à quopiam occupentur, cuilibet permissum est in publicum ea petere, licetque nemini in via publica monumentum extruere. Sequens, Ne quid in loco publico vel itinere fiat. de quo Prætor ait: Ne quid in loco publico faciās, inue eum locum immittas, qua ex re quid illi damni detur, præterquam quod lege, senatusconsulto, edicto, decretove Principum tibi concessum est, de eo quod factum erit, interdictum non dabo. Ad hæc in via publica,*

itine-

itineréve publico, facere, immittère quid, quo ea via, idve iter deterius sit, fiat, veto. Porro quod in via publica, itineréve publico factum immissumve habeo, quo ea via, idve iter deterius sit, fiat, restituas.] Aliud *De loco publico fruendo*, cuius verba sunt: Quo minùs loco publico, quem is cui locandi ius fuerit, fruendum alicui locavit, ei qui conduxit, socióve eius, è lege locationis frui liceat, vim fieri veto.] Item aliud, *De via publica, & si quid in ea factum esse dicatur*, effodiendo fortasse, subruendo, aut extruendo, quod tolli iubetur: & curare debent ædiles, vt viae planæ sint & mundæ, nec riuuli domibus noceant: nam et id quod superius de itineribus tactum est, ad vias rusticas; ita istud ad urbanas pertinet. Sequens *De via publica, & itinere publico reficiendo*. qua de re ait Prætor: Quo minùs illi viam publicam, itérve publicum aperire, reficere liceat, dum ne ea via, idve iter deterius fiat, vim fieri veto.] Item sequens, *De fluminibus, & ne quid in flumine publico, ripave eius fiat, quo peius navigetur*, cuius verba sunt: Ne quid in flumine publico, ripave eius facias, ne quid in publico, néve in ripa eius, quo statio, itérve navigio deterius sit, fiat, ad hæc quod in flumine publico, ripave eius factum, siue quid in flumen ripamve eius immissum habes, quo statio itérve navigio deterior sit, fiat, restituas.] Tum aliud, *Ne quid in flumine publico fiat, quo aliter aqua fluat, atque uti priore æstate fluxit*; vbi Prætor ait: In flumine publico, in ve ripa eius facere, aut in id flumen ripamve eius immittere, quo aliter aqua fluat, atque uti priore æstate fluxit, veto. Ad hæc quod in flumine publico ripave eius factum, siue quod in flumen ripamve eius immissum habes, si ob id aliter aqua fluat, atque uti priore æstate fluxit, restituas.] Item aliud, *Vt in flumine publico navigare liceat*; vbi Prætor edicit: Quo minùs illi in flumine publico navem ratem agere, quóve minùs per ripam onerare, exonerare liceat, vim fieri veto. Item vt per lacum, fossam, stagnum navigare liceat, interdico.] Et denique *De ripa munienda*, cuius hæc sunt verba: Quo minùs illi in flumine ripave eius opus facere, ripæ, agrive qui circa ripam est, tuendi causa liceat, dum ne ob id navigatio deterior fiat, si tibi damni infecti in annos decem, viri boni arbitratu vel cautum vel satisfactum est, aut per illum non stat, quo minùs viri boni arbitratu caveatur, vel satisfidetur, vim fieri veto. T. Rectè. C.A. Atque hæc quidem omnia interdita ex politicis principiis ferri, quoniam ad tuendam rempublicam pertinent, per se (nisi fallor) lucet.

De interditiis quæ privatam causam habent.

TITVLVS XII.

T. **N**unc ea exsequere interdita quæ privatam causam habent. C.A. Hæc vel rei familiaris causa dantur, vel officij causa, vel iuris sui tuendi gratia. T. Quid? prima illa quænam sunt? C.A. Quæ tum quidem ad res nostras pertinent, tum verò ad servitutes nobis debitas, vel quasi. T. Recita ea quæ ad res nostras pertinent. C.A. Primum est de vi, & vi armata, de qua sic edicit Prætor: Vnde tu illum vi deieicisti, aut familia tua deiecit, de eo quæque ille tunc ibi habuit, tantummodò intra annum, post annum de eo quod ad eum qui vi deiecit, pervenerit, iudicium dabo.] Pertinetque huc titulus Codicis, *Vnde vi, & si per vim vel alio modo absentis perturbata sit possessio*: cui revertenti nulla temporis præscriptio obici potest ad possessionem recuperandam, possuntque in ipso facto vel serui interuenite, ad possessionem absentis vindicandam. Alterum *Vti possidetis* (quod & in Codice extat) cuius hæc sunt verba: Vti eas ædes, quibus de agitur, nec vi, nec clam, nec precario, alter ab altero possidetis, quo minùs ita possideatis, vim fieri veto. De cloacis hoc interdictum non dabo, neque pluris quàm quanti reserit infra annum, cum prius experiundi potestas fuerit, agere permittam.] Sequens *De superficiebus*; de quibus ait Prætor: Vti ex lege locationis, siue conductionis superficie qua de agitur, nec vi, nec clam, nec precario, alter ab altero fruamini, vim fieri veto. Si qua alia actio de superficie postulabitur, causa cognita dabo.] T. Nunc ea recita quæ ad servitutes, vel quasi, nobis debitas tuendas pertinent. C.A. Vnum est, *De itinere actuum privato*. de qua re Prætor: Quo itinere, inquit, actumque privato, quo de agitur, vel via hoc anno, nec vi, nec clam, nec precario ab illo usus es; quo minùs ita utaris, vim fieri veto. Qui hoc interdicto uti volet, is aduersario damni infecti, quod per eius vitium datum sit, caueat.] Aliud, *De aqua quotidiana & æstiva*, de qua edictum Prætoris est: Vti hoc anno aquam, qua de agitur, non vi, non clam, non precario ab illo duxisti, quo minùs ita ducas, vim fieri veto: inter heredes, emptores, & bonorum possessores, interdico. Ad hæc, cui ex castello illi aquam ducere ab eo, cui eius rei ius fuit, permissum est, quo minùs ita uti permissum est ducat, vim fieri veto: quandoque de opere faci-

ciendo

ciendo interdictum erit, damni infecti cauere iubebo.] Ac sunt quidem coniuncta cum hoc argumento interdicta, *De riuu. De fonte. De cloacis.* de quibus Prætor sic ait: Riuos, specus, septa reficere, purgare, aquæ ducendæ causa, quo minus liceat illi; dum ne aliter aquam ducat, quàm uti priore ætate, non vi, non clam, non precario, à te duxit, vim fieri veto.] Riuus est locus per longitudinem depressus, quo aqua decurrat: specus, locus ex quo dispicitur: septa sunt quæ ad incile opponuntur, aquæ deriuandæ compellendæ uè ex flumine causa: incile, locus depressus ad latus fluminis, ad aquam inde deducendam. Item uti de eo fonte, quo de agitur, hoc anno aquam, nec vi, nec clam, nec precario, ab illo usus es, quo minus ita utaris, vim fieri veto. De lacu, puteo, piscina, item interdicam, quo minus fontem, quo de agitur, purges, reficias, ut aquam coercere utique ea possit; dum ne aliter ea utaris, atque uti hoc anno non vi, non clam, non precario ab illo usus es, vim fieri veto. Ad hæc quo minus illi cloacam, quæ ex ædibus suis in tuas pertinet, quo de agitur, purgare, reficere liceat, vim fieri veto; damni infecti, quod operis vitio factum est, cauere iubebo.] T. Probè. C. A. Quin ad hoc caput quoque pertinet interdictum, quo id *Quod vi aut clam* factum est, restitui iubetur, his verbis: Quod vi aut clam factum est, qua de re agitur, id, cum experiundi potestas est, restituas.] nec non aliud, *De remissionibus* nunciationis noui operis, quæ tum propriè locum habent, quando nunciatio noui operis tenet: nam frustra fit remissio nunciationis, ubi non tenet ipsa nunciatio, quia priuatio præsupponit habitum. vnde Prætor: Quod ius sit illi, prohibere ne se inuito fiat, in eo nunciatio teneat; cæterùm nunciationem ex causa missam facio; & quo minus nouum opus fiat, vim fieri veto.] Et item *De precaria*, quod est, cum precibus petenti, utendum quid conceditur, tam diu quàm diu is qui concessit patitur. Ac differt quidem à commodato, quòd commodatum ad certum tempus vel usum datur; ita ut si intempestiuè quis illud repetat contraria commodati actione, eo nomine teneatur: precarium uero, neque ad certum tempus neque usum conceditur, sed semper pendet à voluntate concedentis, quemadmodum de societate supra dictum est: & ideo quancumque repeti potest. vnde Prætor: Quod precario, inquit, ab illo habes, aut dolo malo fecisti ut desineres habere, id illi restituas.] T. Optimè. C. A. Pertinet huc quoque interdictum, *De arboribus cadendis*: quo te cessante arborem tuam ædibus meis impendentem adimere, mihi hoc facere permittitur. Et *De glande legenda*: quo glandem quæ ex alicuius agro in tuum cadat, quo minus illi tertio quoque die legere, auferre liceat, vis fieri vetatur. verba utriusque interdicti sunt: Quæ arbor ex ædibus tuis in ædes illius impendet, si per te stat quo minus eam adimas, tunc quo minus illi eam arborem adimere, sibi quæ habere liceat, vim fieri veto. Glandem quæ ex illius agro in tuum cadat, quo minus illi tertio quoque die legere, auferre liceat, vim fieri veto.] Glandis nomine omnes fructus continentur. T. Iam interdicta, quæ officij causa dantur, quænam sunt? C. A. Vnicum dumtaxat, *De libero homine exhibendo*, ne in seruitutem fortè abripiatur, aut à quoquam retineatur: quod quidem prohibere, ad officium humanitatis pertinet. vnde dicit Prætor: Quem liberum hominem dolo malo retines, exhibeas.] Et est quidè exhibere, extra secretum habere, vel in publicum producere, & uidentem, tangendi hominis facultatem præbere. T. Super sunt interdicta, quæ ad ius nostrum tuendum pertinent. C. A. Ex his primum est, *De liberis exhibendis, item ducendis*. Nam si quis eum quem in potestate mea habeo retineat, eum exhibere cogitur; & quo minus ducere eum mihi liceat, vetatur. vnde Prætor: Qui quæ uè, inquit, in potestate Lucij Titij est, si is eam apud te est, dolo malo tuo factum est quo minus apud te esset, illum eam uè exhibeas. Item si Lucius Titius in potestate Lucij Titij est; quo minus eum Lucio Titio ducere liceat, vim fieri veto.] Alterum quod vulgo *Vtrubi* vocatur, quo edicitur: Vtrubi hic homo, quo de agitur, maiore parte huiusce anni fuit; quo minus is eum ducat, vim fieri veto.] Et pertinet hoc interdictum propriè ad possessionem rerum mobilium, quemadmodum uti possidetis rerum soli est, cui vi ipsa est exæquatam. Sequens *De migrando*: quo vis inquilino fieri prohibetur, quo minus eam rem auferat, quæ pro mercede habitationis non est obligata. cuius verba sunt: Si is homo, quo de agitur, non est ex his rebus de quibus inter te & actorem conuenit, ut quæ in eam habitationem, qua de agitur, introducta, importata, innata, factæ uè essent, ea pignori tibi pro mercede eius habitationis essent, siue ex his rebus esset ea merces tibi soluta, eam nomine satisfactum est, aut per te stat quo minus soluatur: ita quo minus ei qui eum pignoris nomine induxit, inde abducere liceat, vim fieri veto.] Et vltimum *De Saluiano interdicto*: quod contrarium superiori, ad rem pignoris nomine pro mercede domus obligatam pertinet; ut si fortè vendita sit, per eum cui prius obligata erat, reddi sibi petatur. vnde Iulianus, Si colonus, inquit, ancillam in fundo pignoris nomine duxerit, & eam vendiderit, quod apud emptorem ex ea

natum

natum est, eius apprehendendi gratia vtile interdictum reddi oportet. Codicis ad hæc interdicta pertinentes tituli sunt, *De precario & Saluiano interdicto*. Item, *De liberis exhibendis, seu deducendis, & de libero homine exhibendo*.

De exceptionibus.

TITVLVS XIII.

T. **D**E iis quæ à possessione dependent, restant (nisi fallor) exceptiones: de quibus velim nunc exponas. C.A. Ita faciam: & quidem primùm generaliter dicam *De exceptionibus* (de quibus & Institutionum est titulus, sequente titulo *De replicationibus & præscriptionibus & præiudiciis* (de quibus est & titulus Codicis, *De exceptionibus siue præscriptionibus*) post verò particulatim. T. Generaliter quid tractas? C.A. Cùm exceptio dicta sit quasi quædam exclusio; proprius eius vsus est, vt opponatur actioni cuiusque rei, ad excludendum id quod in intentionem condemnationemve deductum est. Ac quoniam quidem originem trahit à defensione naturali, ferè fit, vt favorabiliores sint exceptiones reorum, quàm petitiones actorum: nec rarè accidit, vt quædam ipso iure non teneant ad pariendam actionem, quæ tamen tenent iure exceptionis per defensionem Prætoris. Nam multum differunt, gladium dare ad inuadendum, aut scutum ad defendendum. Ac diuiduntur quidem omnes exceptiones, in perpetuas & peremptorias, & temporales ac dilatorias. Perpetuæ ac peremptoriæ sunt, quæ semper locum habent, nec euitari possunt; qualis est doli mali, & rei iudicata. Temporales ac dilatoriæ, quæ non semper locum habent, sed euitari possunt; qualis est pacti conuenti temporalis, id est, ne fortè intra quinquennium ageretur. T. Audio. C.A. Et est quidem præscriptio, species quædam exceptionum, quæ non actioni ipsi opponitur, sed ipsius exercitio: vt cùm tempore finita dicitur esse actio, vel cùm fori obiicitur præscriptio, quòd ad non suum iudicem quis vocatum se ait. T. Intellego. C.A. Præiudicium autem est exceptio, qua negat quis de re proposita se posse conueniri, nisi aliud iudicium prius fuerit finitum, veluti si instituta actione, de parte fundi quam tuam esse ais, pendente lite communi diuidendo agas: nam vtique vel natura ipsa ostendit, non posse communi diuidendo agi, nisi prius constiterit vtrum pars petita tua sit, nec ne. T. Nunc particulatim autem quænam tractas? C.A. De multis & variis exceptionibus specialibus, ac primùm quidem, *De exceptione rei iudicata*, quæ opponitur his qui actum agere, & de eadem re bis iudicium adipisci velle videntur. Nam cùm res iudicata pro veritate habeatur, meritò excluditur exceptio, qui quod semel per sententiam definitum est, in iudicium denuo deducit. Et verò cùm quæritur, an hæc exceptio noceat, nec ne, inspiciendum est, inquit Paulus, an idem corpus sit, quantitas eadem, idem ius, & an eadem causa petendi, & eadem conditio personarum: quæ nisi omnia concurrant, alia res est. T. Benedicis. C.A. Deinde pertinet huc quod *De diuersis temporalibus præscriptionibus, & de accessionibus possessionum*, agitur, quòd pertinet titulus Institutionum, *De perpetuis & temporalibus actionibus*, & quæ ad hæredes, & in hæredes transeunt: nam temporales præscriptiones hîc vocamus quæ temporis beneficio acquiruntur, veluti si quis longo tempore rem aliquam possederit, cuius quidem tamen dominium non habet (nam solum tempus ad dominium dandum non sufficit) tuetur tamen se exceptione, per ipsius longi temporis possessionem, idque ratione externa, quæ vtique ostendit non conuenire, propter turbas quæ inde exsistere solent, vt antiquæ possessiones facillè moueantur. Accessiones autem possessionum hîc vocamus, quando tempora præcedentis possessoris profunt sequenti emptori fortasse, vel hæredi aut simili: quæ res ex eo dependet, quòd alter alterius personam repræsentat. T. Rectè. C.A. Sed & *De doli mali & metus exceptione* hîc meritò tractatur, ne scilicet cui dolus suus, per occasionem stricti iuris ciuilibus, contra naturalem æquitatem proficit. Et quidem cur ei rationi per exceptionem potius prospiciatur, quàm ipso iure, supra disputatum est, cùm de actione doli mali & metus ageremus; quippe quia sæpe his circuitibus opus est, vt hac ratione, & priuatum æquitati satisfiat, & tamen ius publicum & antiquum maneat illæsum. Ac feruntur quidem hæ exceptiones doli mali & metus ex eo quòd nihil magis contrarium est iuri & iustitiæ, quàm vis & dolus, vt iam sepius attigimus. Ac est quidem in hac exceptione specialiter exprimendum, de cuius dolo malo quis queratur, non in rem, si in ea re nihil dolo malo factum est; sed sic, si in ea re nihil dolo malo actoris factum est. T. Probè. C.A. Quin & res, de quibus agitur, exceptionem subinde inducunt, vt videre est sub titulo, *Quarum rerum actio non datur*. Nam post delatum ab aduersario, & præstitutum iusiurandum super re aliqua, si quidem iterum pe-

tatur, obstat exceptio iurisiurandi, quod vim rei iudicatæ obtinet, cum ipse quis iudicem aduersarium suum de causa fecerit, deferendo ei iurandum, quod sacrosanctum est & inuiolatum, sic ut amplius de eo quæri non debeat, quàm an iuratum sit. Et si in alea rem vendam, ut ludam, & euicta re conueniar, exceptione submouebitur emptor, propter turpitudinem, ut hoc modo puniatur is qui ab eo emit, quem profundere pecuniam videbat. T. Pulchrè. C.A. Et quidem *De litigiosis* (ut & titulus Codicis habet) *rebus*, de quibus cum lis cœpta erat venditis, tametsi non competat exceptio contra emptorem (nam non omnes res perperam factæ eodem modo, sed secundum gradus sui rationem damnantur, ut suo loco traditum est, ubi ostensum est, multa fieri prohiberi, quæ tamen facta tenent) vterque tamen, & emptor, & venditor, ea de re punitur. Quod quidem non secundum principia interna obtinet, sed externa: quia huiusmodi alienationes ferè fieri solent, ut potentior aduersarius opponatur, quod tamquam odij & inuidiæ plenum meritò puniendum legislatores censuerunt, non quidem in rem venditam, sed in personas contrahentium, quæ deliquerunt. Ac pertinet autem huc Nouella, *De litigiosis*, ac de decima parte litis ab actore cautela præstanda, & quando actor priuilegio uti nequeat, quod inuitus agere non compellatur.

De prætoriiis & aliis stipulationibus.

TITVLVS XIII.

T. **D**IXISTI de iudiciis prætoriiis, in quibus plus est imperij, dixisti de iis in quibus plus est iurisdictionis: reliquum est de iis ut tractes, in quibus æquæ vtriusque sunt partes. C.A. Hæc non aliis in rebus, quàm in stipulationibus prætoriiis cernuntur. Quæ quidem quoniam non aliud quàm verborum obligationes sunt, rem paulo altius repetentes, primùm vniuersaliter de obligationibus dicemus, & actionibus quæ inde existunt: deinde generaliter de verborum obligationibus, quomodo contrahantur & dissoluantur: tum specialiter de stipulationibus prætoriiis, & quomodo diuidantur. T. *De obligationibus & actionibus* (de quibus & Codicis est titulus) quid ais? C.A. Enimvero substantia obligationis non in eo consistit, ut aliquod corpus nostrum faciat, sed ut alium nobis obstringat ad dandum aliquid, aut faciendum, aut præstandum: vnde obligatio iuris vinculum dicitur, quo quis necessitate obstringitur alicuius rei soluendæ secundum nostræ ciuitatis iura. Quæ autem ex obligationibus tamquam matribus nascuntur, sunt actiones, quæ sunt ius persequendi in iudicio, quod sibi debetur, ad quas pertinent tituli Codicis, *Ut actiones ab herede, & contra heredem incipiant*, qui eadem cum defuncto est persona: ne propter nimiam subtilitatem verborum (qua veteres utebantur) latitudo voluntatis contrahentium impediatur. *Ne uxor pro marito, vel maritus pro uxore, vel mater pro filio conueniatur*, siue contractus, siue delicta spectes; quia alter alterius odio non debet prægravari. *Ne filius pro patre, vel pater pro filio emancipato, vel libertus pro patrono, vel seruus pro domino conueniatur*, quod eadem ratione. *An seruus pro suo facto post missionem teneatur*, ita quantum ad delicta attinet contra alium quàm dominum commissa, quia caput noxa sequitur, non autem quantum ad debita ciuilia contracta, quæ, quantum ad seruum attinet, pro nullis sunt. *Quando fiscus vel priuatus debitoris sui debitores conuenire possit vel debeas*, nempe si principalis debitor non est soluendo. *De hereditarijs actionibus*: de quibus traditur, pro hereditarijs partibus hæredes onera hereditaria, etiam in fisci rationibus, agnoscere. *Ex delictis defunctorum in quantum hæredes teneantur*, nimirum post litem cõtestatam in solidum, antè autem quatenus ad eos peruenit. Ac pertinent quidem ad hunc tractatum tituli Institutionum, *De obligationibus*, & *De actionibus*: ex quibus prior titulos sub se habet sequentes omnes; ac particulatim, *Quibus modis te contrahitur obligatio*: *De literarum obligationibus*: *De obligationibus ex cõsensu*: *De obligationibus quæ quasi ex cõtractu nascuntur*: *De obligationibus quæ quasi ex delicto nascuntur*: *Per quas personas nobis obligatio acquiritur*: & *Quibus modis tollitur obligatio*. Posterior autem, titulos omnes sequentes post ipsum, ac speciatim quidem, *De pœna temere litigantiu*: *De officio iudicis*, de quibus nominatim fuit hæc faciendæ mentio, quoniam non habent speciales Pandectarum aut Codicis titulos, ad quos referantur, nisi hunc solum generalem, *De obligationibus & actionibus*. T. *De verborum obligationibus* verò? C.A. Sanè cum omnes obligationes vel ex delicto sint, quæ cum inuitis contrahuntur, vel ex cõtractu, quæ cõsensu constant; & cõsensu tum quidem simplicibus verbis significatur, quod naturale est, tum autem certa formula conceptis, quod ciuile: verborum obligatio ea dicitur, quæ ex certis verbis conceptis erit, quæ quidem

dem res ideo inuenta est, vt siue contractus aliquis nominatus, aut alius ciuilibus inuendus est, siue pactio aliqua iure ciuili cognita (nam nudum pactum, licet vitandarum causa, obligationem non parere placuit): facienda per eam res formetur, & ad certam & ciuilem formulam, vnde agi possit, traducatur, sic vt quasi nodus sit omnium obligationum, quocumque modo contrahantur. T. Quomodo autem contrahuntur verborum obligationes? C. A. Per stipulationem, vt ostendit titulus Codicis, *De contrahenda & committenda stipulatione*, & titulus Institutionum, *De verborum obligatione*. Ac est quidem stipulatio, verborum conceptio, qua quis daturum, facturumve se id quod interrogatus est, respondet: fitque multis modis, vt stipulationes sint inutiles, siue ipso iure, siue per rescissionem, siue aliter, secundum diuersos gradus supra demonstratos, tam ratione personarum, si pupillus promittat, quam rei subiectarum, si id quod in rerum natura non est promittatur, nec non formarum, si inter absentes fiat, vt videre licet sub titulo Codicis, *De inutilibus stipulationibus*, qui & in Institut. existat. T. Intelligo. C. A. Nec verò solum locum habet inter singulos, sed & si, *De duobus reus constituendis*, siue (vt habent tituli Codicis & Institutionum) *De duobus reis stipulandi & promittendi* agatur: nam si duo eandem pecuniam stipulentur, duo rei stipulandi dicuntur, nomine ducto à re quæ in stipulationem deducitur, & singulis in solidum ea res debetur. Si verò duo eandem pecuniam promittunt, duo dicuntur rei promittendi, & singuli eam in solidum debent, sic tamen, vt petitione acceptilationeue vnus, tota solvatur obligatio, quæ utique non est amplius quam vna, quoad substantiam, licet, quantum ad personas, per plures sit diffusa: pertinetque huc Nouella, *De duobus reis promittendi*, qui vice mutua fideiussores accepti sunt. Atque ea quidem re, secundum principia Physica, differt stipulatio, quæ animi & iuris est, à possessione, quæ facti est & corporis, vt vna eademque stipulatio per plures personas in solidum diffundi possit, possessio autem non possit, vt supra traditum est. T. Probè. C. A. Porro *De stipulatione feruorum* (de qua & Institutionum est titulus) hoc etiam probatum est, vt licet ex persona sua nullum actum ciuilem facere possint, nam pro nullis habentur; ex persona tamen dominorum, cuius sunt instrumentum, rectè stipulantur, aded vt siue sibi stipulentur, siue domino, siue sine alterutra earum adiectione, semper teneat stipulatio, & ex ea domino acquiratur, haud aliter atque omne instrumentum acquirat ei cuius est instrumentum. T. Rectè. C. A. Et verò habent stipulationes locum non solum si de principali obligatione, sed & si *De fideiussoribus & mandatoribus* (de quibus & Codicis ac Institutionum sunt Rubricæ) agatur, qui & ipsi per stipulationem fere obligantur. Ac sunt eadem fideiussores, qui, quod alij debent, fide sua esse iubent, vnde & nomen habent: mandatores, quorum mandato, etiam sine stipulatione, pecunia aliis creditur; quod plus est certe, non minus quam fideiussio. ducitque vtrumque originem ex eodem fonte quo pignus, dum propter hominum malitiam alter alteri non credit, sed prædiis aut prædibus datis, creditor sibi vult à debitore cauere. Porro cum hæ obligationes accessoriarie sint ad principalem, secundum principia Physica, sequi debent naturam principalis, & ideo non potest in duriorum casum obligari fideiussor, quam debitor principalis, licet in faciliorem possit. Ac pertinet ad hunc tractatum Nouella, *De fideiussoribus, & mandatoribus, & sponforibus, & solutionibus*. T. Quomodo dissoluntur hæ verborum obligationes? C. A. Per nouationes, & delegationes, item solutiones, ac liberationes, & per acceptilationes. T. *De nouationibus & delegationibus* (de quibus & Codicis est Rubrica) quid ais? C. A. Nouatio est prioris debiti in aliam obligationem vel ciuilem vel naturalem transfusio atque translatio: hoc est, cum ex præcedenti causa ita noua constituitur, vt prior perimatur: veluti si quod exemptione debebatur, in verborum obligationem transferatur; quo casu dissoluitur prior obligatio, & constituitur noua: nam nouatio à nouo nomen accipit, & à noua obligatione. Delegatio est, cum quis vice sua alium reum dat creditori, vel cui creditor iusserit: quod cum fit, prior debitor liberatur. T. *De solutionibus & liberationibus* (de quibus & ipsis in Codice titulus est) autem? C. A. Solutio proprie contraria est substantiæ ipsius obligationis: vnde dicitur, Solutione eius quod debetur, tolli omnem obligationem. nec aliam vim habet verbum liberationis, nam ex solutione contingit liberatio. Quamquam paulo latius patet, quam solutio: nam cum solutio speciali nomine præcipue ad numerationem pertineat, liberatio magis de aliis modis liberandi nexus intelligitur. Quamquam generaliter solutionis verbum, inquit Paulus, pertinet ad omnem liberationem quocumque modo factam, magisque ad substantiam obligationis refertur, quam ad numerorum solutionem. T. *De acceptilatione* denique? C. A. Ea est liberatio per mutuam interrogationem, qua vtriusque contingit ab eodem nexu absolutio. Et quidem cum solutio sit naturalis, acceptilatio est ciuile inuentum, & quasi imaginaria quædam (quia circuitione huiusmodi sæ-

pe opus esse ante dictum est) solutio. Nam quemadmodum stipulatio omnem obligationem, ita acceptilatio omnem liberationem civili quadam ratione complectitur. Atque eius quidem Gallus Aquilius (nam dictum est suo loco, saepe secundarios legislatores, primi legislatoris inuentis aliquid addere) certam formulam praescripsit, qua primum omne debitum in vnam stipulationem deducitur, post vero ipsa stipulatio per acceptilationem tollitur, cum quis se acceptum ferre, quod promissum fuit, respodet. Quod ego tibi promisi, habesne acceptum? T. Iam *De stipulationibus praetoria* sequitur ut exponas. C. A. Haec autem omnes ex cautionalibus principiis feruntur, quo magis nobis sit cautum; unde dicitur omnes stipulationes natura sua cautionales esse: hoc enim agitur in stipulationibus, ut quis, cautior sit & securior interposita stipulatione: vocanturque Praetoriae, quoniam à Praetore, tamquam secundario legislatore, primum introductae fore, & certis formulis comprehensae. T. Rectè. C. A. Ac diuiduntur quidem omnes (ut habet quoque titulus Institutionum, De diuisione stipulationum) in iudiciales, quae propter iudicium interponuntur, ut iudicatum solui: & cautionales speciali nomine, quae instar actionum sunt, & ut noua sit actio intercedunt, ut de legatis stipulationes: & communes, quae sunt iudicio sistendi causa. T. Probè. C. A. Atque in his quidem principem locum tenent duo genera stipulationum, quorum vnum ad pupillos & adolescentes pertinet, quorum specialem curam praetor habet, alterum ad vim & effectum iudiciorum, quibus praetor praestit. T. Quod est primum? C. A. *Rem pupilli vel adolescentis saluam fore*: qua interposita sit ut tutor, aut curator, eiusque fideiussor, non solum de tutela aut cura, sed & ex stipulatu teneatur. Atque interponitur quidem vel pupillo ipso, si dari potest, aut adolescente interrogante, vel seruo ipsius, vel, si non habet, seruo publico: nam nihil ferè omitti solet, quo res pupillorum & adolescentum quam maxime sint in tuto. T. Quod alterum? C. A. *Iudicatum solui*: quam cautionem praestat is, qui alienam rem defendit, quod ex cautionalibus deducitur principiis, ne frustra cum eo litigetur. Ac complectitur quidem tres clausulas: de re iudicata soluenda, de re defendenda, & de dolo malo, quem abesse ab futurumque esse promittit: pendetque hinc cautio, *Rem ratam haberi, & de ratihabitione* quam praestat procurator actoris, ne frustra cum eo iudicium suscipiatur. Atque id quidem non solum cum actionem aliquam nomine procuratorio intentat, sed & cum stipulationem interponit, & cautionem exigit, quae vice sit actionis, hoc est, ex qua noua nascatur actio: veluti si de dupla stipuletur, quod non potest facere, nisi rem ratam dominum habiturum promittat. In qua promissione hoc continetur, ut, si ratum non habeatur, de eo quod stipulatoris interest, promissor teneatur, hoc modo: Si ille in integrum restitutus fuerit, haeretue eius, aut is ad quem ea res, qua de agitur, pertinebit; quanti ea res erit, tantam pecuniam dari. Ac est quidem ratihabitio, approbatio eius quod meo nomine quis gessit.

LIBER

LIBER DVODECIMVS.

De iudiciis criminalibus.

TITVLVS I.

ACCEPI de iudiciis ciuilibus, & rebus eo pertinentibus, accepi item de Prætonis: nunc agens de criminalibus, quibus tertium locum dedisti, si placet, exponito. C.A. Ita omnino faciendum est, ne quidquam, quod ad iustitiam in rempublicam inducendam pertineat, omittatur. Et quidem cum nihil sit in omni iure ciuili, quod non ex aliqua parte legalis disciplinæ deducatur, hæc iudicia criminalia inde manarunt, quod ratio inducendæ iustitiæ in rempublicam, magna ex parte in eo consistit, vt absit iniustitia: quod nulla re magis efficitur, quam delictis & criminibus coercendis. cui & hoc accedit, quod iudicia & pœnæ paucorum, documenta sunt multorum, non solum ad malum fugiendum, sed & bonum amplectendum. Cum enim quis punitur non ob id plectitur, vt quod factum est, infectum reddatur, (id enim fieri nequit) sed vt vel ipse, si quidem sanabilis est, vel alius eius exemplo, si quidem insanabilis, melior reddatur, malumque e ciuitate tollatur. Et quidem vti in singulis legibus, post proœmium & constitutionem, vltimo sequitur sanctio legis, quæ pœna constituitur aduersum eos qui secus fecerint quàm lex iubet, ita & hic conuenire visum est, vt magna huius legis, hoc est, vniuersi iuris ciuilis vltima pars esset, hæc criminalium iudiciorum descriptio, vti & apud Platonem in libris de republica, & de legibus videre licet. Nec pertinet aliud quod apud Moysen in extremo Deuteronomio exstat, nisi quod vna cum pœnis etiam præmia (nam & illa ad legis sanctionem pertinere, antè traditum est) ibi proponuntur. Quod ideo hic non fit, quoniam in communi vita, qua de sola his in libris agitur, non tantum ad bonum exhortandi, quàm a malo deterrendi sunt homines. Et verò quæ his de rebus sciscuntur, iudicia potius quàm leges dicuntur: quoniam non tam circa ea versantur, de quibus dubitatur quid in iis iustum aut non sit, sic vt legis definitione sit opus, quàm circa ea, quæ cum manifestè sint iniusta, nulla alia re opus habent, quàm vt quo pacto puniri debeant, declaretur, vnde iudiciis magis quàm verbis ea facienda esse, Cicero ait.

T. Quid autem? quonam modo iudicia hæc criminalia diuiduntur? C.A. In priuata, publica, & media. T. Quæ sunt priuata? C.A. Quæ ad singulos homines priuatim pertinent: de quibus iudicio ordinario priuato ad commodum priuatum agitur, licet ad bonum publicum subinde redundent, atque adeo publicè etiam subinde vindicentur. T. Quæ publica? C.A. Quæ rempublicam ipsam, aut insignem aliquam eius partem spectant: de quibus iudicio publico ad bonum publicum agitur. T. Quæ media? C.A. Quæ ad singulos priuatim pertinentia ad vniuersos publicè redundant: de quibus extra ordinem agitur. T. Rectè. C.A. Nobis autem de singulis ordine tractandum est. Ac primum quidem de priuatis, quæ delicta dicuntur: deinde de medijs, quæ criminosa: tum de publicis, quæ proprio nomine iudicia.

De priuatis delictis.

TITVLVS II.

HÆC sunt quæ in singulos priuatim, vt dixi, committuntur: de quibus cum pecuniariter quis expetitur, siue iure ciuili, vt de furto nec manifesto, siue honorario, vt de manifesto, ad iudicium ordinarium remitti debet nec cogendus est crimen subscribere, nisi forte extra ordinem eius rei pœnam exerceri velit. Ac quantum ad reum qui delictum commisit, attinget, tamen si quidem respectu delicti, numquam plura delicta concurrentia faciunt vt vilius impunitas detur, neque vnum delictum ob aliud delictum minuat pœnam, sic vt qui surripuit, & occidit, quia surripuit, furti; quia occidit, Aquilia teneatur, neque alteram harum actionum alteram consumat: quantum tamen ad personam delinquentis attinget, noxa caput sequitur, & ad hæredem eius (nisi locupletior factus sit) minimè extenditur, ne alteratenus odio prægrauetur. T. Quomodo autem diuiduntur hæc delicta priuata? C.A. In ea quæ circa res nostras versantur, & quæ circa personas. T. Quæ versantur circa res nostras? C.A. Fur-

tum, cum clam dolo res nostrae auferuntur; & rapina, cum vi palam: cuius utriusque origo ex eo est, quod de iniustitia supra est expositum. T. De furto autem quid ais? C. A. De eo primum generaliter agam; deinde autem particulatè. T. Generaliter quid tractas? C. A. Enimvero furtum esse aio, contractationem rei fraudulosam, lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus eius, possessionisve, quod non modò lege Mosaiica, de qua supra dictum est, sed & naturali, qua secundum iustitiam neminem laedere, & ius suum cuique tribuere iubemur, prohibitum est admittere. Ac dicitur quidem furtum, inquit Paulus, siue à furuo, id est, nigro, quod clam & obscure fiat, & plerumque nocte, vel à fraude, ut Sabinius ait; vel à ferendo, hoc est, auferendo. Sunt autem furtorum (& ideo *De furtis*, plurali numero tam hic quam in Codice Rubrica concipitur) duo genera. Manifestum, cum in ipso furto quis apprehenditur; & non manifestum, cum non apprehenditur. quae diuisio non primarij legislatoris est, nam lege duodecim tabularum, omne furtum sine ulla differentia, dupli poena dumtaxat punitur, sed secundarij, hoc est, praetoris (ut saepe fieri supra demonstratum est) qui post deinde furtum manifestum a nec manifesto deprensans; quadrupli poenam ei imposuit, siue propter maiorem improbitatem, & honestatem publicam laesam, siue ad imitationem legis Mosaiicae, & aliarum, quibus furtum quadruplo punitur, emanans hoc modo legem duodecim tabularum ex parte, quam totam tollere non poterat. spectatque huc titulus Institutionum, De obligationibus quae ex delicto nascuntur. T. Iam particulatè autem quid tractas? C. A. Primum *De tigno iniuncto*, hoc est, si quis, siue fur ipse, siue alius, tignum furtiuum aedibus vel vineis suis aptauerit: circa quam quidem rem lege duodecim tabularum placuit, ut cum in aliis rebus furtiuis non solum duplum poenae nomine peti possit, sed & ipsa res furtiua vendicari, duplum quidem rectè petatur, sed tignum ipsum iniunctum neque soluere neque vendicare permittatur. Quod quidem sic constitutum fuit, non interna iuris ratione; nam ea contrarium suadet, nempe ut quod meum est mihi restituas, sed externa, publicae utilitatis gratia, quae internam ad se trahit: vnde prouidenter hoc legem fecisse ait Ulpianus, ne vel aedificia sub hoc praetextu diruantur, vel vinearum cultura turbetur. Et si quaeras, an ergo in damno morari dominus debeat? Respondeo, non debere: sed quod una via non potest, per aliam (ut saepe fieri ante traditum est) consecuturum. Et ideo loco rei vendicationis internae, qua contra possessorem agimus, & rem consequimur, extrinseca rei vendicatione experietur, qua contra eum qui dolo malo fecit, quo minus possideat, agimus, & quanti res est, nostraque interest, consequimur. Planè tigni autem appellatione continetur omnis materia ex qua aedificium constat, vineaque necessaria. T. Intellego. C. A. Deinde, *Si is qui testamento liber esse iussus erit, post mortem domini ante aditam hereditatem surripuisse aut corrupisse quid dicatur* de bonis testatoris, siue hereditatis iacentis, si quidem rationem civilem inspicias, neque ut seruus puniri potest, propter spem libertatis, & quia non exstat dominus qui eum puniat; neque ut libertus de furto conueniri, quia utique adhuc est seruus: sed quoniam naturalis ratio (nam principia inter se pugnare ante audiuimus) non patitur ut delictum impunitum maneat, atque eo quidem minus, quod spe immunitatis audacius peccasse videri potest: secundarius legislator, qui est Praetor, supplens per circuitionem ut fit, id quod primario legislatori, hoc est, iuri civili deest, induxit pro iurisdictione sua annuali, ut intra annum utilem à tempore libertatis in duplum eo nomine possit conueniri. Nam quoties ex primariis legibus aliquid absurdi nascitur, ei rei per secundarias subueniendum esse, supra demonstratum est. Atque hoc est quod Labeo scribit, hanc actionem naturalem potius in se quam civilem aequitatem habere, si quidem civilis deficit actio: sed natura aequum est, non esse impunitum eum qui hac spe audacior factus est; quia neque ut seruum se coerceri posse intelligit, spe imminentis libertatis; neque ut liberum damnari, quia hereditati furtum fecit; hoc est, dominæ: dominus autem dominave non possunt habere furti actionem cum seruo suo, quamuis postea ad libertatem peruenerit, vel alienatus sit, nisi si postea quoque rem contrectauerit. T. Rectè. C. A. Iam *Furti aduersus nautas, caupones, stabularios* quoque agitur, si quid à quoquo eorum, quosve ibi habebunt, furtum factum esse dicetur. Quae quidem actio civilis est in duplum, quatenus ex suo facto quis conuenitur, siue ipse sit exercitor nauis, cauponae, vel stabuli, siue sit aliquis ex iis quos ibi habet homo liber, nam & contra illum potest agere is qui furtum passus est: praetoria autem quatenus ex facto eorum quos ibi habet exercitor, conuenitur: quorum quidem nomine non interna ratione tenetur; nam noxa caput sequitur, & non debet alter alterius odio praegruari, ut modò dictum est; sed externa, propter utilitatem publicam, & quia dispicere debet qualem adhibeat. Atque hanc quidem rationem spectans Praetor, hoc iuri civili adiecit, uti frequenter necesse esse, ante disputatum est. T. Optime. C. A. Porro *Si familia furtum fecisse dicitur,*

fur, hoc est, si omnes serui mei, vel plures, me ignorante (scelus autem si sciente) furto tibi aliquid abstulerint, directa & intrinseca iuris ratio vult, ut singuli in solidum propter affectionem & operam teneantur, quemadmodum si plures hominem occiderint. Sed quoniam hac ratione accideret, ut conspirantibus seruis euertere possent domini patrimonium, si omnes noxæ dedere, vel pro singulis æstimationem totius rei furto oblatæ offerre cogentur, quod durum esset & graue, ex vtilitate extrinseca, quæ internam, ut fit, ad se trahit, comparatum est, ut optionem dominus habeat, ut vel omnes noxæ dedat, vel tantum offerat, quantum si vnus liber furtum fecisset. Quod quidem vel eo etiam magis admittendum est, quoniam nihil deperdit ei qui furtum passus est. T. Teneo. C. A. Planè *Arborum furtim cæsarum* nomine non furti agitur, quoniam arbores cædere, non est lucri faciendi causa eas contrectare, sed propria actione ex duodecim tabulis, qua fit æstimatio quanti domini interfit, non cædi: nec non lege Aquilia, propter damnum datum, sic tamen ut in posteriore deducatur id quod ex prima dominus consecutus est, ne res in immensum crescat: & demique iudicio publico, de quo dicit Cæsar, eos qui arbores & maxime vitæ cæderunt, etiam tamquam latrones puniri, quoniam paria sunt, hominem occidere, & vitæ alimenta, quibus sustentatur, ei subtrahere: quod ne fiat, etiam publicè interest. Arborum appellatione & vitæ continentur, & hedera, & arundines, nec non salicæta. Cædere est non solum succidere, sed etiam ferire cædendi causa. Furtim cæsa arbores videntur, quæ ignorante domino, celandique eius causa cæduntur: quas si quis lucri faciendi causa contrectauerit, etiam furti tenetur. T. Post furtum explicatum, de rapina deinceps sequitur ut dicas. C. A. Huc pertinet titulus; *De vi bonorum raptorum* (qui & in Codice ac Institutionibus exstat) & *de turba* actione. T. De iis autem quid ais? C. A. Si cui dolo malo, inquit Prætor, hominibus coactis damnum factum esse dicetur, siue cuius bona rapta esse dicentur, in eum qui id fecisse dicetur, iudicium dabo. Item si seruus fecisse dicetur, in dominum iudiciū noxale dabo.] Atque est quidem hoc iudicium vel furti non manifesti in duplum, ex lege duodecim tabularum, quia furti nomine etiam rapina continetur, vnde improbum furtum dicitur: vel vi bonorum raptorum in quadruplum, ex edicto Prætoris, quo rapina à furto distinguitur. Cæterum quadruplum hoc non totum pœna est, ut in furto manifesto, sed continet etiam rei persecutionem: cuius rei rationem haud facile fortasse quis inuenerit; nam raptorem minus quàm furem manifestum puniri, nemo est qui non iniquum duxerit. Sed dicendum est, quoniam in raptione sine vlla distinctione vtrum in ea deprehendatur raptor nec ne, in triplum vltra rem raptam punitur, vti que raptionem grauius puniri quàm furtum, vbi fur nec manifestus, dupli dumtaxat, manifestus (quod raro accidit) quadrupli vltra rem furtiuam punitur. Cui accedit, quòd quamquam rapina improbior est, furtum tamen manifestum odiosius est. T. Probè. C. A. Ac quantum quidem ad turbam attinet, ait Prætor: Cuius dolo malo in turba damnum quid factum esse dicetur, in eum in anno, quo primùm de ea re experiundi potestas fuerit, in duplum; post annum, in simplum iudicium dabo.] Ac dicitur quidem turba, plurium hominum tumultus (differens à rixa, quæ paucorum est) in qua si quis siue ipse, eam coegerit, siue alius, non quidem rapuit aliquid, de quo tamquam grauiore superius edictum est, sed damnum dolo malo dederit, corrupendo, scindendo, frangendo, aut procurando ut hoc fiat, quod minus hac pœna, quæ minor est, punitur. Est tamen maior quàm legis Aquiliæ, quoniam cum reipublicæ perturbatione res coniuncta est. T. Audio. C. A. *De incendio, ruina, naufragio, ratis, naue expugnata* traditum est, ut si quid ex iis raptum, receptum, dolo malo, vel damni datum esse dicetur, in quadruplum in eo anno, quo primùm experiundi potestas fuerit, post annum, in simplum actio detur. Quod quidem propter grauitatem delicti sic est inductum; quoniam longè grauius & indignius est, miseris & aduersa fortuna laborantibus, quàm aliis, facere iniuriam, afflictionemque afflicto, quod dicitur, addere, ut in deposito, incendio, ruina, naufragij causa facto, videre licet. Verba autem Prætoris sunt: In eum qui ex incendio, ruina, naufragio, ratis, naue expugnata, quid rapuisse, recepisse, dolo malo, damniue quid in his rebus dedisse dicetur, in quadruplum in anno, quo primo de ea re experiundi potestas fuerit, post annum, in simplum iudicium dabo. Item in seruum & in familiam iudicium dabo.] Ad quod quidem edictum Vlpianus scribens, Huius edicti, inquit, vtilitas euident, & iustissima seueritas est: siquidem publicè interest nihil rapi ex huiusmodi casibus. Et quamquam sint de his facinoribus etiam criminum executiones, ut reipublicæ satisfiat, attamen rectè Prætor fecit, qui forenses quoque actiones criminibus istis proposuit, ut damnum passis quoquo modo satisfiat. Ita Prætor primarias leges non criminalibus modò, sed & ciuilibus iudiciis supplet. Planè cum quid incendium, ruina, naufragium sit intelligatur, ratis naue expugnari dicitur, cum spoliatur, aut mergi-

rum, aut dissoluitur, aut percunditur, aut funes eius præfunduntur, aut vela confunduntur, aut anchoræ. T. Restat de his delictis privatis: ut dicat, quæ ad personas pertinent. C. A. Hæc de iniurijs, & famosis libellis sunt: de quibus Codicis duo diversi sunt tituli, & Institutionum unus, de iniurijs. T. Quidnam autem est iniuria? C. A. Iniuria inde dicta est, quod non iure fiat: omne enim quod non iure fit, generaliter iniuria fieri dicitur, specialiter autem contumelia, quo quidem modo hæc accipiuntur. Ac fit quidem iniuria aut re, quoties manus inferuntur, aut verbis, cum contumeliam fit: inferiturque, aut si corpus, cum quis pulsatur, aut ad dignitatem, cum comes matronæ abducitur, aut ad infamiam, cum pudicitia tentatur: & fit alicui iniuria, vel per semetipsum, cum directo ipsi inferitur, vel alias personas, cum uxori, liberis, & senis nostris, & aliis qui potestati nostræ, vel affectui subiecti sunt. T. Idem memini apud Iuriscōs librum exstare. C. A. Et quidem cum furto & rapinæ punitio ad distinctionem rerum conservandam maxime pertineat, iniuriam, & famosorum libellorum coercitio, ad hominum societatem, & convictum tuendum proprie refertur, licet utraque utrisque sine communiā. T. Intellego. C. A. Et ideo quod magis iniuriæ restentur, tum quidem primarijs, tum secundarijs legibus ei rei est prospectum. T. Quibus autem primarijs? C. A. Partim Monarchicis, nem constitutionibus principibus caperentur, ea quæ infamandi alterius causa in monumenta publica posita sunt, tolli de medio partim Aristocraticis, nam senatus consulto cavetur, ne quis imaginem Imperatoris in iudicium alterius portaret: partim Democraticis, nam lege Cornelia, omnis iniuria quæ manu fit, prohibetur. T. Quibus verò secundarijs? C. A. Variis edictis Prætorum, quæ sunt: Qui aduersus bonos mores, inquit, conuictum cui fecisse, cuiusque opera factum esse dicitur, quo aduersus bonos mores conuictum fieret, in eum iudiciū dabo. Item: Ne quid infamandi causa fiat, si quis aduersus ea fecerit, prout quæque res erit, animaduertā. Ad hæc: Qui scripserit alienum aduersus bonos mores verberasse, deque eo iniuria domini quaestione habuisse dicitur, in eum iudiciū dabo. Item si quid aliud factum esse dicentur, causa cognita iudiciū dabo. Porro: Si ei qui in alterius potestate erit, iniuria facta esse dicitur, & neque is, cuius in potestate est, præsens erit, neque procurator quisquam existat qui eo nomine agat, causa cognita, ipsi qui iniuriam accepisse dicitur, iudiciū dabo. T. Probè narras. C. A. Planè quia actio iniuriarum famosa est, nec permittendum quemquam vagari cum discrimine alienæ existimationis, edicit Prætor in hæc verba: Qui agit iniuriarum, certum dicat quid iniuriæ factum sit. T. Restè. C. A. Ac quantum ad famosos libellos attinet, Si quis librum, inquit Vlpianus, ad infamiam alicuius pertinentem scripserit, composuerit, ediderit, dolo ve malo fecerit, quo quid eorum fieret, etiam si alterius nomine ediderit, vel sine nomine, uti ea de re agere liceat, & si condemnatus sit qui id fecit, interstabilis esse iubetur.

De extraordinarijs criminibus.

TITVLVS III.

T. **S**EQVITVR nunc De extraordinarijs criminibus ut exponas: de quibus neque actione civili, neque iudicio publico ordinario, sed media via extraordinaria tractari, poenamque extraordinariam irrogari dixisti. C. A. Certè generali nomine criminum extraordinariorum veniunt, sollicitate alienas nuptias, ubi propter criminis magnitudinem vel sola voluntas sine effectu pupitur: si modo corrupta vel alijs rebus aliquem perfundere, aquas publicas (purcare, partum abigere, annonam vexare, uti dardanian) solent, sacularium esse, hoc est, e sacro vetitas artes depromere, scoposimum exercere, nempe positis lapidibus, his qui agrum illum coluerint minari, aggeres maris aut fluminum rumpere, & si quæ sunt his similia; quæ alia ubique gentium locum habent, alia quibusdam in prouincijs, ut ostendit titulus Codicis, De Nili aggeribus non rumpendis, quod ignis poena vindicatur. T. Quid? An speciatim aliqua sunt capita, ad crimina extraordinaria pertinentia? C. A. Sunt verò, ut De sepulchro violato (quæ Rubrica & in Codice exstat) si quis fortè dolo malo sepulchrum violauerit, confregerit, vel corpora ossa inde extraxerit, in eoque habitauerit: omnino enim à natura insitum, & diuinis præceptis consentaneum est, ut defunctorum ratio habeatur, & à locis religiosis, cuiusmodi sunt sepulchra, violentæ manus cohibeantur, ne Deo & defunctis iniuria fiat: verba autem Prætoris sunt: Cuius dolo malo sepulchrum violatum esse dicitur, in eum in factum iudiciū dabo, ut ei, ad quem pertineat, quanti ob eam rem æquum videbitur condempnetur. Si nemo erit ad quem pertineat, siue agere nolet, qui cumque agere volet, ei tantum auctorum actionem dabo. Si plures agere volent, cuius iustissima

Affirma causa esse videbitur, ei agendi potestatem faciam. Si quis in sepulchro dolo malo habitauerit, ædificiumve aliud quàm quod sepulchri causa factum sit habuerit, in eum si quis eo nomine agere volèr, dementorum aut eorū iudiciū dabo.] T. Audio. C.A. Item *De concussione*: veluti si quis viator, apparitor, licitor, miles cohortalis, officialisve, vel quivis alius, simulato Præsidis aut alterius magistratus iussu quid extorqueat: quod sanè merito gravissimè punitur; quia & ei a quo extorquetur pecunia, fit iniuria, & ipsi publico timentur, cuius terrore aufertur. Vnde Ioannes in Evangelio; milites ad se venientes, quos non tam armatæ militiæ milites, quàm de cohorte & ministerio præsidis fuisse quidam existimant; monet ne quemquam concutiant, aut calumniam cui faciant, sed contenti sint stipe adus suis. T. Tenco. C.A. Porro *De abigèis* (de quibus & in Codice idè titulus est) qui pecora ex pascuis vel ex armentis subtrahunt; qui, prout res est, subinde etiam ad gladium damnari solent: Et est secundum distributiæ iustitiæ principia grauior pœna eorum qui iumenta, hoc est, boues & equos abigunt, quàm qui oves, aut capras, aut porcos, non quidem quia ipsum furandi peccatum non sit æquale, aut quia non tantum valent plures oves quàm vnus equus, sed quia propter opem & auxilium, quod in agris colendis, & aliis rebus ad vitam necessariis iumenta nobis præstant, magis læditur respublica in illis quàm in aliis. Vnde & apud Mosen diuersa eorum ratio in furtis habetur. Dicitur autem hoc genus maleficij durissimè puniri, non vbique, sed vbi est frequentius: quoniam circumstantiarum eam vim esse, vt aliquid intendant vel remittant, supra est expositum. T. Intellego. C.A. Ad hæc *De præuacatione*: vt si quis diuersam partem adiuuet, prodita causa sua, veluti si accusator cum reo colludat, vt absoluat: pertinetque eodem si aduocatus cum clientis sui aduersario colludat, qui quidem non solum hominem, & causam quam tuendam suscepit, deserit, sed & prodit, & quod magis est, proditam sua ope euertit. Ac dicitur quidem præuacator quasi varicator, nomine, vt Labeo ait, à varia certatione tracto: nam qui præuacatur, ex vtraque parte consistit, nempe verbis ab vna, & re ipsa ab altera, quo nihil humanæ fidei, & principis iustitiæ magis est contrarium. T. Bene dicis. C.A. Tum *De receptoribus*, qui fures, latrones, & id genus nefarios homines suscipiunt & occultant: qui quidem ob id eadem pœna puniuntur, quoniam sine illis nemo latere diu posset, ita vt in vindicandis criminibus, non eorum modò ratio habenda sit qui ea perpetrant, sed & eorum sine quibus ipsi non essent, aut certè diu latere non possent. Atque huc quidem pertinet titulus Codicis, *De his qui latrones, vel alij criminibus reos occultauerint*, qui quidem licet ipsi latrones, aut alij criminosi non sint, in eandem tamen causam cum iis incidunt, prout sæpe euenire, supra est expositum. T. Rectè. C.A. Deinde *De furibus balnearijs*, qui in publicis balneis vestes & alia furantur: quorum ob id grauior debet esse pœna, quoniam reipublicæ secundum principia politica interest, vt in loco publico, vbi custodia tam arcta esse non potest, saluis rebus esse liceat; & pertinet ad curam ipsius reipublicæ, vt loca publica secura sint & tuta. T. Probè. C.A. Post *De effractoribus & expilatoribus*. Ac sunt quidem effractores, qui effractis carceribus effugerint, & custodiam publicam violauerint, quos ob locum iustitiæ læsum, grauius puniri reipublicæ interest, secus autem, si per negligentiam custodum qui euaserint. Expilatores, qui perforatis parietibus pecuniam aut aliud quidpiam abstulerint: quos tamquam fures atrociores, grauius puniri lex iubet. Nam circumstantiarum hanc vim esse, iam sæpe dictum est. T. Optimè. C.A. Et ideo grauius extra ordinem quoque puniuntur qui crimen *Expilata hereditatis* commiserint, qui quidem sunt qui ex hereditate iacente quid abstulerint. Nam cum (secundum strictam descriptionem furti, quod propriè locum non habet, nisi cum aliqua est persona, cui furtum fiat) hoc casu furtum fieri non dicatur, quoniam ante aditam vel possessam hereditatem nemo est dominus bonorum; ne tamen crimen impunitum maneat, inducta est propria accusatio, quæ vocatur, *Expilata hereditatis*. Quæ quidem (vti & sub Titulo Codicis *De crimine expilata hereditatis* proditur) grauior habetur quàm furti: quia cum nemo sit dominus qui res hereditarias custodiat, maius est maleficium, si quis eas surripiat. T. Pulchrè. C.A. Porro pertinet huc quoque crimen *Stellionatus*, cui à stellione animali vario colore nomen est impositum: nam propriè dicitur de iis criminibus vbi impositura est; collusio, falsarum mercium suppositio, rei alij obligatæ dissimulata obligatione per calliditatem distractio, permutatio, aut in solum datio, venditio, cum similibus. & generaliter quemadmodum in priuatis ciuilibus iudiciis, deficientibus aliis actionibus, de dolo agitur, ita vbi in criminibus proprius titulus deficit, stellionatus est persecutio. Nam cum per rerum naturam fieri non possit, vt omnes species enumerentur, constituendum est genus quoddam, quod quæ certam speciè non habent, referantur. vt & in libris Codicis sub Rubrica, *De crimine stellionatus* videre licet. T. Pulchrè. C.A. Quin & iudiciū *De termino moto* extraordinarium est, ha-

betque

betque propriè locum, cum termini agrorum, per quos rerum dominia potissimum distinguuntur, dolo malo sublatis vel translatis sunt, extrave suum gradum vel fines moti: quod quidem crimen tanto habetur gravius, quantum res ipsa quæ violatur sanctior est: nam inde & terminus Deus dictus est, & ipsius iustitiæ siue Themidis statua & figura est terminus, quoniam ad eius munus, ut antè expositum est, vel maxime pertinet, ut confusa distinguantur, & quod cuiusque proprium est, discernatur. Punitur autem ex conditione personæ, & mento delinquentis, ut in plerisque omnibus delictis extraordinariis, secundum principia iustitiæ distributiæ, & circumstantiarum rationem fieri solet. T. Bellè. C.A. Pertinet huc quoque iudicium, *De collegijs & corporibus illicitis*, quæ contra ius, sine permisso principis vel magistratus vsurpantur. Quod quidem, secundum principia cautionalia, ideo ferendum non est, quoniam ea res factionum, & seditionum, & aliorum tumultuum ferè solet esse causa, & ex vna ciuitate, quæ ipsa non nisi magnum quoddam corpus est ac collegium, plures efficit, quo nihil in republica est perniciosius. Et ideo quisquis, inquit Vlpianus, illicitum collegium vsurpauerit, ea pœna tenetur, qua tenentur, qui hominibus armatis, loca publica, vel templa occupasse iudicati sunt: qui per titulum Codicis, *De seditionibus, & qui plebem audent contra rempublicam colligere*, coërcentur. Planè quædam autem sunt collegia licita militum, artificum, ac similibum, quibus tamquam nervis quibusdam ad rempublicam colligendam opus esse, supra est demonstratum: & proinde religionis causa coire, non prohibetur, dummodo sub illius prætextu, illiciti cœtus non cieantur. T. Optime. C.A. Denique refertur quoque ad hunc tractatum de criminibus extraordinariis titulus, *De popularibus actionibus*, quoniam actiones populares, neque ut priuatæ, neque ut publicæ ordinariæ, sed media quadam ratione extraordinaria tractantur. Ac sunt quidem populares actiones, quæ suum ius populo tuentur, eiusque rei causa cuilibet de populo competunt: veluti si album Prætoris corruptum sit, si quid in suggrunda, mœniano protecto, vel pergula positum, quod nocere possit, si sepulchrum violatum, cum similibus, quorum rationem haberi, totius populi interest, licet tam graua non sint, ut in crimen publicum incidant. Et cum nonnumquã fiat, ut non solum populi, sed & priuatim alicuius intersit, ea de re in iudicio tractari, concurrētibus pluribus ad agendum, is cuius interest, præfertur: & si nullius, vel omnium interest, Prætor eligit idoneiorem. Planè diuersorum ratione actiones populares & priuatæ sunt, & publicæ, unde & nomina vltro citroque sæpe confunduntur.

De publicis iudiciis.

TITVLVS IIII.

T. **D**E HINC *De publicis iudicijs* (de quibus & Institutionum Rubrica est) expecto ut dicas. C.A. Hæc sunt quæ ex legibus iudiciorum publicorum veniunt. Ac sunt vel capitalia, vbi pœna mors est, aut aquæ & ignis interdictio; nam tum caput eximitur è ciuitate: vel pecuniaria, vbi de patrimonio aliquid depohitur: vel media & mixta, vbi corpus bona & fama affliguntur. De quarum quidem rerum ordine ac gradu quoniam plura dicta sunt superius, nihil est opus ut hic repetantur, sed satis est intelligi, ex vniuersali iurisprudencia tamquam suo fonte omnia profuere. T. Rectè. C.A. Et quidem cum sæpe contingat, ut de re familiari, & ciuilibus & naturalis competat actio, à plerisque prudentum generaliter definitum est (inquiunt Imperatores titulo Codicis, *Quando civilis actio naturali præiudicet, & an vtraque ab eodem exerceri possit*) vtraque licere experiri, siue prius criminalis, siue civilis actio moueatur; nec si ciuilitè fuerit actum, criminalem posse consumi, quia iura priuatorum non possunt iuri publico derogare, & similiter è contrario, quia publicum non derogat priuato. T. Intelligo. C.A. Planè ordo autem quem hic tenebimus, erit, ut primum dicatur de ratione instituendorum iudiciorum publicorum, deinde de ipsis criminibus publicis, tum quo pacto publica iudicia peragantur.

De ratione instituendorum iudiciorum publicorum.


TITVLVS V.

T. **R**ATIO autem qua iudicia publica instituuntur, in quibus consistit? C.A. In duobus, quorum vnum accusatores, alterum reos respicit. T. Primum autem quodnam est? C.A. *De accusationibus & inscriptionibus*, de quibus & Codicis est titulus. Ac est quidè accusatio, criminalis iudicij persecutio, per eum qui accusandi potestatem habet. habent autem qui non prohibentur; prohibentur verò alij propter sexum, ut mulier, eo quòd femina ab omnibus negotiis publicis

publicis sunt remotæ: alij propter ætatem, vt pupilli, qui plenum animi iudiciũ non habent: alij propter sacramentum, vt qui stipendium merent, ne à sua militia abducantur: alij propter magistratum potestatemve, in qua agentes sine fraude, in ius euocari non possunt: alij propter delictum, vt infames, qui non habent personam standi in iudicio: alij propter conditionem suam, vt liberti contra patronos, quibus reuerentiam debent: alij propter suspicionem calumniæ, vt illi qui falsum testimonium subornati dixerunt: alij propter paupertatem, vt sunt qui minùs quàm quinquaginta aureos habent. de quibus quidem omnibus, & aliis, est quoque titulus Codicis, *De his qui accusare non possunt*. Et verò si suam iniuriam exsequantur, mortemve propinquiorum defendant, ab accusatione non excluduntur. Inscriptiones sunt, cum qui alium accusant, vnus vel plures se inscribunt in crimen, eamque rem se peracturos affirmant. Quæ res non tam de natura ipsius accusationis est, quàm ad cautionem foris adscita, ne temere ad accusandum quis prosiliat, & vt calumnianum iniquitates, quoad eius fieri queat, repellantur. Formula autem inscriptionis talis ferme est. Consul & dies apud illum Prætorem vel Consulem Luctius Titius professus est, se Meuiam lege Iulia de adulteriis deferre, quòd dicat eam cum Caio Seio in ciuitate illa, domo illius, mense illo, Consulibus illis, adulterium commisisse. Enimvero si (vt habet titulus Codicis) *reus vel accusator mortuus fuerit*, crimen morte plerumq. finitur: nam mors vltima linea rerum est. T. Alterum verò? C.A. *De custodia & exhibitione reorum*. Ac est quidem custodia, cum qui reus alicuius criminis postulatur, publica auctoritate (nam *De priuatis carceribus inhibendus*, idque pœna capitis expressa, Codicis Rubrica est) custodiendus datur, vt & sub titulo Codicis, *De custodia reorum*, demonstratur. In qua te magistratus est æstimare (nam non omnia legibus describi possunt, sed multa relinquenda sunt iudicibus, & eorum prudentiæ, vt antè traditum est) vtrum in carcerem recipienda sit persona, an militi tradenda, vel fideiussoribus committenda, vel etiam sibi: quod omne, vel pro criminis quod obiicitur qualitate, vel propter honorem, aut propter amplissimas facultates, vel pro innocentia personæ, vel pro dignitate eius qui accusatur, facere solet: nam hæc etiam atque etiam videnda esse, suis locis traditum est. De exhibitione prima regula est: Si quis reum criminis pro quo satisdederit, non exhibuerit, pœna pecuniaria plectitur, & si dolo non exhibuit, etiam extra ordinem punitur. Secunda: Milites si amiserint custodias, ita vt exhibere non possint, ipsi in periculum deducuntur. Tertia (quæ est sub Rubrica Codicis, *De exhibendis & transmissendis reis*) Miles à Præsede prouinciæ ob crimen publicum comprehensus, ad magistrum militum transmitti debet. Ac pertinet quidem huc Nouella, *De exhibendis & introducendis reis*: & vt ij qui conueniuntur, post vigesimum diem presententur iudicibus: & de iis qui iuratoriam cautionem opponunt, & ante litis contestationem absentes fiunt: & de hypothecis militiarum quæ appellantur ex casu, & quæ personæ, & quando hoc ius habent: & de indotatis vxoribus, vt habeant quartam partem in substantia viri, & ipse vir in substantia vxoris quando inops, & cui relinquatur.

De criminibus publicis.

TITVLVS VI.

T.  **P**SA crimina publica quænam sunt? C.A. Ea vel homines potissimum spectant, vel res. T. Quæ autem spectant homines? C.A. Quæ diuersis legibus continentur, ad quas iurisperiti olim commentarios scripserunt, vt primùm tam in Codice, quàm hinc in Pandectis, *Ad legem Iuliam maiestatis*. qua de re sic scriptum est: Proximum sacrilegio crimen est, quod maiestatis dicitur: maiestatis autem crimen illud est, quod aduersus populum Romanum, vel aduersus securitatem eius committitur, quo tenetur is cuius opéra, dolo malo consilium initum erit, quo obsides iniussu Principis intercederent, quo armati homines cum telis lapidibusve in vrbe sint, conueniantve aduersus rempublicam, locave occupent, vel templa, quove cœtus conuentusve sint, hominesve ad seditionem conuocentur, cuiusve opéra, consilio, dolo malo, consiliũ initum erit, quo quis magistratus populi Romani, quive imperium potestatemve habet, occidatur, quove quis contra rempublicam arma ferat, quove hostibus populi Romani nuntium literasve miserit, signumve dederit, fecitve dolo malo, quo hostes populi Romani consilio iuuentur aduersus rempublicam, quive miles sacrauerit, concitaueritve, quo seditio tumultusve aduersus rempublicam fiat. Quæ omnia, & iis similia, ideo sacrilegio proxima dicuntur, quoniam ad summam reipublicæ pertinent, cuius secunda post religionem ratio habetur, vt idoneo loco tractatum est. Planè si quis *Imperatori maledixerit*, nolunt eum Theodosius, Arcadius, & Honorius Imppp. sub hoc titulo


tulo Codicis penè subingari, neque durum aliquid neque asperum sustinere: quoniam si id ex leuitate processerit, contemnendum est; si ex infania, miseratione dignissimum; si ex iniuria, remittendum. T. Rectè. C.A. Item *Ad legem Iuliam de adulterijs coercendis*, siue *Ad legem Iuliam de adulterijs & stupro*, vt est in Codice, cuius legis verba sunt: Ne quis post hæc stuprum adulteriumve facito, sciens dolo malo. Nam præterquam quòd nihil procreationi liberorum magis est contrarium, quæ omnino necessaria est, vt certa iustaque prole repleatur ciuitas, & à primis naturæ principiis, vt suprâ traditum est, manauit; tum & ipsi sacrosanctæ societati coniugali, quæ omnis societatis humanæ principium est & caput, & ex duobus vnam carnem, vt à Deo instituta est, efficit, prorsus est aduersum. Et quidem lex stuprum & adulterium promiscuè per abusionem appellat, sed propriè adulterium in nupta committitur, propter partum ex altero conceptum composito nomine: Stuprum verò in virgine viduæ committitur, habeturque crimen hoc tam graue, vt patri & marito adulterum in ipsa turpitudine deprehensum occidere liceat, nec non & filiam cum adultero: & si maritus vxorem occiderit, vltimum supplicium, secundùm principia extraordinaria, vbi de huiusmodi circuitionibus traditum est, remittitur. Et si quis eam cuius tutor fuerit corruerit, deportationi, propter perfidiæ grauitatem cum libidine coniunctam, subiugatur, atque vniuersæ eius facultates fisci iuribus vindicantur, vt in Codice videre licet, vbi & *De mulieribus qua se proprijs seruis iunxerunt agitur*: quod, quantum ad mulieres, morte; quantum ad seruos, igne, propter summam rei indignitatem, punitur. T. Probè. C.A. Deinde *Ad legem Iuliam de vi publica*; qua, vt suprâ probatum, nihil iustitiæ magis est contrarium. Ac tenetur quidem hac lege, qui arma, tela, domi suæ in agròve aut villa, præter vsum venationis, vel itineris, vel nauigationis coegerit, qui turbæ seditionisve faciendæ consilium inierit, seruoive, aut liberos homines in armis habuerit: item qui cum imperium potestatemve haberet, ciuem Romanum aduersum prouocationem necauerit, verberauerit: quive dolo malo fecerit, quo minus iudicia tutò exerceantur, aut iudices vt oportet iudicent, vel is qui potestatem imperiumve habebit, aliter quàm ei ius erit, decernat, imperet, faciat. Pertinetque huc quoque titulus Codicis, *De raptu virginum*, seu *viduarum, nec non sanctorum*: quod, ob enormitatem criminis, vel tentasse capitale est, & ob iustum dolorem, & quia periculum in mora est, à propinquis feminæ in facto ipso vel morte vindicare permittitur. pertinentq. huc Nouellæ, *De raptis mulieribus quæ raptoribus nubunt*. Remissio pœnæ illicitè contractarum nuptiarum. De muliere raptum passa. De ea quæ rapti suo nubit. De his qui in Osdroëna illicitas contrahunt nuptias. De vicariis seu locum tenentibus, item mulieribus adulterium committentibus, & aliis capitulis. T. Optimè. C.A. Nec longè hinc abest quod *Ad legem Iuliam de vi priuata* tractatur: nam à priuatis iniurijs, ferè solet ad publicas perueniri. Et ob id in Codice duo hi tituli in vnum sunt coniecti per Rubricam, *Ad legem Iuliam de vi publica vel priuata*. tenetur autem hac lege, qui conuocatis hominibus siue armis (nam hoc modo vis priuata à publica distinguitur, quoniam arma habere publicum est) vim fecerit, quò quis verberaretur, pulsaretur, neque homo occisus erit. T. Intelligo. C.A. Cæterùm si quis occisus esse dicitur, venitur *Ad legem Corneliam de sicarijs* (qui titulus & in Codice exstat) nomine ducto à sicis, qui parui sunt gladij, qui ad homines occidendos clam ferri solent; & *veneficjs*, qua tenetur qui contra Dei ipsius præceptum hominem occiderit, cuiusve dolo malo incendiū factum erit, quive hominis occidendi furtive faciendi causa, cum telo ambulauerit, quive, cum magistratus esset, publicòve iudicio præfesset, operam dedisset quo quis falsum iudicium profiteretur, vt quis conueniretur, condemnaretur. Præterea tenetur qui hominis necandi causa venenum confecerit, dederit: cum qua quidem re, quia & artes magicæ, quæ à superstitionis prædictionibus, & figuris mathematicis ferè dependent, sæpe coniunguntur, factus est titulus Codicis, *De maleficis, & mathematicis, & cæteris similibus*, qui falsum testimonium dolo malo dixerit, quo quis publico iudicio rei capitalis damnaretur, quive magistratus iudexve quæstionis, sub capitale causam pecuniam acceperit, vt publica lege reus fieret. Additum autem est, Dolo, quia vt grauissimè apud Platonem disputatur, & nos ante cum de singularibus principiis ageretur, audiuius, multum refert, dolone homicidium fiat, quod omnino puniendum est: an casu aut fato, quod in pœnam non cadit, & ob id apud Moysen certa loca refugijis destinantur, qui in eiusmodi infortunium incidunt: an verò medio modo, hoc est, culpa, veluti per iram, negligentiam, imperitiam, vbi, prout res magis aut minus ad alterum extremorum inclinât, ita vel miseratione ac venia digna est, vel non est. Qua quidem venia sæpe opus esse in republica, antè quoque declaratum est. T. Verùm. C.A. Et quidem cum omnia homicidia grauissima sint, tamquam naturæ penitus & sacrosanctæ

ſocietati humanae contraria, quam inter homines Deus conſtituit; cum nullum eſt grauius quam parricidium, cum quis eum à quo in lucem productus eſt, occidit, vel eum quem ipſe produxit. de qua re agitur in tractatu, *De lege Pompeia de parricidijs*: qua quidē tenentur, & culleo cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & ſimia inſuti, in mare proiciuntur, qui patrem, auum, auiam, fratrem, ſororem, patrualem matrualem, patruum, auunculū, amitam, conſobrinam, uxorem, virum, generum, ſocrum, vitricum, priuignum, patronum, patronam, vel liberos occiderint, vt docet titulus Codicis, *De hijs qui parentes vel liberos occiderunt*. Alia autem res eſt, ſi quis liberos ſuos aut alios propinquos emendandi cauſa caſtigat: nam id non modò in ſeruis (de quibus eſt Rubrica Codicis: *De emendatione ſeruatorum*) ſed & in illis per-
 mitteri, dummodo modus teneatur, traditur ſub titulo, *De emendatione propinquorum*, his verbis: In corrigendis minoribus pro qualitate delicti, ſenioribus propinquis tribuimus poteſtatem, vt quos ad vitæ decora domesticæ laudis exempla non prouocant, ſaltem correptionis medicina compellat. Neque tamen nos in puniendis minorum vitijs poteſtatem in immenſum extendi volumus, ſed iure patrio auctoritas corrigat propinqui iuuenis erratum, & priuata animaduerſione compellat. Quòd ſi atrocitas facti, ius demòſticum emendationis excedat, placet enormis delicti reos dedi iudicum notioni. T. Habeo de ijs criminibus publicis, quæ perſonas ſpectant: nunc de illis quæ ad res pertinet, reddito. C. A. Ex his primum eſt, *De lege Cornelia de falſis, & de ſenatuſconſulto Liboniano*, quo legis Cornelie pœna ad teſtamenta producit: nam id ex rationis conſequentia ſæpe fieri ſuperius audiuiſimus. Ac pertinet quidem propriè lex Cornelia ad eos qui teſtationes falſas fecerint, tabulas ceræſve corruerint, pecuniam adulterauerint, falſis inſignibus militarijs uſi ſint, cum his ſimilibus. Qui quidem vel ob id grauiſſimè coerceri debent, quòd iuſtitie & veritati, quæ anima eſt reipublicæ, nihil eſt magis contrariū, quam falſum & mendacium. Pertinentque huc tituli Codicis, *Ad legem Corneliam de falſis, de hijs qui ſibi adſcribunt in teſtamento*, quod ſecundum principia externa, ob falſi ſuſpicionem, ſub pœna legis Cornelie, eſt prohibitum: *De falſa moneta*: quam qui cudunt, fundunt, tingunt, fingunt, flammis obneruum reipublicæ violatum comburuntur: & *De mutatione nominis*. Nam falſi nominis vel cognominis adſeueratio, pœna falſi coercetur: ſecus autem eſt, ſi quis homo liber ſine fraude nomen, prænomen, vel cognomen mutat, quod eſt permiſſum; haud ſecus atque ipſa impoſitio ab initio eſt libera. T. Præclarè ſanè. C. A. Pertinet huc quoque quod *De lege Iulia repetundarū* ſcribitur: quæ pertinet ad eas pecunias repetendas (nam inde nomen habent) quas quis in magiſtratu, poteſtate, curatione, legatione, vel quo alio officio, munere, miniſteriove publico cepit, vel cum ex conſorte cuius eorum eſt. Item ſi quis pecuniam ob iudicandum decernendumve acceperit, vel quo maius aut minus quid ex officio ſuo faceret, cum alijs eiſmodi. Quod quidem qui facit, primum circa rem ipſam, & in rempublicam peccat: deinde id quod gratis & ratione officij facere deberet, vendit: quod vtrumque grauiſſimum delictum eſt, ob pecuniæ in re ſancta, quæ incontaminata eſſe debet, interuentum; & quam ſeueriſſimè meritò puniendum, nempe vt (quemadmodum Codice eodem titulo ſcribitur) vnus pœna, merus poſſit eſſe multorum, nève qui rebus iudicandis præſunt, iidem & mercatores ſint, & alienum iurgium, ſuam putent eſſe prædam. T. Bene dictum. C. A. Item *De lege Iulia de annonæ*: qua pœna ſtatuitur aduerſum eum qui contra annonam (qua ad vitæ neceſſitatem in republica omnino opus eſt) fecerit, ſocietatēve coierit, quo annonæ carior fiat. Quæ quidem reſtam odioſa eſt, vt etiamſi non ſoleant hoc genus nunciationis mulieres exercere, propter honeſtatem publicam; tamen audiantur propter vtilitatem: nam ſæpe vnum principium alij præiudicare, ſuprà eſt expoſitum. T. Teneo. C. A. Tum *Ad legem Iuliam peculatus, & de ſacrilegio, & de reſiduis*: qua tenentur qui ex pecunia ſacra vel religioſa, in quam propriè ſacrilegium committitur; publicæve, quæ ad totius corporis ſuſtentionem quam diligentiffimè conſeruari debet, in quam peculatus, quid abſtulerint, interceperint, aut in rem ſuā verterint, vel apud quos reſidui quid eſt ex pecunia publica quam adminiſtrant, ac maximè quidem ſi apud ſe publicam pecuniam delegatā in uſum aliquem retinuerint, neque in eum conſumpſerint. Atque eſt quidē peculatus pœna, aquæ & ignis interdictione, in quam hodie ſucceſſit deportatio; ſacrilegij, capitis punitio. Congruuntque cum hoc titulo Rubricæ Codicis, *De crimine peculatus, & de crimine ſacrilegij*. T. Probè. C. A. Ad hæc *De lege Iulia ambitus*: qua puniuntur, qui ambiendo, hoc eſt, domos eorum obeundo qui ſuffragium habent, magiſtratum aut ſacerdotium petunt. Quod quidem qui faciunt, præterquam quòd alios corrumpere ſtudent, tum & ipſi non vt viri boni, ſed mali, ad rempublicam accedere videntur. Nam cum tribus omnino ex cauſis ad rempublicam accedatur, lucri, honoris,

aut pœnæ euitandæ gratia: primæ dux malorum sunt hominum, nempe lucri vel honoris cupidorum; tertia autem sola bonorum, cum quis vir bonus, non tam sponte quam necessitate coactus rempublicam capeffit, ne à malis occupetur, quæ est pœna grauissima, quam vir bonus patitur. Planè hæc lex, inquit Modestinus, in vrbe hodie cessat, quia ad curam Principis magistratum creatio pertinet, non ad populi fauorem. Quod si autem in municipio contra hanc legem magistratum aut sacerdotium quis petierit, per senatusconsultum centum aureis cum infamia punitur; qua lege damnatus, si alium conuicerit, in integrum restituitur, non tamen pecuniam recipit. Est hac eadem de re titulus Codicis, *Ad legem Iuliam de ambitu*. T. Probè. C.A. Porrò *De lege Fabia de plagiaris*, siue (vt habet Rubrica Codicis) *Ad legem Iuliam de plagiaris*: qua quidem capitali pœna plectuntur, qui scientes, dolo malo, quod propriè plagium est, liberum hominem pro seruo vendunt vel emunt; quod ne fiat, vltra iniuriam priuatam interest reipublicæ, ne liberum caput ciuitati surripiatur. Et verò speciem plagij habet, si libertinæ conditionis homo ea quæ ingenuorum sunt, circa honores & dignitates ausus fuerit attentare: quod grauitè per titulum Codicis, *Ad legem Viselliam* vindicatur, ne contra formalia iustitiæ principia, ordines reipublicæ confundantur. T. Pulchrè. C.A. Denique *Ad senatusconsultum Turpilianum* (de quo titulus quoque Codicis est) *Es de abolitionibus criminum*. Nam cum reipublicæ interfit, & iustitiæ ratio exigat, vt innocentes defendantur, nocentesque ita vt oportet puniantur; hoc senatusconsulto, accusatorum temeritas tribus modis detegitur, & tribus modis punitur. Aut enim calumniantur, aut præuaricantur, aut tergiuersantur. T. De primo quid dicit? C.A. Calumniari est falsa crimina intendere, & rectè factum in crimen vertere: quod haud scio an omnium quæcumque homini ab homine mala fiunt, sit indignissimum; vnde è contra in Euangelio pro calumniantibus se orare inter perfectissima ponitur. pertinetque huc Rubrica Codicis, *De calumniatoribus*: qui grauissimè iure puniuntur; quoniam eorum factio nihil iustitiæ magis est contrarium; T. De secundo autem? C.A. Præuaricari est vera crimina abscondere; qua de re modo dictum est. T. De tertio verò? C.A. Tergiuersari est in vniuersum ab accusatione desistere: quod qui facit, tacitè culpam suam confitetur, dum quasi terga vertat. Atque vt aliquis circa eam rem sit terminus, factus est titulus Codicis, *Vt intra certum tempus criminalis questio terminetur*, aded vt nisi intra id tempus accusator iudicium peragat, grauitè puniatur. T. Audio. C.A. Planè si accusator pœnitentia ductus, vel alia de causa, petat, vt rei nomen à numero eorum qui publico iudicio accusantur, aboleatur; quamquam quis fortasse dixerit, reipublicæ interesse vt crimina vindicentur, externa tamen ratione, propter fauorem innocentiz, quia innocentes potiùs quam nocentes homines esse optamus, probatum est, vt postposito odio, fauor præferatur, & abolitio concedatur. Quæ tum etiam ferè fit, cum accusator pendente accusatione moritur, vel iusta causa impeditur, quo minùs peragere possit; vt & sub titulo Codicis, *De abolitionibus*, videre licet. Nec rarè fit, vt ob causam aliquam publicam generalis abolitio criminum à Principe (vt habet titulus Codicis, *De generali abolitione*) concedatur: nam secundùm principia singularia sæpe ad pacandam rempublicam ita conuenit, vt deletis veteribus tabulis, nouæ fiant; & dimissis in vniuersum præteritis criminibus ac deletis, tota respublica in integrum quasi restituatur. possuntque ad hos titulos de criminibus publicis referri Nouellæ De lenonibus: Scenicas non solùm, si fideiussores præstent, sed & si iusiurandum dent, sine periculo discedere. De infantibus expositis, vt pro liberis hominibus habeantur. De his qui eunuchos faciunt.

Quo pacto iudicia publica peragantur.

TITVLVS VII.

T.  AM quonam autem pacto iudicia publica peragantur, reddito. C.A. Id verò tribus rebus continetur: nam alia præcedunt punitionem, alia ad ipsam pertinent, alia sequuntur. T. Quæ sunt quæ præcedunt? C.A. Primum est, *De requirendis reus* (de qua re titulus quoque est Codicis) *vel absentibus damnandis*. Nam cum naturali ratione nemo damnandus sit, nisi auditus (quod & sacris literis est proditum) quoniam absque eo vera causæ cognitio haberi non potest, cui consequens est, vt nec absens debeat condemnari, ac maximè quidem

dem, cum de maiori poena infligenda agitur, iure constitutum est, ut si de crimine capitali quis deferatur, eius nomen à magistratu, ad quem ea res pertinet, annotetur, annotatusque per edicta vel literas ad magistratus requiratur ac euocetur, ut copiam sui præster. Quo pendente tempore bona eius obsignantur; & nisi intra annum officium fecerit, in fiscum ob contumaciam coguntur. Si verò fecerit, & se purgauerit, integram rem suam habet. T. Rectè. C.A. Alterum est, *De questionibus* (de quibus & Codicis Rubrica est) quæ sunt per tormenta reis vel aliis adhibita, ad veritatem criminis capitalis, post alia indicia & argumenta, quæ magnam suspicionem mouent (& non aliter) eruendam: nam cum alia remedia non proficiant, ad vim tandem veniendum esse, supra audiuius. Cæterum non est à questionibus incipiendum; quoniam probatio non à reo, sed ab actore procedere debet, & fides questionibus non semper, nec tamen numquam habenda est. Est enim res fragilis & periculosa, & quæ veritatem fallit: nam plerique patientia siue duritia ita tormenta contemnunt, ut exprimi ab iis veritas nullo modo possit: alij tanta sunt impatientia, ut in quouis mentiri, quàm pati tormenta malint. Et verò etiam si quis vltro de maleficio fateatur, non semper ei fides habenda est, nonnumquam enim aus metu, aut qua alia de causa in se confitentur. T. Nunc de iis quæ ad ipsam punitionem pertinent, siue *De penis* (de quibus & Codicis titulus est) quid dicis? C.A. De iis primum generaliter, post specialiter tractabo. T. Generaliter quid ais? C.A. Planè omnia quæ puniuntur, aut facta sunt, ut furtum, cædesque, aut dicta, ut conuicia, & infidæ aduocationes, aut scripta, ut falsi aut famosi libelli, aut consilia, ut coniurationes, & latronum conscientia, quosque alios suadendo iuuisse, commissi sceleris est instar; nam cogitationis non proditæ poenam nemo apud homines patitur. sed hæc quidem quatuor, septem modis considerantur, causa, persona, loco, tempore, qualitate, euentu: quæ sunt septem circumstantiæ, de quibus supra est expositum, & quam vim habeant, declaratum. Poenæ autem, quibus pro criminum qualitate ac differentia homines coercentur (præter comminationem post mortem) sunt, ut aut vitam adimant, aut seruitutem iniungant, aut ciuitatem auferant, aut exilium, aut coercitionem corporis contineant, aut damnum cum infamia, aut dignitatis aliquam depositionem, aut actus alicuius prohibitionem. In quibus omnibus rectè, atque vti oportet, distribuendis, perspicendum est, inquit Iuriconsultus, ne quid aut durius, aut remissius constituatur, quàm causa deposcit: nec enim aut seueritatis, aut clementiæ gloria affectanda est, sed perpenso iudicio, prout quæque res expostulat, statuendum est. Planè in leuioribus causis proniores ad lenitatem iudices esse debent, in grauioribus poenis, seueritatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi. Planè originem poenarum à disciplina esse, & ad eius qui punitur emendationem, exemplumque aliorum, & malum de medio tollendum pertinere, supra demonstratum est. Atque vsque adeò quidem bonum eius qui punitur spectant, ut, etiam si plectatur, melius tamen hoc ipsum ei sit quàm impunitum in viuis manere. Nam delinquenti tum optimè fit, inquit Plato, cum de delicto pro qualitate eius punitur; tum autem pessimè, cum impunitus euadit. T. Specialiter autem quid tractas? C.A. Primum *De bonis damnatorum*: quoniam non, ut quisque in carcerem ductus est, spoliari eum oportet, sed post condemnationem siue præscriptionem, ut habet titulus Codicis, *De bonis præscriptorum seu damnatorum*. Et quidem damnatione bona publicantur, cum aut vita adimitur aut ciuitas, aut seruilis conditio irrogatur: quia id quod maius est, per consequentiam trahit secum id quod est minus, sic tamen ut liberorum, quos naturalis ratio quasi lex quædam tacita ad successionem vocat, ratio habeatur, ne in alieno admisso grauiorem poenam leuant, quos nulla contingit culpa, interdum in summam egestatem deuoluti, quod cum aliqua moderatione, inquit Paulus, defini placuit, ut qui ad vniuersitatem venturi erant, iure successionis ex ea portiones sibi concessas haberent. Porro exceptis iis iudicibus qui in summa administrationis sunt positi potestate, reliquos totius substantiæ confiscationem non habere, nisi ad Imperatorem ea de re referant, sub titulo Codicis, *Ne sine iussu principis, certis iudicibus liceat confiscare*, proditur. T. Probè. C.A. Deinde *De bonis eorum qui ante sententiam, vel mortem sibi consciuerint, vel accusatorem corruperint*. Nam si quis iam reus postulatus, aut in crimine deprehensus, metu poenæ imminentis, mortem sibi consciuerit, hæredem non habet, sed bona in fiscum rediguntur, quasi qui scelus confessus, seipsum damnarit, & indignum reddiderit qui nominis & bonorum suorum hæredem relinquat. Nam ad extirpanda mala, ita conuenit in republica, ut eorum nec memoria, nec successio exstet; ut ostendit Rubrica Codicis, *De bonis eorum qui sibi mortem consciuerunt*. Cæterum si quis reus criminis capitalis (non autem alterius)

accusatorem suum corruerit, nihil ei nocet quod factum est, non quidem in aeterna ratione, quod sit factum bene, imò verò malum est, & signum hominis minime boni, maleque sibi consilij (nam seuera nihil potest homini accidere melius, quàm ut pro delictis suis poenam ferat, ut dictum est) sed ratione externa ex indulgentia, qua secundum imbecillitatem humanæ naturæ, legislatores ignoscendum censuerunt ei qui sanguinem suum qualiter qualiter redemptum voluit. T. Optimè. C.A. Tum *De interdictione, & relegatione, & deportatione*. Nam cum exsilij nomen generale sit, species eius sunt, interdictio, relegatio, deportatio. Interdictio autem est certorum locorum aut lata fuga, ut omnium locorum interdictio, præter certum locum: est & certorum honorum. Relegatorum duo sunt genera: quidam qui in insulam relegantur; quidam quibus provinciis interdicitur, non etiam insula assignatur. Deportatio est in insulam relegatio, eam amissione ciuitatis. Nam cum successerit in locum interdictionis aquæ & ignis, inter deportatos & relegatos hæc est differentia, quod in insulam relegari, & ad tempus, & in perpetuum quis potest, quodque qui relegatus fuerit, ciuitatem Romanam retinet, cum testamenti facultate, & aliis quæ inde dependent: deportari autem non nisi in perpetuum quis potest, cum amissione ciuitatis, & eorum quæ inde sequuntur. Et quidem cum præcedentes duo tituli, ad bona damnatorum, vel quasi pertineant; hic proprie personam eius spectat. T. Intelligo. C.A. Quemadmodum facit & sequens, *De sententiarum passu, & restitutione*, qui & in Codice exstat, & ad eos qui in exsilium missi sunt præcipue pertinet. Nam tametsi quidem nihil magis est debitum, quàm ut noxæ poena par sit, sæpe tamen fieri multis ex causis suo loco probatum est, ut pro iustitia, misericordia & gratia utantur. Ac maxime quidem in iis quæ non dolo, sed culpa, hoc est, per negligentiam iram, amorem, & alias eiusmodi animi passiones, quarum primi motus in potestate nostra non sunt, vel etiam fato, casu fortuito, vel alia aliqua vi maiore acciderunt, ut apud Platonem late disputatur, & in lege Mosaica minime omittitur. Et verò prout restitutio amplior aut restrictior est, ita plura vel pauciora comprehendit: cuiusmodi sunt, vita, bona, patria, fama, dignitas, & alia eiusmodi. T. Iam post punitionem, qua de re potissimum queritur? C.A. *De cadaveribus punitorum*. Nam post exemplum editum ferè fit, ut amicis ea petentibus ad sepulturam (quæ res est fauorabilis) non denegetur, propter humanitatem, nisi fortè atrox sit crimen. vnde Vlpianus: Corpora, inquit, eorum qui capite damnantur, cognatis ipsorum neganda non sunt. & id se obseruasse etiam D. Augustus libro decimo de vita sua scribit: hodie autem eorum, in quos animaduertitur, corpora non aliter sepeliuntur, quàm fuerit petatum ac permissum; & nonnumquam non permittitur, maxime Maiestatis causa damnatorum. Eorum quoque corpora qui exurendi damnantur, peti possunt, scilicet ut ossa & cineres collecta, sepulturæ tradi possint.


De posterioribus iuris & iudiciorum siue Pandectarum.

TITVLVS VIII.

TRACTIS iudiciis ciuilibus, prætorijs, & criminalibus, quid? ane illud nunc restat, ut post priora explicata, & iudicia ipsa, ad posteriora nunc venias? Nam ita (nisi fallor) te memini vniuersam iuris & iudiciorum, Pandectarumque siue Digestorum descriptionem diuisisse. C.A. Bene tenuisti. & quidem quemadmodum de prioribus supra diximus, ita posteriora quæque vel ad iudicia pertinent, vel ad res iuri subiectas, vel ad ipsam ius: de quibus singulis breuiter strictimque, Deo approbante, dicemus, ordinem eorum, quæ in prioribus tractauimus, conuertentes; & quæ ad iudicia pertinent, proxime cum iis connectemus; & post subiecta iuris medio loco tractata, in iis quæ ipsius iuris sunt, vnde ceceptum est, desinemus.

De posterioribus iudiciorum, seu de appellationibus.

TITVLVS IX.

T.  VID autem? posteriora iudiciorum quznam vocas? C.A. Quæ post rem iudicatam intercedunt: cuiusmodi sunt, quæ De appellationibus & relationibus tractantur, de quibus tituli Codicis sunt, De relationibus, & De appellationibus, & consultationibus. Nam appellatio est, cum à sententia iudicis inferioris prouocatur ad superiorem. Relatio, cum vel consultandi in iure, aut re dubia (vt sæpe fieri antè dictum est) vel rationis de eo quod actum est, ante appellationem receptam, reddendæ causa, de re aliqua ad Principem refertur. Quod quidem vtrumque vnde dependeat, satis intelligi potest ex iis quæ de legibus legum, magistratibus magistratum, & iudiciis iudiciorum, suo loco sunt exposita. Nam præterquam quòd post rem semel in cognitionem deductam multa sæpe emergunt in lucem, quæ priùs fuerant incognita, tum plus quoque vident iudices plures ex ordine, quàm solus primus: omnes enim homines sumus, & humani nihil à nobis est alienum. Et sciens iudex inferior fore, vt de sententia aut cognitione sua per superiorem ex appellatione vel relatione cognoscatur, cautiùs versatur, ac diligentius, ad munus suum exsequendum. Atque huc quidem pertinet quod Vlpianus scribit in hæc verba: Appellandi vsus quàm sit frequens, quamque necessarius, nemo est qui nesciat, quippe cum iniquitatem iudicantium, vel imperitiam recorraat, licet nonnumquam bene latas sententias, in peius reformet; neque enim vtrique meliùs pronunciat, qui nouissimus sententiam laturus est. Vnde & modus appellationibus ponitur, ne in infinitum extendantur, per titulum Codicis, *Ne liceat in vna eademq; causa tertio prouocare, vel post duas sententias iudicum, quas definitio præfectorum roborauit, eas retractare.* T. Intelligo. C.A. Atque vt ordine procedamus, priùs de iis dicemus quæ vt plurimum spectantur in appellationibus, tum de iis quæ ex accidenti in iis emergunt. T. Dic de prioribus. C.A. Hæc consistunt in personis, temporibus, forma, & effectu. T. De personis quid ais? C.A. Quantum ad personas attinet, sunt quidam *A quibus appellari non licet*, vt princeps, qui caput est reipublicæ, à quo vtrique appellare fas non est, cum ipse sit summus ac vltimus qui prouocatur; & senatus, qui pars est & quasi membrum Principis: & à sententia præfecti prætorio non appellari, sed supplicari, docet titulus Codicis, *De sententijs præfectorum prætorio.* Porro si quis ante sententiam, inquit Vlpianus, professus fuerit se à iudice non prouocaturum, iudubitatè prouocandi auxilium perdidit. Sed & Imperator interdum ita solet iudicem dare, ne liceat ab eo prouocare, quod aliis infra Imperatorem non conceditur. T. Rectè. C.A. Ac pertinet huc quoque titulus, *Quis à quo appelletur.* nam generaliter non à pari ad parem (quia par in parem non habet imperium) & multo minus à superiori ad inferiorem, sed ab inferiori ad superiorem appellatur. Eandem si quis magistratus iudicem dederit, is qui dedit appellandus est, vel successor eius, non autem si qui mandauerit iurisdictionem: nam quia personam eius ille repræsentat, ab illo secundum communem regulam eundem est, ad quem iretur si ipse sententiam tulisset. T. Nunc de temporibus appellationum quid dicis? C.A. *Quando appellandum sit, & intra qua tempora:* qua in re placuit, vt non ante, sed post sententiam demum appelletur: nam antè nemo se potest dicere grauatum. In qua quidem re, biduum vel triduum vtile, ex die sententiæ late computatur, ne diu in dubio sit res iudicata, & vt dignitas iudiciorum seruetur. Dico autem vtile, quia si is à quo prouocatur, copiam sui non faciat, nihil nocet appellatori, vel saltem ex rescripto Imperatoris reparationem appellationis, ob eam causam intra præscriptum tempus omiſſæ, petere potest; vt videre est sub titulo Codicis, *De temporibus & reparationibus appellationum seu consultationum,* scilicet ne alienum factum ei sit damnosum. T. De forma autem? C.A. Huc primò pertinet Rubrica, *De appellationibus recipiendis, vel non.* Nam non est visum conuenire, ob iudiciorum auctoritatem, & ne facile illusoria reddantur, vt quorumlibet appellationes à iudice, à quo prouocatur, recipiantur, sed eorum dumtaxat, quorum res est, aut aliquo modo interest, vel mandatum ab iis habent, aut negotia eorum gerunt, vel sanguine iis sunt coniuncti, veluti si mater in causa filij pietatis causâ prouocet, quod non est improbandum. Nam & in vna eademque causa, si (vt habet titulus Codicis) *vnus ex pluribus appellauerit*, eiusque iusta appellatio

pronunciata est, ei quoque prodest qui non appellauit. Planè in quibusdam causis fit nonnumquam, vt vel in propria causa prouocatio eius non recipiatur; vt videre est sub Rubrica Codicis, *Quorum appellationes non recipiuntur*; nempe vt lites, quoad eius iustè fieri potest, minuantur. Et verò non recepta à iudice, à quo prouocatur, appellatione, si quidem Principem appellare oportuit, Principi erit supplicandum; vt nihilominus is qui appellauit, audiatur. Si verò alius appellabatur quàm Princeps, ille erit ad eundem. T. Intellico. C.A. Deinde titulus *De libellis dimissoriis*, qui Apostoli dicuntur, à dimittendo nimirum. Nam post appellationem interpositam & receptam, literæ dandæ sunt ab eo à quo appellatum est, ad eum qui de appellatione cogniturus est, siue Principem, siue quem alium; vt hac ratione ordo constet ab vno iudicio ad aliud, amboque inter se connectantur. Sensus autem literarum talis est: Appellasse puta Lucium Titium à sententia illius, quæ inter illos dicta est. T. Restat de effectu. C.A. Is autem est, quòd placuit *Nihil innouari appellatione interposita*, ita vt res perinde habeatur, atque si nulla sententia lata esset: nam id ni fieret, & non obstante appellatione, prior iudex sententiam suam exequi vellet, frustra propemodum interponeretur appellatio. Et ideo, siue recepta ea sit, siue non sit, nihil est innouandum, quàm diu de appellatione non fuerit pronunciatum; ne, dum deliberatur vtrum recipi debeat nec ne, præiudicium aliquod fiat. Planè *Si de momentanea possessione* (vt habet Rubrica Codicis) fuerit appellatum, quoniam res parui momenti est, placuit latam sententiam fortiri effectum, sic vt integra omnis proprietatis causa seruetur. T. Nunc de iis dicito quæ ex accidenti circa appellationes eueniunt. C.A. Primum est: *Quæ sententia sine appellatione rescindantur*. Nam si calculi error interuenerit, si id quod impossibile est, vel cui per rerum naturam parère non potest, præcipiatur, nihil opus est appellatione, sed vel per se, vel per eum qui iudicauit, error qui non iuris, sed facti, non dubius, sed manifestus est, reformatur; ne fiat per plura, quod fieri potest per pauciora; vt sub Rubrica Codicis, *Quando prouocare non est necesse*, latius tractatur. Et quidem si contra sacras constitutiones pronunciatur, nempe de iure constitutionis; non de iure litigatoris, appellationis necessitas remittitur (nam his gradibus subinde vtendum esse, supra traditum est) quoniam iudicis est secundum leges ac constitutiones, non autem de illis iudicare, vt antè didicimus; & si contra facit, quasi pro nullo habetur quod facit. T. Audio. C.A. Alterum, *An per alium causa appellationum reddi possint*; sic vt per procuratorem causa appellationis peragatur, quod sanè in re pecuniaria nullam habet dubitationem, quin possit: in causa verò capitali non potest, quoniam cum alter alterius nomine capite plecti nec debeat, nec possit, frustra susciperetur iudicium per procuratorem. Cui accedit, quòd generaliter quæ causa per alium agi non potest, eius nec appellationem agi oportere. Non posse autem causas capitales per alium agi, supra demonstratum est. T. Intellico. C.A. Sequens *Si tutor vel curator, vel magistratus creatus appellauerit*. Nam etiam his in rebus permittitur appellatio, si quis fortè grauatum se dicat, quòd tutor, curator, aut magistratus creatus sit. Et quidem si pendente appellatione aliquid damni reipublicæ emergat, si quidem causas appellationis non probauerit, ad onus ipsius pertinet: si verò appareat necessariò eum prouocasse, cui adscribendum sit id damnum, Princeps vel Præses id æstimabit: nam quædam quæ iuris legibus describi non possunt, viuis committenda esse, sic vt alix per alias iuuentur, supra probatum est. T. Teneo. C.A. Planè *Eum qui appellauerit in provincia defendi debere* in aliis suis causis; etiam si appellationis causa peregrinetur, nihil est dubium: quoniam ea peregrinatio domicilium non mutat, nec habet causa appellationis quicquam commune cum aliis ipsius negotiis. T. Probè. C.A. Nec minùs placuit, *Apud eum à quo appellatur, aliam causam agere compellendum* eum qui prouocauit. Nec verò permittendum ei est, vt vtatur hoc prætextu, quasi apud offensum iudicem non debeat experiri, quoniam id de eo qui sacrosanctæ sedis iustitiæ præst, minimè præsumitur: & ideo *De his qui* (vt habet titulus Codicis) *per metum iudicis non appellauerunt*, constitutum est, vt à reuocanda lite repellantur. T. Rectè. C.A. Demique, *Si pendente appellatione mors interuenerit* eius qui appellauit in causa criminali (de qua re in Codice similis est titulus): si quidem sine hærede mortuus sit, cuiuscumque generis appellatio sit, euanescit. Quòd si autem appellatori hæres extiterit, si quidem nullius alterius interest causas appellationis reddi, cogendus non est peragere appellationem: si verò fisci vel alterius, contra quem appellatum est, interest, hæres causas appellationis reddere necesse habet. Nullius interest, veluti si absque bonorum ademptione relegatus quis sit, & interposita appellatione decesserit: interest autem fisci si cum bonorum ademptione; quoniam non solùm de crimine, quod

in mor-

in morte rei exstingui supra diximus, sed & de parte bonorum est iudicatum. Pertinentque ad totum hunc tractatum de appellationibus Nouellæ; De administrantibus officia, nempe in sacris appellationibus. De appellationibus, & intra quæ tempora debeat appellari. Apud quem oporteat appellationes in quinque prouinciis, Caria, Cypro, Cycladibus insulis, Mysia, & Scythia interpositas, examinari. De his qui ingrediuntur ad appellationes, & quando per scripturam manus propriæ fiat collatio literarum, & de iuramento dilationis, & vt coniungatur iureiurando calumnia. De consultationibus. De appellationibus, vt si mota apud appellationis iudicem causa, litigatores ad arbitros deueniant, intereaque temporis biennium decurrat, & contingat denuo causam redire ad appellationis iudicem, ne biennij cursus obiciatur. Vt, cum de appellatione cognoscitur, secundum illas leges debeat iudicari quæ tempore latæ sententiæ obtinebant, non secundum eas quæ postea promulgatæ sunt, & de aliis capitulis. Exemplum sacre formæ de appellationibus.

De posterioribus eorum quæ iuri sunt subiecta.

TITVLVS X.

T. **A**M posteriora eorum quæ iuri sunt subiecta, quænam vocas? C.A. Quæ in ordinaria iudicia iuris priuati non cadunt, sed iuris publici sunt, aut ad ea proximè accedunt. Nam quemadmodum secundum ea quæ superius audiuimus, quædam minora & ignobiliora sunt, quàm vt in iudicio, vbi sacra sedes, & quasi altare iustitiæ est, tractari debeant: ita quædam maiora sunt nobilioraque, quàm vt ordinariis iudiciis debeant subiici, vt suis locis latius est expositum. T. Horum autem quotnam sunt summa capita? C.A. Tria: quæ quidem cum superiori sermone de iure ciuili publico tamquam proprio suo loco latius sint tractata, hîc dumtaxat attingere sat erit, & proinde nec ex Codice aut Nouellis hîc quicquam inferemus, quoniam omnia supra sunt explicata. T. Quænam autem eæ sunt? C.A. Primùm fiscalia Principis, deinde militaria, tum municipalia, quibus quarto loco adiiiciuntur quæ generali nomine vocantur Extraordinaria: quæ quidem omnia quomodo ex primis principiis manent, supra est expositum. T. *De iure Fiscis* autem (de quo & Codicis est titulus) quid ais? C.A. Id partim ad res pertinet, partim ad personas. T. Quomodo ad res? C.A. Quatenus bona priuatorum variis ex causis in fiscum, quod ærarium est, deferuntur. vnde Calistratus, Variæ causæ sunt, inquit, ex quibus nunciatio ad fiscum fieri solet: aut enim si quis quod tacitè relictum est, profiteatur capere non posse, vel ab alio penitus resecetur, vel quia mors ab hæredibus non vindicatur, vel quod indignus quis hæres nunciatur, vel quod Princeps hæres institutus, & testamentum, siue codicilli subrepti esse nunciantur, vel quod dicitur quis thesaurum inuenisse, vel magni pretij rem minoris ex fisco comparasse, vel præuaricatione fiscum victum esse, vel eum decessisse qui in capitali crimine esset, vel etiã post mortem aliquem reum esse, vel domum destructam esse, vel ab accusatione recessum, vel rem litigiosam venundari, vel pœnam fisco ex contractu priuato deberi, vel aduersus leges commissum factum esse. T. Quomodo ad personas? C.A. Quatenus multa sunt Principis & consequenter fisci priuilegia: quibus in republica sæpe opus esse, iam superius est demonstratum. Atque hinc quidem procedit, quod, præterquam quod fiscus tacitam hypothecam semper habet, & debitorem debitoris conuenire potest, cum nonnullis aliis; tum etiam Imperator, quia grauissimis reipublicæ negociis occupatus, suis superesse non potest, generaliter iure minorum semper fruatur. Quamquam tum, cum in ius priuati succedit, priuati iure, quantum quidem ad anteriores creditores attinet, vtiunt. Nec putatur verò delinquere is qui in dubiis quæstionibus contra fiscum facillè responderit. Cui accedit in summa, quod pœnæ fiscales creditoribus postponuntur, & quod ultra pœnam exsilij perpetuam bona fisci per sententiam non adiudicantur. T. Iam de militaribus rebus quid tractas? C.A. Primùm specialiter *De captiuis, & postliminio, & redemptis ab hostibus*. Ac sunt quidem captiui, qui hostium potiti, serui eorum iure gentium efficiuntur. Hostes sunt, quibus bellum publicè populus Romanus decreuit, vel ipsi populo Romano: ceteri latrunculi vel prædones appellantur. Postliminium est, cum de captiuitate hostili ad sups quis reuertitur, & ob fauorem militiæ, cuius magna speratio haberi solet, per fictionem, quasi numquam in potestate hostium fuissent, quæ

quæ circuitio sæpe necessaria est, vt suo loco disputatum est, cum recta via res fieri nequit, perinde habetur atque si numquam abfuisset. vnde Paulus: Postliminium, inquit, est ius amissæ rei recipiendæ ab extraneo, & in statum pristinum restituendæ, inter nos ac liberos populos, regesque moribus legibus constitutum. Nam quod bello amissimus, aut etiam citra bellum, hoc si rursus recipiamus, dicimur postliminio recipere: idque naturali æquitate introductum est, vt qui per iniuriam ab extraneis detinebatur, is vbi in fines suos redisset, pristinum ius suum reciperet. Redempti ab hostibus sunt, qui ab iis pretio sunt liberati, quod ij qui liberati sunt, redemptoribus restituere tenentur. Titulus Codicis his de rebus est, *De postliminio redemptis, & reuersis ab hostibus*. T. Bene est. C.A. Deinde generaliter, *De re militari* (cui titulus Codicis respondet) quæ tum quidem circa delicta militum spectatur, quæ vel cum cæteris sunt communia, vt furtum, adulterium: vel propria, cum quid aliter quàm disciplina militaris exigit, committitur; veluti segnitæ crimen, vel contumaciæ, vel desidiæ: Tum autem circa ius, nam milites agrum comparare prohibentur in ea prouincia in qua bellica opera peragunt, scilicet ac studio culturæ à militia sua auocentur: Tum verò circa missionem; nam missionum generales causæ sunt tres: honesta, causaria, ignominiosa. Honestæ est, quæ tempore militiæ impletæ datur. Causaria, cum qui vitio animi vel corporis minus idoneus militiæ, renunciatur. Ignominiosa, cum quis propter delictum sacramento soluitur. T. Rectè. C.A. Tum particulatè, *De castrensi peculio*, siue (vt habet titulus Codicis) *De castrensi peculio militum*: quod in iis bonis consistit, quæ in militia, vel causa militiæ sunt acquisita, quæ multa habent priuilegia, sic vt filiusfamilias loco patrisfamilias in iis habeatur. Quod quidem tum ea de causa est comparatum, vt ad militiam & patriæ defensionem homines excitentur: tum vt quemadmodum delictis pœnæ, ita virtutibus præmia proponantur; nam id omnino fieri debere, superiùs didicimus. Ac definit quidem castrensè peculium Macer: quod à parentibus vel cognatis in militia agenti donatum est, vel quod ipse filiusfamilias in militia acquisiuit, quod nisi militaret, acquisiturus non fuisset; nam quod erat & sine militia acquisiturus, id peculium eius castrensè non est. T. Probè. C.A. Ac pertinet quoque ad militum priuilegia quod *De veterano* (de quibus similis titulus Codicis est) scribitur, vt præter varias immunitates, quas in præmium virtutis, circa pœnas, vectigalia, & alia onera habent, veteranis, ac liberis veteranorum idem honor habeatur, qui & decurionibus. Sunt autem veterani milites, qui honestè sacramento soluti sunt. T. Dehinc de re municipali exspecto vt dicas. C.A. Hæc tum quidem vniuersaliter tractatur, tum autem speciatim. T. Quomodo autem vniuersaliter? C.A. *Ad municipalem legem. & De incolis. & De decurionibus, & filijs eorum. & De albo scribendo*. T. Quam vocas legem municipalem? C.A. Quæ ad municipia, & eorum magistratus ciuesque pertinet. Ac sunt quidem municipia ciuitates suis legibus viuentes, & vrbis Romæ honoribus fungentes, quamquam & pro quibusque ciuitatibus ac oppidis sumantur. Magistratus autem municipales, cum vnum magistratum administrant, etiam vnius hominis vicem sustinent. Et quidem ea quæ magis Imperij sunt quàm iurisdictionis, magistratus municipalis facere non potest, vt certus ordo in republica seruetur. Et ideo iis non permittitur in integrum restituere, aut bona rei seruandæ causa iubere possidere, aut dotis seruandæ causa, vel legatorum seruandorum causa. Ciues municipales sunt, qui municipes generali nomine vocantur: de quibus Vlpianus: Municipem, inquit, aut natiuitas facit, aut manumissio, aut adoptio: nam aut soli natalis, aut manumittentis, aut adoptantis municipium quis sequitur, vt originarius habeatur. Et propriè quidem municipes vocantur muneris participes, recepti in ciuitate, vt munera nobiscum facerent: sed nunc abusiue municipes dicimus suæ cuiusque ciuitatis ciues, & qui ex vico ortus est, nam patriam dicitur habere, cui rei publicæ vicus ille respondet. T. Quos vocas incolas? C.A. Qui cum ciues non sint, domicilium in aliquo municipio collocatum habent, vbi & magistratibus parere debent, & munera publica obire, non autem honores. Et quidem incola iam muneribus publicis destinatus, nisi perfecto munere incolatui renunciare non potest. Titulus Codicis huc pertinet est: *De incolis, & vbi quis domicilium habere videtur* (nempe vbi sedem posuit, quod se recipit) *& de his qui studiorum causa in aliena ciuitate degunt*. vbi non nisi post decem annos domicilium habere censentur. T. Decuriones autem qui nam sunt? C.A. Qui, vt in superiori sermone de iure civili publico iam antè audimus, quasi senatum cuiusque municipij constituunt. Et proinde qui iure infames sunt, in eum ordinem adlegi non possunt: qui autem facti, vt qui ab ædilibus flagellis æsti

sunt,

sunt, possunt quidem, sed minimè honestum censetur, si fiat (nam hos gradus esse antè dictum est) nisi fortè aliorum inopia accidat. Habent autem multa privilegia: præ plebeis, uti secundùm distributivam iustitiam, & principia singularia requiri, antè traditum est. Aiuntque quidam, inquit Pomponius, decuriones dictos, ex eo quòd in iudiis, cum coloniarum deducerentur, decima pars eorum qui deducerentur, consilij publici gratia conscribi solita sit. T. Quinam autem sunt filij decurionum? C. A. Propriè qui patre decurione concepti & nati sunt. Cæterùm quantum pertinet in fustibus quis castigetur, néve in metallum detur, non nocet patre plebeio esse natum, si postea honoris decurionis patri accesserit. Qui autem huc pertinet titulus Codicis est, *De decurionibus, & filiis eorum, & qui decuriones habeantur* (nempe qui lege municipij creati sunt) & *quibus modis à fortuna curia liberentur*; rescripto nimirum Principis, & aliter. T. Restat de Albo ut dicas. C. A. Id autem est, in quo nomina decurionum scribuntur, quæ de re Ulpiani verba hæc sunt: Decuriones in albo ita scriptos esse oportet, ut lege municipali præcipitur: sed si lex cessat, tunc dignitates erunt spectandæ, ut scribantur ex ordine, quo quisque maximo honore in municipio functus est. Et quidem eorum nomina antè scribi oportet, qui dignitates, Principis iudicio, consequuti sunt: postea eorum, qui tantùm municipalibus honoribus functi sunt. T. Iam autem speciatim quid tractas? C. A. De diversis rebus ad municipia pertinentibus: cuiusmodi sunt munera, & honores, legationes, administratio ipsa, decreta, opera publica, nundinæ, & pollicitationes. T. *De muneribus & honoribus* quid ais? C. A. Munera municipalia sunt, quæ in administranda republica cum sumptu, sine dignitatis titulo, consistunt: & sunt personalia patrimoniorum (ut habet titulus Codicis, *De muneribus patrimoniorum*) & mixta, prout (suprà latius est expositum) Honor municipalis est administratio reipublicæ, cum dignitatis gradu, siue cum sumptu, siue sine erogatione contingens. Et quidem de honoribus siue muneribus gerendis cum quaeritur, imprimis consideranda persona est ejus cui honor defertur, siue muneris administratio: item origo natalium, facultates quoque an sufficere iuncto muneri possint: item lex secundùm quam muneribus quisque fungi debeat. Porro gerendorum honorum non promiscua facultas est, sed ordo certus huic rei adhibitus est: nam neque maiorem magistratum quisquam, nisi minorem susceperit, gerere potest; neque ab omni ætate, neque continuare quisquam honores potest, aut ad filium demittere, ut docet Rubrica Codicis, *De muneribus & honoribus non continuandis inter patrem & filium, & de intervallis*. Cæterùm si alij non sunt, qui honores gerant, iidem compellendi sunt, qui gesserint, nisi vacationem excusationemve habeant, unde ius immunitatis existit. T. *De vacatione & excusatione munerum* quid traditur? C. A. Vacatio propriè est, quam ad certum tempus habet is qui certis honoribus, aut muneribus municipalibus præfuit, aut reipublicæ causa absuit, quod quidem ideo irrogatur, ut paululum interquiescere, & res suas privatas curare possit, ut videre licet sub titulo Codicis, *De vacatione publici muneris*. Excusatio autem, cum ob legitimam aliquam causam (nam omnis excusatio sua æquitate nititur, inquit Ulpianus) apud eum, ad quem ea res pertinet, ab honoribus vel muneribus subeundis, quis se excusat. Ac sunt quidam iustæ causæ, ætas septuaginta annorum, numerus liberorum, ægrotudo corporis, fabricatio navium marinarum ad annonam populi Romani, vectigalium fisci redemptio, professio Philosophiæ, cum similibus de quibus est Rubrica Codicis, *De excusationibus munerum*. Planè ab oneribus quæ possessionibus indicuntur, itaque propriè coherent, nulla neque vacatio, neque excusatio est, quoniam utrumque à persona proficiscitur. T. *De iure immunitatis autem?* C. A. Hoc autem est quod ex legitima vacatione excusationeque existit, sicut cum superiore titulo de causis eius dictum sit, hic de natura eius agatur. Ea autem est, quod personis datum, hæreditibus non relinquitur, sed generaliter tributum conditum, ut ad posteros transmittatur, in perpetuum succedentibus durat, sic tamen ut ad eos qui ex feminis nati sunt, non pertineant. Nec verò singulis hominibus ducatur, ut competit, sed quibusdam collegiis vel corporibus, quibus ius cocundi lege permissum est, immunitas tribuitur, scilicet his collegiis vel corporibus, in quibus artificij sui causam unusquisque adsumitur, & quæ idcirco instituta sunt, ut necessariam operam publicis necessitatibus exhibeant. Titulus Codicis est, *De immunitate munerum concedenda*. T. Dehinc *de legationibus* (de quibus & Codicis Rubrica est) quid ais? C. A. Hæc sunt quæ reipublicæ causa de rebus quibusdam apud Principem vel alibi gerendis suscipiuntur. Et verò ordine unusquisque, inquit Marius, munere legationis fungi cogitur, & non aliter compellendus est munere le-

gationis

gationis fungi, quàm si priores, qui in curiam lecti sunt, functi sint. Sed si legatio de primoribus viris desideret personas, & qui ordine vocantur inferiores sint, non esse obseruandum ordinem Diuus Adrianus ad Clazomenios rescripsit. Præcipitur autem edicto D. Vespasiani omnibus ciuitatibus, ne plures quàm ternos legatos mittant. legatus antequam officio functus sit, in rem suam nihil agere potest, exceptis his quæ ad iniuriam eius vel dâmnum parata sunt. T. *De administratione rerum ad ciuitatem pertinentium?* C.A. Hæc in eo consistit, vt bona ciuitatis bene regantur, ac nominatim, quod ad certam speciem ciuitati relinquatur, ne in alios vsus conuertatur, nisi necessitas, cuius magnam sæpe vim esse supra declaratum est, hoc exigat, & Principis auctoritas accedat. Atque ad hanc administrationem bene obeundam, magistratus reipublicæ non dolum modò, sed & latam negligentiam, & hoc ampliùs etiam diligentiam debent. Rubrica Codicis est, *De administratione rerum publicarum*. T. Intelligo. C.A. Et quidem *De decretis ab ordine faciendis* circa magistratus creandos, professores constituendos, & alia ad reipublicæ administrationem pertinentia, regula est, quod semel ordo decurionum decreuit, non oportere rescindi. Diuus Adrianus Nicomediensibus rescripsit, nisi ex causa, id est, si ad publicam vtilitatem, cuius quanta vis sæpe sit ad alia principia ad se trahenda, antè traditum est, respiciat rescissio prioris decreti. Dicitur autem id ordo decurionum decreuisse, quod legitimo numero decurionum coactò decretum est. legitimus numerus est, vt ordo non aliter habeatur, quàm duabus partibus adhibitis. Titulus Codicis est, *De decretis decurionum super immunitate quibusdam concedenda*, liberalium nimirum studiorum antistitibus, & qui medendi cura funguntur, & non aliis. Estque generalis regula, ordinis ambitiosa decreta sacris constitutionibus reprobantur. T. Teneo. C.A. Ac *De operibus publicis* (de quibus & Codicis titulus est) quamquam de iis quæ in muris vel portis, vel rebus publicis sunt, aut si muri exstruantur, præses aditus consulere Principem debet, quantum tamen ad alia attinet, opus nouum etiam sine Principis auctoritate priuato facere licet, præterquam si ad æmulationem alterius ciuitatis pertineat, vel materiam seditionis præbeat, vel circum theatrum vel amphitheatrum sit, & munificentia suæ fructum de inscriptione nominis sui capere, per inuidiam non prohibetur; & ne eius nomine eraso, aliorum nomina inscribantur, præses prouinciæ curæ habebit. Planè publico autem sumptu opus nouum sine auctoritate Principis fieri non licere, constitutionibus declaratur: Ac inscribi autem nomen operi publico alterius quàm Principis, aut eius cuius pecunia opus factum sit, etiam si præses sit, non licet. Qui operibus publicis præest, curator operum publicorum vocatur. T. Restè. C.A. Et verò *De nundinis*. Hæc sunt, quæ mercatus causa in ciuitate constituuntur, & à Principe impetrantur; nomine inde ducto, quodd olim nono quoque die Romæ haberi solent. Ac laudans quidem Platonem auctorem Calistratus iurif. consultus, Si quis, inquit, ipsos cultores agrorum, vel piscatores, deferre utensilia in ciuitatem iusserit, vt ipsi ea distrahant, destituetur annonæ præbitio, cum auocentur ab opere rustici; qui confestim vbi detulerint mercem, tradere eam, & ad opera sua reuertere debent. Codicis titulus est, *De nundinis & mercatoribus*, siue mercationibus: nec non alius etiam huc pertinens, *De commercijs & mercatoribus*: quibus accedit titulus, *De monopolijs prohibitis, & conuentu negotiatorum vel artificum illicito, ergo laborumque, nec non balnearum prohibitis illicitisque patronibus*, dum alter in alterius laborem intrare recusat. T. Probè. C.A. Denique *De pollicitationibus*, quæ reipublicæ sunt, quamquam regulariter ex nudo pacto nemo obligatur, si tamen pollicitus quis fuerit, reipublicæ opus se facturum, vel pecuniam daturum, siue ob honorem decretum, vel decernendum id fiat, siue gratis ob casum incendij, terræmotus, ruina, quæ ciuitas passa est, omni modo communis vtilitatis causa tenetur. Et quidem cum pactum duorum sit consensus ac conuentio; pollicitatio solius offerentis est. Ac cum pollicitationis quæ reipublicæ sit; & res prophana est, speciem ac similitudinem gerat votum quod Deo fit, & res sacra est; si quis rem aliquam vouerit, voto obligatur: sed ea res personam vouentis, non rem quæ vouetur, obligat: res enim quæ vouetur, soluta quidem liberat voto; ipsa verò sacra non efficitur. T. Superest *De extraordinarijs cognitionibus, & si iudex litem suam fecisse dicitur* vt exponas. C.A. Extraordinaria iudicia hæc sunt, eum non certâ & ordinaria iuris forma, nec ad eius imitationem, sed ex solo præscripto magistratus, res in iudicio per iudicem ab ipso datum tractatur, quod quidem præscriptum cum per imperitiam excedunt, litem suam facere dicuntur, quia suam voluntatem, non magistratus sequuntur, vnde quasi de delicto puniuntur. Exercentur autem hæc iudicia ex-

cia extraordinaria iis in rebus quæ vel nobiliores sunt, vel viliores, vel properantiores, quàm vt in ordinaria iudicia secundùm ea quæ de principiis extraordinariis antè dicta sunt, deduci debeant. T. Quæ sunt primi generis? C.A. Quæ philosophis & liberalium artium professoribus, & aliis eiusmodi exhibentur, nec non iurisconsultis. Nam cum sanctissima res sit civilis sapientia, non debet pretio nummario æstimari nec dehonestari, dum in iudicio honor petitur, qui in ingressu sacramenti offerri debuit: quædam enim tametsi non malè accipiuntur, inhonestè tamen petuntur. T. Quæ secundi? C.A. Proxenetica, quæ iis dantur, qui in nominibus faciendis, negotiis contrahendis, & aliis eiusmodi interueniunt, quos proxenetæ vocamus. Qui quidem licet emptio- nibus, venditionibus, commerciis, contractibus licitis vtilis non adedò improbabili mo- re se exhibeant, & ob id proxenetica suo iure licitè petant, vt sub titulo, *De proxenetici- cis* traditur; sordidum tamen esse quod agunt, etiam Vlpianus scribit. T. Quæ tertij? C.A. Cum *De censibus* agitur: quod quidem inde proficiscitur quod nervus reipublicæ & belli pecunia est, quæ secundùm censualem formam Principi penditur, & propter ne- cessitates publicas, quæ non patiuntur moram, quouis modo iustè ac legitimè exigì de- bet. Et ideo cum possessor vnus, inquit Papinianus, expediendi negotij causa tributo- rum iure conuenitur, aduersus cæteros quorum æquè prædia tenentur, ei qui conuen- tus est, actiones à fisco præstantur, scilicet vt omnes pro modo prædiorum, pecuniam tributi conferant. Titulus Codicis est, *De censibus, & censitoribus, & peræquatoribus, & inspectoribus.* de quibus quoniam suprà tractatum est, non est hîc repetendum.

De posterioribus ipsius iuris.

TITVLVS XI.

T. **R**ELIQVVM est de posterioribus ipsius iuris vt nunc differas. C.A. Sic est. & verè hæc sunt quibus summa quædam totius scientiæ civilis ele- gantissimè continetur, quæ in duobus consistit. T. Quod est primum? C.A. Vt quidnam lex dicat intelligas, quod verborum cognitione con- stat, quò pertinet titulus, *De verborum significationibus*: quibus quidem tractandis cum simul & res quas significant cognoscuntur, fit vt vniuersa iuris civilis materia sub eo summatim contineatur. Et est in Codice idem titulus; & quæ sub eo tractantur, non totam iuris materiam, sed legata dumtaxat spectant. T. Quod alterum? C.A. Vt vbi quid lex dicat, perceperis, quod pro corpore est; cur ita dicat intelligas, quod pro anima: nam rationem animam legis esse vtrique constat. Atque huc quidem pertinet titulus, *De diuersis regulis iuris antiqui*, quod ex veterum iurisconsultorum mo- numentis est collectum. Quæ quidem quoniam eadem sint cum principiis iuris, quæ, vt suprà latius disputatum est, formam legibus tribuunt, fit, vt quemadmodum supe- riore titulo materia, ita hoc tota forma iuris contineatur, adedò vt vnde hîc sermo, to- tiusque scientiæ civilis tractatio cœpit, in eodem quoque finiatur, sic vt vltima cum pri- mis, & media cum vtrisque pulcherrima ratione connectat. Nec ad rem facit quòd di- cas principia sua natura, ante ius esse, & ex illis ius fieri, cum contrà, regula sit, quæ rem quæ est, breuiter enarrat; non vt ex regula ius fiat, sed ex iure, quod est, sumatur: quoniam id non tam ad ipsas regulas pertinet, quàm ad inuentionem earum: qua qui- dem fit, vt vna eademque res diuersorum respectu & principium dicatur, quatenus per syllogismum ex superioribus fontibus deducitur; & regula, quatenus per inductio- nem ex legibus inferioribus elicitur, cum vnam eandemque rationem pluribus legi- bus congruere videntes, regulam generalem ex ea constituimus. Vnde regula causæ, hoc est, rationis, plurium legum coniectio & coadunatio dicitur. Planè sunt autem om- nes regulæ aliz generales, quæ nulli certæ materiæ addictæ, per totum ius patent, ni- hilque à principiis differunt: aliz speciales, quæ certæ materiæ, obligationum, testa- mentorum, iudiciorum, & similibus, quæ à principiis tum quidem eo differunt, quòd ex iis deducuntur; tum etiam quædam ex iis, sed perpaucæ, eo quòd summam potius quam plurium legum pro memoria contineant (haud secus atque si plures ramos amputatos in vnum fascem colligas) quam sententiam aliquam generalem ex principiis deductam pro intelligentia; veluti cum plures rami ex vno stipite emergere monstren- tur. Hæc cum diceret adolescens, commodum in fossam Hemelianam intrabamus, vbi frater

frater & patruelles aliquot Hopperi, obuiam nobis venientes, aduentumque gratulantes, alios iamdudum venisse dicebant, nec non & Cardinalem Granuellanum appulisse, quem cum in agrum deambulatum processisse vnà cum Hoppero intellexissemus, dum Præses se curaret, adolescentibus in Hopperianum ad matrem, & sorores quæ parem cum illis numerum efficiunt, properantibus, Aggæus, Vrdius, & ego rectà ad illos contendebamus. Quos cum (vri par est) salutassemus, non potuit Cardinalis pro sua summa humanitate omittere, quin quibus de rebus inter proficiscendum tractatum fuisset, interrogaret. Cui cum responderemus, adolescentes totius doctrinæ paternæ summam nobis reddidisse; Hopperus id audiens, nugasse aiebat; & si quid est in iis cognitu dignum, alij quàm sibi post Deum acceptum esse ferendum. At cui autem, inquit Cardinalis? Id aliàs, inquit ille, videbimus, & poterit melius Præses quàm ego referre. Imò verò quid obstat, respondet Cardinalis, quin tu nunc nobis id dicas? Non aliud, inquit, quàm ne tibi sim molestus: nam alioqui res per se longè est præclarissima, & quasi fons quidam perennis, vnde omnis omnino philosophia, & quæ inde dependet scientia ciuilis, deducitur, quem post scaturigines ab adolescentibus tractatas, cognitas ac perceptas, omnino necessarium est cognoscere, vt verum ipsum principium teneatur. Ergo non diffugies, inquibat Cardinalis, quin facias quod postulo. Nam quòd mihi vereris esse molestus, iam scis quàm auidus harum rerum esse soleo. Itaque sic facito, dum sub his arboribus ad latus hoc orientale monasterij inambulamus. Hoc dicto, Hopperus, postquam nonnihil subticuisset, cœpit ad eum modum qui sequitur.

T H E M I S



THEMIS HYPERBOREA,

siue

DE TABULA REGVM FRISIÆ.



DE VM prima luce salutatum iuermus Præses & ego, vnaque filius natu maior, qui ad rem diuinam parandam præmissus, in templo nos operiebatur: vbi cum sacra peracta essent, ego Præsidem manu præhendens, Quid inquam? visne ad sacellum, vbi maiorum monumenta sunt, & larum sedes, eamus, beneque illis de more precemur? Sanè volo, inquit, atque ita vnà ire pergentes, postquam ad fores sacelli peruentum esset, ecce senem quendam conspicimus, barba promissa, facie honesta, cultu peregrino, quali dæmones & heroës aëre indutos inter homines versari, Homerus & Hesiodus fabulatur. Quem quidem cum ego tabulam quandam peructustam diligenter intueri, totoque obtutu in ea inhærere animaduertentem, Quid si, inquam, Deus volet, vt magni aliquid boni hic senex nobis adferat? Qui sic autem? inquit Præses. Est, inquam, in hoc sacello pictura quædam peructus, quam, quidnam sibi velit, nunquam quiuimus intelligere: eam quia senem illum tam diligenter inspicere video, cogito anne fortasse sciat quidnam rei sit: itaque hominem, si placeat, adeamus. Fiat, inquit ille. simulque progredientes, postquam illum daxis dextris comiter salutassimus, vnaque omnes consedissemus: ego sermone suscipiens, Quid, inquam, est o hospes, quod te tabulam istam tam studiosè intuentem modò conspeximus? An fortasse, quidnam illa sibi velit, intelligis? Nos certe, quotquot in hac regione degimus, numquam quicquam assequi potuimus. Ad quod ille leniter arridens, Ergo vos Frisij, inquit, in patria vestra peregrini & aduenæ estis, & bona vestra propria ignoratis? Bona verba, inquam ego, cur enim id dicis? Quoniam hæc tabula, inquit, propria vestra est, & ad vsum vestros, siue nostros potiùs (nam & ego si non ab ista, à cognomine certè & cognata regione sum) à veteribus Hyperboreis, maioribus nostris, à quibus quicquid apud Europæos, Asiaticos, Ægyptios philosophiæ vnquam fuit, manauit, descripta iam multis antè sæculis, nisi quod primis Christianis temporibus ita vt oportebat, correcta, & ad veram religionem accommodata est. Admirabilia sunt, inquit ego, quæ narras. Verissima tamen, inquit ille. Et quidem hæc illa tabula est, quam quia Rex Frisie semper secum ferre, & ob oculos habere debebat, Regiam tabulam maiores nostri vocabant. Quin tu ergo, mi pater, dicebam ego, pro coniunctione illa nostra quam dicis, hoc fac nobis boni, vt quidnam illa sibi velit, exponas, & nosmetipsos nobis reddas. In longum sanè sermonem, respondet ille, intrandum esset, si quidem de singulis particulatim foret differendum: cæterùm vt summatim figuras in tabula depictas, & nomina earum & rationem percurrerem, & quidnam ænigma sibi velit, quasi intento ad fontem digito commonstrem (quoniam soli sumus, & nulli nos prophani audiunt) perlibenter, quod Deo adiuuante approbanteque fiat, sum facturus. Reliqua autem vos ipsi, dummodo veri Frisij, & huic principi studio à natura cognati estis, vt certè videmini, non difficile, vt puto, si quidem ad laborare velitis, & Deus faueat, percipietis. Optimè facis, inquit Præses. Et simul senex virgam quam forte manu tenebat, in tabulam intendens, Cum tabula, inquit, ipsa quadrata sit, quid? an ne picturam, quæ in ea inest, videtis esse rotundam, eamque sic descriptam, vt tribus omnino circulis contineatur? Maximè, vno nempe extimo, qui

reliquos arcens ac continens, à nullo continetur: alterò interiore, qui sequentem continens, à primo continetur: & tertio intimo, qui à reliquis comprehensus, nullum ipse comprehendit. Planè. Per hos igitur nobis eundum est ordine. At quonam autem pacto? Primùm in summo circulo externo quid? ànne solium conspicitis regale, affabrè atque antiquo artificio factum, quadratum, tribusq. gradibus altum, partim clarissima luce, partim nubecula quadam suaviter umbrosa, quæ lucem ambit, circumfusum? Videmus. In quo summo loco Regina sedet, facie honesta & graui, maiestatisq. plena, radiis Solis, cuius à quibusdam filia dicitur, coronata: quæ tum quidem pallio quadrangulis consperso, quod per totum solium diffunditur, omnesq. in eo sedentes comprehendit, induta est, tum antem stola, denarij numeri notis distincta; dextra manu palmam, sinistra autem oliuæ ramum gerens, & in gremio origanum herbam positam habens? Prorsus. Ad cuius dextrâ in eodem folio paulum infra, alia sedet Regina diademate coronata, & veste induta monadis notis cõspersa: quæ ensen manu tenens, duas iuxta se habet virgines, quarum vna lapide in quadratum, alteta sceptrum gerit? Ita. Ad sinistram verò, altera ferto ex floribus contexto caput redimita: quæ vestem habens binarij numeri notis conspersam, lampadem manu gerit, propter quam duæ virgines consistetes, vna annulum manu ostentat, altera verò librum, ànne videtis? Quid ni? Et in medio ad pedes quid? ànne tertiam quoque cernitis venustè comptam, & supremæ oris specie simillimam: quæ veste induta triangulis circumfusa, speculum vna, pectinem altera manu gerit: cui in inferioribus gradibus duæ assident virgines, ex quibus sinistra columbâ in sinu habet, dextra rosam? Sic. Quod igitur per hæc veteres illi sapientes in summo hoc circulo extimo, quem diuinum vocabant, exprimere voluerunt, scitote regnum esse Themidis deæ, quam conuentibus deorum præesse Homerus ait, cum suis sororibus, quod omni Regi ac Principi, qui iustè ac legitime regnaturus est, omnino cognoscendum est, & imitandum, vt humana cum diuinis congruant, & ad eorum imitationem exprimantur. Præclarè sanè. Ad quam quidem rem pro primis principiis, & quasi vestigiis (vnde Ickneã Themis dicitur) est, vt numerorum, quos in vestibus Dearum depictos videtis, cognitio habeatur, qui sunt vnum, duo, tria, vltra quæ nullus ampliùs numerus progreditur, nisi quod superueniens quaternarius (nodus omniù numerorum, quippe cui denarius, centenarius, & reliqui omnes numeri, eorumq. vis & effectus & comparatio proportioq. insunt) reliquos sub se comprehendit, & in vnum redigit, vnde numerus iustitiæ & perfectionis appellatur. Rectè. A quibus quidem cum ad Reginas ipsas, siue Deas adscèditur, ad ea secundo loco peruenitur, quæ Haitha, Sinna, & Gasta, in Deo ab Hyperboreis nostris vocatur. Quas quidem tres numero inter se diuersas, ita vt vna non sit alia (nam non solum affirmaciones eorum quæ sunt, addendo, sed & negationes eorum quæ non sunt, & inter duo quæ sunt versantur, demendo, in diuinis insunt) quarto loco Gottha, quæ summa est, vna substantia siue natura comprehendens, in vnum omnes redigit, & ex toto trinum vnum efficit. Optimè profectò. A quo cum deinceps ad symbola descenditur, occurrunt sub iisdem personis, cum suo comitatu, sed nominibus diuersis, primùm Them Dea ad dextram, cuius est potètia, siue (vt hymni Orphici habent) memoria eius quod est, per firmum, Them in, Nicostratam Græci vocant, & Iouem: deinde Them ad sinistram, cuius scientia est veri per perpetuum, vnde fatidica Themis dicitur, & Metis, & Apollo, & mater Promethei: rum Thaem ad pedes, in ipso gremio superioris (nam gemella eius est soror, eiusq. proprio nomine vocatur) cuius amor est boni, per pulchrû, prout hymni Orphei, quos Amori, Veneri, & Adonidi cantat, demonstrant, fitq. hinc, vt cum Them-

Themide pudorem & verecundiam Poëtæ coniungant. Quas quidem deas, siue tres, siue ter tres numero, cum quarto siue decimo loco, Themis (nam sic nostris vocatur) siue ætheris, cæli, ac terræ filia, quæ in summo throno sedens, reliquas omnes supereminet, sub pallio suo comprehendit, & in vnum redigit, eum concentum & harmoniam efficit, quæ disdiapason, siue diapason cum diapente, & diatessenon medio interiecto vocatur. Pulchrè me hercule. Qua quidem suavissima musica cõcitatus Orpheus, qui genere Thracius, disciplinam hanc Hyperboricam acceperat, tum quidem secundùm denariũ numerum sub Apollinis & musarum nomine deas istas celebrat, tum autè secundùm quaternarium sub Themidis, Dices, Dicæosines, & Nomi appellationibus. Præclarè certè. Quarum quidem earum descriptione cùm hoc agatur, vt magnæ deæ Iustitiæ, quæ sola in sese virtutè continet omnem, natura, partesq. & membra, item vis & effectus describantur: natura in bona voluntate, cum scientia veri, per æternum siue perpetuum, & potentia eius quod est, per firmum, siue constans, coniuncta consistit, ad ius suum cuiq. distinctè & ordinatè, & pro cuiusq. proportione tribuendum ac terminandum, vnde termini figura depingitur: cuius quæ à priori parte oriuntur, partes & membra sunt, prudentia, fortitudo, temperantia, cum suis matribus, fide, spe, & charitate, & filiabus, lege, iudicio, & iustitia minori: à quibus rectum ipsum & seuerum, æquumq. & bonum, item voluntas, metus, & spes existunt: quæ à secunda, proportio Arithmetica, Geometrica, & Harmonica, à quibus iustitia commutatiua, distributiua, & mixta (quas vocant) proficiscuntur. Et quidem vti priora vitam constantem & perpetuam, claramq. inducunt, propter voluntatè, quæ principium actionis est, & vitæ: ita posteriora pacem adferunt & concordiam, propter harmoniam, vnde summa felicitas & beatitudo existit, quam cum ambrosia & nectare Themis inducit, Iouis cum Amalthea nutrix. Scitè narras. Verùm cùm hæc ad internũ regnũ Themidis, & iustitiam eius pertineant: agite, ad externum, quod foras eminet, oculos iam conuertite. Ita faciemus, tu modò monstra. A pede solij infra Thæmam Deam quid? ane lineam videtis quæ axis mundi instar vtrumq. orbem interiorem à summo ad imum secat? Ad cuius exitum in imo hoc circulo externo, quo de agimus, aliud est solum inferius, superiori ex aduerso positum, non regale quidem, sed iudiciale, in quo regina sedet sceptrum tenès, ante quam virgo stat pennata, nunciæ similis. Planè. Hoc igitur regnum illud Themidis esse putate, quod ad externa se effundit, cuius caput est iustitia, quam superior thronus notat ac designat; medium autem lex, quæ, quia per omnia pertinet, per supradictam lineam significatur; reliquum autem iudiciũ, quod per thronum inferiorem, ante quem quæ stat virgo pennata, Nemesis dea est, quam ob bonorum & malorum denunciationè, iudicij angelum Plato (ad quem vltimũ doctrina hæc Hyperborica peruenit) vocat. pertinetq. eodè quod apud Orpheum eius hymnus, ante iudicij, iustitiæ, & legis hymnum ponitur. Probè narras. Atq. ad hæc quidem externa rectè administranda, videte (quæso) quænam in eodem hoc circulo extimo ad vtrumq. latus sunt depicta. Quænam autem? Primum è caligine illa qua superior thronus circumfunditur, quid? ane ternos vtrinq. radios erumpere videtis? Sanè. Deinde ad media latera, à dextris tres virgines quæ manibus iunctæ, vestibus indutæ sunt floridis; & à sinistris alias tres stollatas, cum coronis, ex quibus vna colũ, altera fusum, reliqua forficem in manu habet? Nempe. Tum denique ad imum prope circulum, tam ab vna quam ab altera parte, ternas quoque virgines, ex quibus dextræ benigno vultu & nudæ sunt, quarum vna rosam, altera myrthum, tertia thalum, manu gerit? Sinistræ autem oculis toruis ac ferocibus, pellibus ferinis vestitæ, cum flagellis in manu,

serpentes habentes. pro coma? Maximè. De his ergo sic accipite, ad regnum Themidis externum bene administrandum, eas ut dixi pertinere. Quis sic autem? Nam per superiores radios, latentes Themidis Deæ vires significantur, quibus iustitia in animos hominum infunditur. Intellego. Ac quantum ad medias virgines attinet, dextræ, Horæ sunt, à terminando ac ornando dictæ, Themidis & Iouis filia primo partu editæ, Eunomie, Dice, & Irene: sinistra autem Parca, secundo editu iisdem parentibus prognata, Atropos, Lachesis, & Clótho: ex quibus illæ diuinas leges à pulchro profectas, hæc naturales, ex necessitate ortas significant. Quibus singulis singulos hymnos Orpheus canit. Teneo. Quod & ipsum de sequentibus facit: ex quibus quæ ad dextram stant, tres Gratiæ sunt, Aglaie, Thalia, & Euphrosyne, Themidis ex Eunomie neptes, ad rectè facta præmio, iusto iudicio, afficienda: quæ ad sinistram, Thesiphone, Alecto, & Megæra, tres Furiæ, Iouis filia, ad malefacta iusto iudicio punienda: Optimè. Atque hæc quidem sunt quæ ad extremum circulum diuinum, & regnum vtrumque Themidis, & iustitiam eius pertinent. Quid ergo, inquit Præses, de secundo circulo anne porro placet dicere? Placet verò, inquit hospes. Et quidem iam videris (nisi fallor) eum per transuersum sic esse diuisum, ut vnam habeat regionem totam lucidam, quæ summa est: alteram è contrà penitus vmbrosam, quæ infima: & tertiam mediã, partim vmbrosam, partim lucidam. Itane est? Scilicet. Hunc igitur orbem mundanum maiores nostri vocabant, & ad imitationem superioris expressum aiebant. Quid ita verò? Nam primum supremam regionem, quæ beatarum mentium sedes, præ fulgore inaspectabilis est, vnde vtrumque. Lucida à Zoroastre dicitur, secundum Hayræ naturã, plus eius quod est, veri, & boni, quàm quod non est, non veri, non boni (nam & ea in diuinis inesse, ex his quæ modo dicta sunt, intelligi potuit) in se habere dicebat. Rectè. Deinde infimam, quæ & ipsa propter tenebras inaspectabilis est, vbi simulachrorum & imaginum est locus, & leues vmbra circumuolitant, secundum naturam Gasta, plus eius quod non est, non veri, non boni, quàm eius quod est, veri, & boni continere. Probè. Tum mediam quæ cæli & terræ descriptione constans, oculis cernitur, hominumque in hac vita est domiciliũ, secundum naturam Sinnæ, & quas vtriusque generis partes habere, & tum quidem animo & corpore, tum autem mentis, & necessitatis operibus contineri. Optimè. Atque hæc quidem tria vno orbe comprehensa, trinum vnum quoque constituere, vti de diuinis antè diximus. Præclare. Quin & illud porro considerate. Quidnam autem? Cùm totus orbis tribus regionibus sit descriptus, ut dictum est, quæ aliæ præstantiores aliis videntur, omnes tamen reuera sunt bonæ: quid? anne singulas in nouè partes rursus distributas cernitis? Quis sic autem? Nam cùm in quacumque regione duæ sint lineæ transuersæ, & totus orbis à summo ad imum duabus lineis forma quali descriptis in tres partes intus sit diuisus, nūquid necessario accidit (quemadmodum & re ipsa videris) ut cuiusque regionis nouem sint partes, sub denario numero comprehensæ? Omnino. Quæ igitur in superiore regione, suis quæque locis depicta conspicitis, tum quidè ad Deos pertinent, in quibus potentia eius quod est, per firmum inest, quæ per canem ramum lauri in ore habentem, circulumque & lapidem quadratum significantur: Tum autem ad demones, quorum est scientia veri, per perpetuum, quod bubo, & pomum, oupressumque designant, Tum verò ad heroas, quorum amor est boni per pulchrum, quod ignis, rosa, & lilium expriment. Percite sanè. Ad quæ quidè omnia pertinent hæc hymni qui de matre Deorum, & eius liberis, Saturno, Rhea, Ioue, Iunone, Neptuno, item de Dæmonibus, & Hercule heroe apud Orpheum existant. Bene profectò. Porro quæ in mediã regione cernitis, partim naturæ sunt, cuius ortus est & occasus

casus in tempore, per colum & fusum, scarabæumq. & serpentem in se reuolutum, denotantur, partim opinationis circa verisimile in diuturno, quæ per versperilionem, speculum, & quercum; partim appetitionis utilis per voluptuarium in necessario, quæ per clauum, cornu copiar, & plumâ pauonis. Belle eundem. Quæ quidem cuncta Orpheus suis cantibus celebrare volens, primùm generatim naturæ ipsi & fortunæ singulos hymnos canit. Audio. Deinde speciatim cælo suum, cum solis, lunæ, aëtorum, noctisq. & auroræ hymnis. Teneo. Tum terræ & ipsi suum, cum Cerere & Baccho, ad quem hymni Dionysij, Lisij, Lenæi, Trieterici, Mis Semeles, Licuiti, Hippe, Sabazij, Periclenij, Amphietæ, & Sileni, Satyrorû, Bacchorumq. pertinent. Intellego. Post & ætheri subhi cum nubibus, Borea, Zephyro, Notho, Ioueq. coruscante & fulminante. Item igni sub nomine Vestæ & Vulcani, & aquæ sub nomine maris Oceani, Nympharum, Protei, Nerei, & Nereidum. Rectè. Quibus accedunt hymni Martis, cum suis Corybantibus, & Saliis, & Victoriæ, vt primorum corporum, siue elementorum pugna inter se, & conuenientia significetur. vnde rerum naturalium ortus, status, & obitus existit, quibus sub Prothyreæ, Latonæ primogeniti, sanitatis & mortis nominibus, suos quoque hymnos canit. Probè. Iam quæ in infima regione videtis, atque vti media supremorû; ita ipsa mediorum formam & imaginem referunt, ea tum quidem obliuione constant eorum quæ non sunt, per inane (mortem nempe & somnium) quæ lynx animal, gladiusq. & lingua significant: tum autem phantasia apparentium, per vacuum, quæ cancer & larua cum vmbra & bulla: tum affectione iucundi, per vanum, quæ dyphas serpens, ficusq. & nota numeri decimisexti. Pulchrè. Ad quæ quidem celebranda pertinent hymni Persephones, Meliones, matris Antææ, Titanû, Typhosis, somni, somniorum, mortis & Mercurij, quos illis Orpheus cecinit. Egregiè narras. Ee verò pro harum partium differentia, & trium regionum quaternario numero comprehensarum diuisione fit, vt quicquid toto orbe, rerum, scientiarum, & actionû est, certis generibus, gradibus, ac nominibus, secundum ternarium & quaternarium, nouenariumq. & denarium numerû (vti & de diuinis, vnde hæc manant ac profluunt, diximus) diuidatur. qua de re non est hæc plura dicendi locus, tantùm attigisse sat est. Placet. Nisi quòd vnum minimè omittendum videtur. Quidnam autem? Nempe omnes res, scientias, & actiones, cuiuseumq. generis, gradus, aut nominis sunt, tum rectè & iustè se habere, cum ad ea quæ supra mundum sunt, respiciunt, vbi Iustitiæ claram sedem esse diximus. Probè dicis. Tum autem malè & iniustè, cum ad ea quæ infra mundum sunt, se conuertunt, vbi Iniustitiæ tenebrosum est domicilium. At quòdnam autem? Quòd sub inferiori hoc hemisphærio (mòstrabat autem virga) circuli mundani ex aduerso throni Themidis, subdensæ, ac squalidæ vmbre specie depictum cernitis, vbi degens Iniustitia, Iustitiæ quantum potest (tam per se nihil est) tam omitendo quàm committendo (vt vulgo dicimus) aduersatur, arreptis sæpe, ob deformitatem suam, quibus sæpe ex infima mundi parte simulachris & imaginibus Iustitiæ, quibus induta, pro Iustitia ipsa se venditat. Optimè profectò. Verùm quia de circulo hoc medio satis (vt videmur) diximus; agendum ad intimû, si videtur, veniamus. Placet verò. Ad illum igitur oculos conuertentes, quid in ipso totius operis centro, per quod recta illa linea, siue axis, de quo dictû est, transit, anne hominè depictum videris nudum? Sanè quidem. Ab hoc circulo iste humanus, ab Hyperboreis nostris vocatur: quoniã de hominis natura, & iustitiâ, secundum rationem superiorum circulorum (vnde haustus ac delibatus est) tractat. De natura autè quid ais? Ex mundano simul & diuino circulo, secundum ternarium & quaternarium numerum, item nouenarium & denarium, esse expressum.

pressum. Quomodo ex mundano? Quoniam homo ex mundo tum quidem animam hausit, quæ regionis superioris est, tum autem corpus, quod mediæ, tum denique umbram, quæ infimæ. Ex quibus tribus per quaternarium numerum inter se iunctis, exterior pars hominis (vnde Themis Zomatica dicta est) constituitur. In qua quidem cum animæ facultates sint, naturalis, vitalis, & animalis: corporis autem principes partes, caput, cor, & hepar; umbræ verò aliæ sint, quæ à corpore emicant, aliæ quæ corpus sequuntur, aliæ quæ ab eo effluunt: perspicuum est, si quidem in vnum ea iungas, etiam ex nouenario & denario numero partem hanc constare. Ex diuino quonam modo? Quoniam superior pars hominis, ad Dei imaginem ac similitudinem facta, partim mente constat, quæ Haythæ est; partim animo, qui Sinne; & partim spiritu, qui Gastæ. Ex quibus mentis rursum partes sunt, memoria, intelligentia, voluntas, animi ratio, animositas, cupiditas & spiritus, cogitata, dicta, facta. sic ut & hinc quaternario simul & denario numero omnia contineantur. Reuera dicis. Idque haud paulo præclariore ratione, quam in inferiore parte: quia cum illa cum beluis sit communis, hæc propria est hominis, non modo generatim ad Dei similitudinem, sed & speciatim ad imitationem propriæ imaginis eius expressa: vnde admirabilissimum Dei & naturæ opus hominem maiores nostri vocabant. Quid autem? circa iustitiam & iniustitiam quonam modo se habere aiunt? Tametsi quidem secundum quaternarii & denarii naturam, nihil homini magis est proprium quam iustitia: tria tamen vitæ ipsius sæcula exstare tradunt, hinc expressa, aureum vnum, iustum; ferreum alterum, iniustum; & æneum tertium, ex utroque mixtum. Quid? aureum autem vbinam monstras? In summo hoc circulo intimo, ad sinistram partem axis, vbi regionem illam lucidam, summoque fulgore conspersam videtis, quæ arboribus confita, & fontibus irrigua est, vbi nouem venustissimæ virgines, facie ad axem conuersæ, manibus iunctis choreas ducunt. In quarum medio, cæteris altior stat Regina, citharam pulsans. At quidnam autem ea sibi volunt? Nempe in hoc sæculo aureo, tres supradictas, siue nouem superiores partes hominis (quas inferiores sequebantur) ad legem Dei conuersas, trium supradictarum, siue nouem partium iustitiæ (quæ media stans Astrea & Vrania à quibusdam vocatur) fuisse participes: vnde suauissima illa harmonia, de qua dictum est, cum omnium rerum abundantia & copia, ipsaque adeo summa felicitas & beatitudo exsistebat. Iam ferreum autem sæculum vbinam est? In imo circulo ab eodem latere, vbi in loco tenebroso & horrido, tres siue nouem homines ab axe auersos, canem tricipitem in altari depictum (propter quem binæ utrinque stant mulieres, pocula manu tenentes) adorare cernitis, nonnullosque in semicane, lupos, & alia fera animantia conuersos, in montes & silvas se abdere. Quid ira verò? Ut ostendatur in hoc sæculo ferreo, tres siue nouem inferiores partes hominis (quæ superiores ad se trahebant) à lege Dei auersas, & ad se conuersas, partim erroris & ignorantiae, partim doloris & voluptatis potu plenas (vnde omnis iniustitia & discordia existit) relicto vero Deo, sui ipsius, secundum triplicia animi, corporis, & externa bona, cultores & idololatrias (quos vocant) fuisse. Vnde ad summam infelicitatem, & extremam miseriam homines redacti, in beluas commutantur. tristis sanè exitus. Sic est. Et quidem quem inter utramque regionem, aurei & ferrei sæculi, diuini interiectum videtis, Lethæus est, cuius primam potum malum hoc contingitur, ut à superiore regione ad inferiorem transeat, & de poculis illis mulierum bibatur. Dehinc autem æneum sæculum vbinam ostendis? Ad dextram axis partem, vbi tribus regionibus id distinctum cernitis, ex quibus infima & media, mari; suprema autem & media, montibus determinantur. Videtisne? Planè, sed cur nam autem ita? Quia cum sæculum hoc æneum, ex iusto

& in-

& iniusto mixtum sit, vt diximus, ea mixtura sic sese habet, vt vel plus mali in ea insit quàm boni, plusque caliginis quàm lucis, quod infimæ regionis est, quæ stellarum dubio lumini est similis; vnde & stella ex aduerso ei picta est, in axi, sub pedibus hominis, vt videris: vel æquæ vtriusq. sint partes, quod mediæ, quæ lunæ, luci ob id comparatur, quam in eodem axe supra caput hominis depictam cernitis: vel plus boni quam mali, plusque lucis quàm caliginis, quod supremæ, vnde cum Solis claro splendore confertur, quem ad summum circulum in eodem axi expressum videris. Sic est. Et verò vt de singulis ordine dicamus, quid? ane infimam istam regionem sic descriptam cernitis, vt cum à fronte mari prætexatur, postque lacus habeat, ad latus vtrimq. fluminibus disterneretur, ex quibus dextrum in duo capita diffusum, mediã ferè regionem diuidat, in cuius medio tribunal est regium, iuxta quod ab vno latere tres stant sacerdotes, ab altero totidem prophetæ, antè autem iudices totidè, infra quos ad dextram vir stat armatus, ad læuam autem togatus, & infra illos in ima regione, tres in super, agricolæ, opificis, & mercatoris habitu? Itane est? Etiam. Quid igitur hæc volunt? Scitote descriptione esse vitæ humanæ, sub lege naturæ corruptæ, quam post labem peccati contractam, diuersi vbiq. heroes constituebant, vt homines paulatim à vita ferrea reuocarent, & ad aureã reducerent. Ad quam rem primùm artes varij generis, partim ab animantibus arreptas, partim ab sese cogitatas constituebant. Nam panem Ceres monstrabat, vinum Bacchus, rem pastoralem Pan, bellicã Mars, fabrilem Vulcanus, medicam Æsculapius, textoriam Minerua, venationem Diana, & sic porro de aliis, quibus varios hymnos Orpheus canit. Deinde autè matrimonia iungebant, domosq. & familias fundabant, post verò paruas quasdam ciuitates: & republ. partim necessitatis, partim cõmunis conuictus causa moliebantur. Inter quas & vestra, ab hyperboreis maioribus vestris fundata fuit, quam vnã cum ipsius terræ Frisiæ descriptione, in hac tabula adumbrarunt, sic vt patriam vestram antiquam, & republ. hinc ob oculos positam habeatis. Dij boni, dicebamus omnes tres, quid narras? Id quod res est, inquit ille. Nam qui à sinistris est fluuius, Amasis vocatur, qui Frisios à Cauchis separat; qui à dextris Rhenus, qui vno capite per Cattos in mare Hyperboricum exiens, à Batavis eosdem diuidit. Altero autem per Fleuum minorem Frisiam efficit, cuius tres sunt Zialandiæ (nam sic pagos suos vocare solent) Vitorum, Caniuefatum, & Frisiabonum, cum suis gritaniis & vicis: reliquam autem quod inter Amasim & Rhenum interiaceret, maior Frisia dicitur, cuius quatuor sunt Zialandiæ, Vestrogorum, Ostrogorù, Septifluiorum, Grinum, cum suis itidè gritaniis & vicis, quos à Tubantibus, Saliis, Marsis, Theucteris, Bructeris, Caninais immanes lacus & columnæ Herculis diuidunt. Pulchrè profectò. Ac quantum ad republ. vestram antiquam attinet, cum omnium Frisiorù & nomen idem esset, & libertas eadem & nobilitas, ad republ. autem regendam ac gubernandam prout quemq. naturâ aureum, argenteum, vel æneum reperiabant, ita maioribus vel minoribus rebus præponebant. Ac constabat quidem tota ciuitas, secundum hominis ipsius descriptione, partim iis qui imperarent (quod per annuas vices fiebat) quos Aldermannos vocabant, & iuxta solium regium depictos videtis: partim qui parerent, qui Huysmanni dicebantur, & in ima regione consistunt: partim mediis inter vtroscque, qui tum quidem imperarent, tum autem parerent, quos Meenmannos vocabant; qui alij Haedlingi dicebantur, qui in locis editioribus armati contra vim hostium, beluarum, & maris excubabant: alij Eynyrda, qui ne quid ad vitæ necessaria reipubl. deesset, curæ habebat. Nam cum Aldermanni nihil suum possiderent, vt curis priuatis vacui, vni reipubl. regendæ, gubernandæq. incumberent, Haedlingi

lingi autem non nisi arma apud solos Eynyrdas possessiones erant, ex quibus administris Huyfinannis, se & Aldermannos Haedlingosq. lege alere iuebantur: addiso omine, si quando ordinem hunc peruerti contingeret, simul fore, vt & respubl. confestim euerteretur. Optimè sanè. Et quidè cum ex Aldermannis, alij Drugi dicerentur, qui sacerdotium gerebant, alij Gasti, qui doctrina & sapientia præstabant, & non longè à Sturis, vbi regia erat, sedem suam habentes, tabulam istam in adytis suis (quibus vno vocis sono à cælo simul & Themide Dea nomen erat) adseruabant, & alij Druyti, qui rebus gerendis, & iudiciis præerant: ex his cunctis, suo quisque tempore atque ordine, Rex in triennium, suffragio Aldermannorum, Haedlingorum, & Eynyrdarum (apud quos tota resp. erat) creabatur. Qui non quidem pro suo arbitrato, sed ex ipsorum (quos ob id solium ipsum Regium circumstiterè videtis) consilio, & legum præscripto, quod liber ante solium positus indicat, rem communè, non suam, gerebat, propositis magnis præmiis iustitiæ, si legi parèret, & pœnis si contrà. Præclarè me hercule. Quæ quidem lex tametsi suo in genere naturæ corruptæ minimè mala, imò verò optima esset, & ad iustitiam, libertatem, & rerum necessariarum copiam (qui sunt tres cuiusq. reipubl. fines) ordine directæ, facilè tamen maiores nostri pro summa sua virtute & ingenio perspiciebant, haud parum circa rem diuinam illi deesse. Quare vera religione allata, mox eam auidè sunt amplexi, suæq. tabulæ inseruere. At quonam tandem modo? Adiectione duarum regionum, mediæ & supremæ, de quibus iam diximus. Quid? media quidnā autem continet? Legis Mosaicæ descriptionem, quæ à Deo interprete Moyse profecta, cum aliis multis, tum ea re vna, legem naturæ corruptæ (quæ humana est) maximè superat, quòd de Deo haud paulo maiora certioraq. quàm illa demonstrat. Et verò quia tribus omnino capitibus continetur, duæ tabulæ, quas videtis, legem moralem, aræ ceremoniale, & tribunal iudiciale significat. Suprema autem quid? Legis gratiæ descriptionem, quæ pura putà à Deo homine factò constituta, omnibusq. numeris perfecta, non modò legem naturæ corruptæ, sed & Mosaicam (quantum quidem ad exteriora sensa pertinet) omnibus rebus superat, & ad veram regni Dei agnitionem, eiusq. iustitiam nos reducit. Rectè. Ad quam quidem adumbrandam, tum quidem agnus, vrbs quadrata, limpido flumine irrigua, & vincula media interposita (quæ in tabula expressa cernitis) pertinent, quibus caput, corpus, & nerui regni Dei significantur: tum autem tres virgines, cum cruce, anchora, & columba, numeroq. duodenario, senario, & nouenario iuxta positæ, fides, spes, charitas, quibus eius iustitia. Optimè profectò. Quæ quidem summo in hoc circulo ideo posita sunt, vt demonstraretur illud demum verum Themidis esse regnum, illamq. veram iustitiam, quæ à regno Dei, eiusque iustitia profluit, illiusque fermento, quoad eius rectè fieri potest, fermentatur. Quod quidem vt ita fiat, omni Regi, Sacerdoti, & Prophætæ, omni omnino studio conandum & adlaborandum est, sic vt quicquid est in republ. in vnus Iesu Christi Domini nostri, qui solus verus Rex est, Sacerdos & Propheta, vereque ter maximus, & ter vnus, nomen conuertatur, & ab eo solo dependeat. His dictis, cum quædam interrogare pararem, surgens senex, ad rem diuinam se ire aiebat. Præses autem Viglius & ego (filio illic relicto, vt hospitem adduceret) in proximum Hopperianum concessimus.

F I N I S.

IOACHIMI HOPPERI I. C.

FERDINANDVS,

SIVE,

DE INSTITVTIONE PRINCIPIS

A D. REGEM LIBER.



Eo Optimo Maximo, cui vni laus, omnis honor & gloria debetur, summam in primis gratias habens atque agens de tantis in nos collatis beneficiis, quod Principem nobis heredem, & tot regnorum successorem dederit, non potui quoque omittere, Rex Optime maxime, quin & Maiestati tuæ, eadem de re, cum meo, tum tharissimæ patriæ nomine, etiam atque etiam gratularer, orans Deum immortalem omnibus precibus atque votis, vt quemadmodum hæc res cupitis Imperio tuo subditis nationibus ac populis longè gratissima ac iucundissima accidit, ita & ad ipsius perpetuam gloriam & honorem, tuæque Maiestatis & augustissimæ Reginz matris solidum & perpetuum gaudium, totiusque adeò reipublicæ Christianæ bonum esse possit. Et verò ne omnino vacua hæc gratulatio nostra veniat (nam vacuum coram Deo, eiusque vicario Principe, apparere longè prohibetur) equidem cum de meo nihil habeam, quod tanta Maiestate dignum videri queat, censui quendam illi, quem à senè quodam olim, viro sancto ac erudito, minimè ab hac re abhorrentem sermonem audiui, adiungere. Qui quidem licet Maiestati tuæ propter summam eius rei peritiam, minimè fortasse nouus videbitur, neque ad vñlo modo ei est necessarius; quod tamen pro immortalitate ac benignitate sua, qua omnibus Regibus ac Principibus, cunctisque adeò mortalibus præstat, in bonam partem eum sit accepturus, maiorem in modum confido. Et quidem cum die quadam (quæ haud absimilis huic lætitiæ publica inciderat) apud Cardinalem Granuellanum essemus Præses Viglius & ego: vnà etiam aderat ille quem dico senex. Qui quidem vt nos, & alios qui simul aderant, omnia bona nouo nato Principi precari, aliosque alia particulatim, vt sit, illi optare audiret, Et ego, inquit, idem facio, eademque quæ vos pæro precor atque opto, dummodo vnum, quod vos prætermittitis, adiiciatur. At quodnam autem illud, inquit Cardinalis? Haud scio, inquit ille, an omnium maximum: sic vt cum id adsit, reliqua non possint non bene se habere; cum verò absit, plus ferè noceant quàm profint, vt in maximorum Regum ac Principum filiis, quibus sæpe deesse solet, re ipsa sæpe compertum fuisse, plurimorum scriptis memoriæ proditum exstat. Illud autem quidnam vocas? Rectam institutionem: quam cum ego nouo nato Principi opto, haud minus ego solus, quàm vos omnes, illi optare mihi videor; & nisi vehementer fallor, ipsa sola tanti est ponderis, vt reliqua ex aduerso posita, vix minimi momenti instar obtineant. Reuera dicis, inquit Præses. & quidem sæpenumero ea de re cogitans, & multa multorum scripta illius argumenti euoluens, nescio quo pacto aliquid semper desiderare mihi videor. Credo equidem, respondit senex: sed scito quæ de causa id fiat. Quanam autem? dic, quæso. Quod qui in hoc genere versantur, ferè dum nimium properant, tardiùs, vt vulgo dicitur, absoluunt. Qui sic autem? Quoniam ad propositum de Principis institutione sermonem festinantes, nec quid Princeps sit, neque quod munus eius sit & officium, antè perquirunt: vnde haud aliter illis accidit, atque si qui ædificandæ domus rationem tradere velit, quidnam autem ipsa domus sit, prorsus nesciat. Sic est. Cæterum vt via & ordine quis hac in re progrediatur, primùm Princeps ipse describendus, & quasi ob oculos ponendus ei est: deinde autem, quo pacto institui debeat, vt talis euadat, demonstrandum. Quin tu igitur, inquit Cardinalis, eum ordinem securus, de vtroque (si placet) nobis differere: nam in natali Principis quid potius agamus, quàm vt de illius descriptione institutioneque sermones conferamus? Præclare me hercule narras, inquit ille, qui me hominem priuatum, & in otio literario delitescentem, de Principe & Republica differere iubes; & quidem coram vobis, qui & doctrinæ studiis, & regenda ciuitate, duo principes estis: imo verò haud paulo meliore iure ipse à vobis hoc munus exigam. Ne qua hac de re altercatio sit, inquit Præses, ego, quid faciendum videatur, dicam: nempe vt te præcunte, qui circa vniuersalem rerum cognitionem versari solitus es; nos, qui ad res singulas agendas magis descendimus, subsequamur, mutuasque operas ad rem tam præclaram inuestigandam tradamus.

damus. Probè dicis, respondet senex. Et quidem cum primùm Princeps describendus nobis sit, deinde autem quo pacto formari debeat, indagandum: cogito an rectè facturi videamur, si pictores sumtemur, eorumque quasi vestigiis insistamus. Quid ita verò? Hos enim scitis, cum picturam aliquam aggrediuntur, primùm extremis lineis eam circumscribere, deinde autem singula membra formare, post verò umbras iniicere. Ita res est. Hoc igitur (vt dico) imitantes, dispicite, æquid rectè facturi videamur, si primùm quid Princeps sit, generatim inquiramus; deinde speciatim, quod eius munus sit & officium, tum verò particulatè, quibus rebus instructus, & quasi coloribus tactus esse debeat, vt talem se præstet. Rectissimè profectò: itaque sic quæso facito. Imo verò vos, vt dictum est, me iuuate, & an rectè dicam perpendite: puto enim primam Principis picturam hoc modo posse circumscribi. Quonam tandem? Nempe Principem Dei esse vicarium, qui reipublicæ regendæ gubernandæque præest. Quid: an aliquid dicere vobis videor? Sandè quidem, inquit Cardinalis: nam tritum est illud verus, Principem vñum Dei esse simulachrum; Sic est, respondet senex: nec ignoratis quoque principibù rerum, non hominem homini, sed vnum Deum mortalibus imperasse: ad humana autem ista regna tunc deum deuentum fuisse, cum per peccatum oculi hominum ad Deum Principem videndum, obscuruere, sic vt lucem eius ferre non possent: haud aliter atque Israelitæ vocem Domini ferre non poterant, sed vt Moyses loqueretur, rogabant. Qua quidem de causa ille Reges istos, ac Principes mortales, quasi corporatos quosdam deos suo nomine constituit, qui in republica regenda ac moderanda vicariam ei operam præstant. Probè naras. Quod quidem considerantes hi qui subsunt, non tam homini quàm Deo se subesse censere debent. Nam omnis potestas à Deo est; & qui potestati resistit, Deo resistit. verum & contra Principes id ipsum animaduertentes, intelligere debent, non suum, sed Dei esse Imperium, se autem vicarios esse dumtaxat, nec paucos sibi parere mortales, qui multo quàm ipsi sint meliores, vt Christus Deus Iosepho homini parebat. Reuera dicis. Et quidem quod addidimus Principem non solum Dei esse vicarium, sed eum vicarium qui reipublicæ regendæ, gubernandæque præest; ad hoc pertinet, vt ab aliis Dei vicariis distinguatur, cuiusmodi sunt parentes, magistri, domini, qui & ipsi Dei vices gerunt, sed non tam plenè & perfectè, quàm Rex & Princeps. Sic est. Verùm cum prima ista adumbratio ad hunc modum sese habeat, quid: vultisne ad articulationem (nam sic eam pictores vocant) porrò veniamus, & quod boni Principis verum munus & officium sit, pro viribus exponamus? Omnino, inquit Præses: nam hoc quidem vel maximè scitu necessarium est ad eam rem quam agimus. Dispiciate igitur, inquit Senex, an sic rectè dicere videar, & si minùs, liberè reprehendite: nam veritas omnibus rebus anteponenda est. Ita faciemus, inquit ille, si opus videbitur; tu modò dicito. Memoria repeto, inquit, à magno quodam diuinoque viro, olim me audiuisse, verum ac proprium boni principis munus esse, vt Dei imaginem ac similitudinem gerens, suorum commodorum oblitus, in vnus reipublicæ verum ac solidum bonum eo quo oportet modo procurandum incumbat. Quid: an rectè vobis dixisse videtur? Respondebimus, inquit Cardinalis, si singula prius examinauerimus: nam haud parua sane res est quæ agitur. Imò verò longè maxima, respondet Senex: nam cum ars hæc regia, architectonica sit, præsidens reliquis artibus ac scientiis omnibus, præscribensque quasnam in ciuitate esse, vel non esse, & quousque eas discere oporteat, princeps vtique & caput est omnium. Et ideo merito mihi dicere videre, ei quod proponitur, non statim assentiendum aut contradicendum esse, sed singula diligenter perpendenda: quod equidem, in quantum queam poteroque, perlibenter vnà vobiscum sum facturus. Bene facis, ait Cardinalis. & verò si cur Dei imaginem ac similitudinem Princeps gerere debeat, primùm omnium exposueris, rectè atque ordine facturus videris. Sic est, inquit Senex. & quidem cum Princeps vicarius Dei sit, vt iam demonstratum est, & constet vicarium eius, cuius est vicarius, personam repræsentare, per se, ni fallor, lucet, Principem personam & imaginem Dei repræsentare, & præ se ferre debere. Intellego. Atque id quidem eo magis, quod quemadmodum oues & capræ non à sui generis animantibus, sed à præstantiori natura, homine nempe, reguntur: ita nec homines ab iis qui nihil aliud quàm homines sunt, sed à præstantioribus quibusdam heroibus, qui ad diuinam naturam propius accedunt, Dei que imaginem expressius quàm ipsi (nam omnis homo Dei imago est) referunt, regi ac gubernari debent. Teneo. Verùm hæc imago in quonam autem consistit? Enimvero vt quemadmodum Deus secundum diuinæ Trinitatis personas & potentissimus est, & sapientissimus, & optimus; ita & verus Rex ac Princeps, tum quidem auctoritate ac potentia, tum autem prudentia & sapientia, tum verò bonitate ac virtute præstet: primùm quidem

quidem per se, quoad eius fieri potest; deinde autem per suos, dum non modò potentissimorum, sed & sapientissimorum optimorumque hominum comitatu semper stipatus incedat. Rectè. Atque ab his quidem tribus, Ægyptij olim Reges suos Trismegistos appellabant, quasi ter maximos dixeris: quoniam non in alios summam regiam potestatem conferebant, quàm quos ante eximia doctrina ac sapientia, ad primum inter philosophos locum, eximia autem virtus ac sanctitas, ad summum sacerdotium euexisset. Ita memini me legere. Et verò in solio eum, sedeque regia collocantes, vide quidnam autem faciebant; nam & id non dubito quin memineris. Quidnam autem? Exuentes illum nomine suo proprio, commune omnium Regum nomen (quod Pharaò erat) ei imponebant, quo solo uti poterat. Sic est, sed quam ob rem? Ut intelligeret, eo se loco iam esse posurum, ubi suæ propriæ personæ obliuisci, & in vnum reipublicæ bonum incumbere deberet; uti fieri oportere, iam antè diximus. Quid ita verò? Quoniam uti Deus in rebus inferioribus procreandis non sua, sed nostra causa agit; ita & vicarius eius Princeps, Dominum suum imitatus, apud quem omnium actionum suarum rationem reddere debet, non de se particulatè, sed de tota republica vniuersè sollicitus esse debet; haud aliter atque bonus gubernator, qui suam salutem non in alio quàm in totius navis omniumque vectorum salute ponit, in quam rem solam, sui oblitus, incumbit. Præclare me hercule. Quin & eo magis id affirmandum nobis est, quoniam ut in aliis artibus omnibus, ita & in hac regia naturali ratione vsu venit, ut id quod agit, non sua, sed alterius causa agat. Nam ars medica non se curat, sed ægrotum; architectonica non se, sed domum; pastoritia non se, sed oves; & sic porrò de cæteris artibus ac scientiis. Bene dicere mihi videre, inquit Cardinalis; & verò hinc etiam fieri existimo, quòd apud Homerum Reges, pastores populorum appellantur, quasi qui eorum, non sui, pastorum gerant: verum vnum mihi dicas, velim. Quidnam autem? Cùm pastores pecorum ex lacte eorum viuunt, & lana se vestiant, quid? anue & Principi idem est permissum? Bona verba quæso, inquit Senex, quidni enim esset? Imo verò non licitum modò, sed & debitum est. Cæterum quod nos nunc agimus est, ut intelligamus quemadmodum pastor, quatenus est pastor, non se, sed oves curat, quod proprium est eius opus; lac autem & lanam tamquam accessionem quandam percipit: ita & Regem, quatenus Rex est, non se, sed reipublicam curare, quod proprium est eius officium; cui honores & opes, tamquam pro accessione, quemadmodum in Euangelio proditum est, adiciuntur, ut is qui altari seruit, de altari quoque vivit. Probè me hercule narras. quamquam id autem non ipso quidem Rege postulante; & ut magnum quid appetente fieri debet (hoc enim qui facit pro nobili Rege vilem mercenarium se efficit) sed populo ipso & republica vltro gratitudinis ergò tamquam debitum afferente. Nam multa, inquit iuriconsulgi vestri, honestè accipiuntur, quæ non honestè petuntur. Ita quidem res est, inquit Præses; sed quid si reipublica officium non faciat, vel, quod magis est, non ad personæ Regiæ, sed ipsius populi vsu re aliqua sit opus? Nam utique non ignoras pastori ouium non sua tantum causa re opus esse, ad oves regendas; sed & canis nutriendi gratia, ad eas tuendas; & ipsarummet ouium ad caulas, pascua, & alia eiusmodi paranda: quæ equidem non aliunde quàm ab ipsis sumi posse, per se (nisi fallor) lucet. Sic est, respondet Senex. & quidem nihil dubium est, quin, si hosti resistendum, aggeres reficiendi, muri ædificandi, & alia eiusmodi opera publica facienda sint, pecunia non aliunde quàm ex publico sumi debeat, qua quidem de causa vectigalia instituuntur, census aguntur, fiunt indictiones, & alia eiusmodi. Cæterum bono Regi ac Principi vnum hinc quàm diligentissimè animaduertendum est. At quidnam autem? Nempe hanc rem ex iis vnam esse in quibus bonus Rex ac Princeps quàm cautissimè versari debet, ne ab adulatoribus (quorum magnus ferè solet esse numerus) ac maxime quidem à seipso (quem ob id suspectum habere oportet) circumueniatur, & pro Rege tyrannus efficiatur. Quid ita verò? Quia quantum ad hanc rem attinet, inter Tyrannidem & Regiam administrationem non nisi hilum interest; sic ut, nisi diligentissimè attendas, facillimus ab vno ad aliud sit lapsus. Qui sic autem? Nam cùm inter Regem & tyrannum hoc solum sit discriminis, quòd ille reipublicæ, hic sua causa agit; perfacile, propter naturalem hominum cupiditatem, accidit, ut cùm de pecunia agitur, aliò quàm oportet, animus flectatur. Qua quidem re fit, ut vel non necessaria imperentur, vel amplius quàm oportet exigatur, vel aliò quàm decet pecunia conuertatur, vel certè (quod solum ad peccatum sufficit) animus ad eam adiciatur. Quæ omnia eo sunt procliuiora, quòd pulchrum illum boni publici pretextum habent; quo tamquam larua quadam se tegunt, & quidem ad eum modum; ut sæpe vix discerni queat non solum ab aliis, sed nec ab ipsismet principibus, regiumne an tyrannicum

cum sit quod agitur, in quo gratissimum est periculum. Verum. Quod quidem, ut boni Principes euitent, primùm nihil huiusmodi aggrediantur, nisi summâ necessitate cogente: deinde sic rem tractant, & per eiusmodi homines, ut omnibus palam sit, non suam, sed reipublicæ rem se agere: tum rationes suas à pecunia publica penitus separatim habentes, nullo modo priuatim ei rei se immiscunt, scilicet ne si aliter faciant, vel in tyrannidum etiam præter meritum suspicionem incidant, quod vir bonus omni studio euitat, vel, quod deterius est, cupiditate allecti, minus officium faciant, & ad suum opinatum potius quàm reipublicæ verum ac solidum bonum se conuertant. Præclare narras, inquit, Præses. Sed id verum ac solidum reipublicæ bonum in quoniam autem consistit? In vno magno, cui alia duo pro adminiculis accedunt. Id autem magnum quidem est: Vt iustitia (cuius summum caput est vera Christi religio) in civitatem ac reipublicam inducatur, cuius rei solius causa, & non alterius, omnes Reges ac principes à Deo fuere constituti: cuius quidem rei evidens argumentum est, quod, qui primus inter mortales Rex à Deo constitutus fuit, Melchisedech, hoc est, rex iustitiæ fuit appellatus. Vnde & regnum Dei, & iustitia eius, in Evangelio coniunguntur: Et David, qui verè Regis filio Salomoni optans, Deus, inquit, iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis, iudicare populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio: Nec aliud pertinet quod in fabulis dicitur, Iouem vitam civilem in hominum societates induciturum, pietatem & iustitiam ad eos misisse. Et quidem quod sol mundo est & sanitas corpori, hoc animo & reipublicæ est iustitia: & ideo quemadmodum sublato sole, cuncta densis impleta & occultata sunt tenebris, & sublata sanitate, reliqua quæ corpori adherent, cibibus, potus, vestitus, & alia eiusmodi pro nihilo ducuntur: ita & sublata è civitate iustitia, reliqua adiectitia, vix minimi momenti instar sunt, sæpeque plius nocere quàm prodesse solent. At quænam autem sunt illa? Libertas, & rerum ad vitam necessariarum copia: quæ duo utique Princeps reipublicæ præstare debet, ut habeat vnde viuat, sine quo omnino esse non potest, & ab hostibus tam internis quàm externis tuta ac defensa sit, absque quo coniuncta manere nequit. Verum. Quæ quidem ideo dicimus adiectitia, quia non per se appetuntur, sed alterius, hoc est, iustitiæ causa. Nam res ad vitam necessarias non ideo conquerimus, ut simus, hoc enim brutorum est, sed ut bene simus, quod est iustitiæ: & bellum cum hostibus gerimus, non ut vincamus, aliosque seruitute opprimamus (nam hoc tyranni faciunt) sed in pace beati viuamus, quod à iustitia profluit, vnde iustitia & pax se mutuo osculari in Psalmis dicitur, & primitus Rex iustitiæ Melchisedech, quem diximus, civitatem condidisse scribitur, cui nomèn dedit Salem, quod à pace deducitur. Rectè. Adèd ut cum primo loco sit iustitia, quæ tamquam caput reipublicæ ante omnia secundùm Christi doctrinam queri debet, post eam sequuntur libertas & diuitiæ, quæ tamquam membra inferiora, ut cor & iecur, deinceps accedunt quasi adminicula: sic ut externa bona diuitiarum, ad ea quæ corporis sunt, & in libertate consistunt, ea autem quæ sunt corporis, ad ea quæ sunt animi, & ad iustitiam pertinent, referantur. Probè. Qui quidem ordo cum inuertitur, & maior opum armorumque potentia quàm religionis & iustitiæ ratio habetur, fit, ut res illæ primùm fastu & luxu civitatem corrumpant: deinde autem ipsæmet aufugiant, & pro libertate, ac opulentia, extremam seruitutem & paupertatem relinquunt. Nam cum per se cæcæ sint, nihil pro sano agunt, nisi cum virtute coniungantur, eiusque ductu, ita ut oportet, dirigantur. Probè narras. Vnde David in Psalmis, primùm de vi armorum: Non saluatur, inquit, Rex per multam virtutem, & gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ. Fallax equus ad salutem, in abundantia autem virtutis suæ non saluabitur. Non enim in virtute equi voluntatem habebit Dominus, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei. Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius. Rectè. Ac quantum ad opes & diuitias: Ecce homo, inquit, qui non posuit Deum adiutorem suum, sed speravit in multitudine diuitiarum suarum, & præualuit in vanitate sua. Nunquid ita dicit? Dicit. Quin & hoc considera. Quidnam autem? Cum circa virtutem peccari nullo modo possit (numquam enim nimis bonam, nimis sanctam, nimis iustam civitatem quis dixerit) circa libertatem, & rerum copiam potentiamque facillimè peccari. Et ideo boni Principis est, si quando nimiam civitatis libertatem, quæ in licentiam, nimiasque opes ac diuitias, vitæ, ac moribus civium officere videt, ad mediocritatem eas reducere. Ita res est. Quamquam id dum facit, & hic, quemadmodum in alio supra diximus, etiam atque etiam sollicitus, & sibi ipsi suspectus esse debet. Nam cum ea res quasi in confinio boni & mali versetur, & ex eorum sit numero, quorum prætextu, etiam mali Principes, in opprimenda populi libertate bonis quoque diripiendis uti solent, quæ

quasi ipsorum civium bono id fiat, non oportet pium ac prudentem Principem, nisi summa necessitate cogente, & maxima cautione adhibita, ad rem tam periculosam accedere: ne fortè nimix potentix suauitate pellectus, non tam populi quàm sua causa id faciat, & vel clam propemodum seipso, ex bono rege tyrannus euadat. Reuera dicis, in quibat Cardinalis: nam non suum sed publicum bonum, Principem quærere debere; idque verum ac solidum, iam satis demonstratum est. Cæterùm quonam autem modo id fieri debeat, hoc verò aueo cognoscere. Huc ibam, dicebat Senex. Nam pendet id ex eo quod supra diximus, boni Principis esse, non solum bonum publicum procurare, sed eo modo quo decet. Quis sic autem? Nam haud satis est bonum facere, nisi id ipsum bene facias, hoc est, ea ratione ac via qua oportet. Vnde in sacris literis iudicia Dei iustè iudicari iubentur: estque non minus vitiosum rem iustam facere iniustè, quàm ipsum facere iniustum. Id autem quibusnam rebus continetur? Tribus omnino. Cedo quibus? Nempe vt secundùm leges per legitimos magistratus iudicia legitima omnia fiant. Nam hæc tria propria à Deo instrumenta data sunt, ad iustitiam in rempublicam inducendam: à quibus cum receditur, tametsi iustum sit quod fit, non iustè tamen fieri dicitur. Quid ergo? an nihil vnumquam extra ordinem fieri potest? Potest verò: nam multi casus incurrunt, qui hunc ordinem seruare non patiuntur: estque bonus Princeps & pro summa lege in republica, & pro summo magistratu, & pro summo iudice, sic vt nihil sit, quod ipse pro summa auctoritate sua non possit. Tantundem & mihi videtur. Cæterùm vti de aliis duobus modò diximus, ita & hic tertio loco admonendum est, non nisi grauissimis maximisque de causis, ad extraordinaria illa esse veniendum. Nam cum Deus verus Princeps non nisi per ministros suos ferè agat, rarò autem sine illis, idem & Regibus vicariis ipsius est imitandum. Rectè. Et quidem eo magis, quòd leges, magistratus, & iudicia quædam quasi sunt numina diuinitus constituta in republica. Vnde & iudices Dij in sacris literis appellantur, sic vt non tam pro ministris, quàm pro cooperatoribus (vt ita dicam) Regis haberi debeant. Verum. Et ideo boni Principis est, summum honorem illis exhibere, nec quicquam sine illis, nisi vltima necessitate, tamquam tempestate cogente, agere; ne, si aliter faciat, in anceps periculum se coniciat, & loco Regis tyrannum se exhibeat, quemadmodum de aliis modò diximus. Probè. Cæterùm quia de prima Regis delineatione, inquit Senex, eiusque exactiore descriptione (quatenus quidem ratio instituti requirit, hæcenus dictum est) quid? ane superest, vt ad colorum iniectionem, quam tertio loco promissimus, veniamus? Id ipsum dicebam ego. Ergo cum bonus Princeps, inquit ille, eiusmodi esse debeat, vt diximus; age, quibusnam rebus instructum esse oportet, vt talem se præstet, videamus. Ea igitur quænam sunt? Non multa quidem, quantum ego existimo, sed vnum dumtaxat magnum. At quodnam autem illud? Vt Deum imitando, vir bonus sit, parendi & imperandi peritus. Nam cum proprium eius munus sit, bonam vt diximus facere ciuitatem, quonam tandem modo verè id efficere queat, nisi primùm seipsum talem præstet? At quia imperare nemo rectè potest, nisi primùm paruerit, & in eo vtiq; versatus esse debet, antequam ad imperandum accedat, quemadmodum Christus ipse exemplo suo monstrauit. Quo facto, si quidem ad bonam voluntatem simul & peritia bene imperandi accedat, nihil est quod in optimo Principe ampliùs desiderari queat, dum & virum bonum, & ciuem bonum, & Regem bonum, his rebus se præstat. Verùm id autem quibusnam rebus continetur? Duobus oraculis Delphicis: quæ ambo ad portam templi, vnum foris, alterum intus, descripta erant. Quænam illa verò? Nosce teipsum, quod prudentiæ est; & Ne quid nimis quod iustitiæ. Quibus duobus quicumque instructus & quasi subornatus est, & vir bonus est, & bonus ciuis, & bonus Princeps, cum nihil Deo sit similius, quàm vir prudens & iustus. Quid ita verò? Quia enim qui se nouit, ad Dei ipsius imaginem ac similitudinem se factum esse intelligit, & ob id ad hoc totum se instituit, vt illum super omnia amet ac diligat, eum virum bonum esse vtiq; necesse est. Sic est. Atque erit quoque bonus ciuis, quando mandatis Dei obtemperans talem se præstat. Verum. Et denique bonus Princeps: quoniam naturam humanam, cui imperandum est, in seipso cognoscens, & legem Dei quem solum sibi imitandum proponet intelligens, minimè ignorabit quænam rectè imperandi sint leges, quas pro summa virtute ac bona voluntate sua non omitteret quin diligenter & ipse seruet ac custodiat, earumque vestigiis insistant. At quænam autem sunt illæ leges? Tres omnino. Quæ est prima? Vt intelligat quænam per alios gerere debeat, vt inferiora omnia; quænam autem ipse per se, vt superiora. Nam munus regium architectonicum esse, sic vt non tam ipse agere, quàm aliis agentibus præsidere, & ad officium eos compellere debeat, iam dictum est. Ac sunt quidem

superiora post rem diuinam, leges condere, magistratus creare, summa iudicia exercere, cuiusmodi sunt viduarum, pupillorum, aduenarum, & aliarum miserabilium personarum, quæ non aliò post Deum, quàm ad vnum Principem, suum habent receptum. Inferiora autem, bellum gerere, pecunias administrare, & alia inde dependentia, quæ pro ratione temporum minimè quidem Princeps negliget, sed ita tamen, vt illa alia propius ad personam suam accedere intelligat. Altera autem? Vt sciat quando seueritate vtendum sit, ad exemplum iustitiæ & veritatis in republica statuendum; quando lenitate ac clementia, ad misericordiam exercendam: in quibus dictis bene miscendis (nam separari nunquam debent) omnis omnino recta ratio bene regendæ ac moderandæ reipublicæ consistit. Ac quamquam quidem ad seueritatem subinde veniendum sit, quod necessitatis est, communiter tamen benignitas & clementia exercenda, quod diuinæ mentis. Nam præterquam quòd haud paulo grauius ac stabilius est imperium, amicitia quod iungitur, quàm vi quod fit; tum seueritate facillimè apud Deum peccatur, clementia autem difficillimè. Et ideo Dominus se zelosum quidem (quod seueritatis est) esse dicit in tertiam & quartam generationem; misericordem autem (quod clementiæ) in mille generationes. Et cum momentum sit in ira eius, integra vita in bona voluntate ipsius esse dicitur. Tertia denique? Vt noscat quando restrictus in dando esse debet erga immerentes, & quando liberalis erga bene meritos, quorum & res iuuare oportet, ne egeant; & virtutes ornare, vt ad eorum exemplum, alij ad similia facta commoucantur. Et verò in hoc vel maximè (quantum quidem ad res externas attinet) ad Dei, cuius vicarius est, vim ac naturam Princeps accedit, si in dando ac benefaciendo largum, in accipiendo restrictum se ostendat. Nam Deus, cum omnia det omnibus, non nisi bonam voluntatem, eamque ab se profectam, à nobis accipit ac requirit. Reuera dicis. Atque ad has quidem tres leges reuocantur pleraque omnia externa imperandi gubernandi que præcepta, quibus bonus Princeps, ita vti antè diximus, delineatus ac descriptus, extrinsecus coloratur ac tingitur, vt verus perfectusque vicarius, imago, & imitator Dei sit & appareat. Præclare narras, dicebat Præses. Cæterum quia priorem instituti nostri partem iam perfecisti, quid? placet ne ad alteram, cuius gratia ista præmunita fuere, vti nunc transeas? Imò verò, inquit Senex: ego vos nunc malim audire, ne solus ego sapere, totumque sermonem occupare velle videar. Nihil est quod vereare, respondet Cardinalis; nam iam diu nos nouimus inter nos: proinde facito quod Præses iubet, demonstrans quonam modo educari & institui Princeps debeat, vt in eiusmodi Regem, qualem depinxisti, euadat.

QVONIAM ita vultis, inquit Senex, fiat quod iubetis. Et quidem quoniam res est longè maxima, quippe in qua totius reipublicæ salus nitatur, considerate ànne hoc potissimum modo atque ordine videatur progrediendum. Quonam autem? dic quæso. Vt primùm Deum Optimum Maximum omnibus votis inuocemus; ipsumque verum præceptorem ac magistrum rogemus, vt Principis nostri institutionem suscipere velit, illique cum Salomone cor dare docile, ad discernendum inter bonum & malum, & diiudicandum iustum & iniustum, sic, vt cognatam huic doctrinæ naturam habeat: absque quo ne lynceus quidem, vt videat, efficere queat. Verissimè narras. Deinde vt videamus quosnam illi alios magistros dare, & quæ discenda proponere, & quo pacto oporteat: nam hæc utique generaliter præmunienda sunt, antequam ad institutionem ipsam particulatim veniatur. Sic est. Et sanè haud parua res mihi videtur, de idoneis magistris vno vel pluribus puero prospicere; imò verò maxima est, nisi vehementer fallor: nam sine illis nihil utique effici potest, & proinde videre an Persarum Reges imitari debeamus, qui non vnum, sed quatuor filio suo magistros dabant. Quosnam autem illos? Tres pari potestate, & quartum qui reliquis præsidere. Quinam autem illi erant tres? Haud alij quàm quos Regi ipsi supra adiunximus: vnus nempe virtute ac vitæ sanctificatione præstans, ad temperantiam cum vera religione in animum pueti inducendam: alter doctrina ac sapientia, ad prudentiam & rerum cognitionem: & tertius auctoritate & rerum vsu, ad fortitudinem, & rerum agendarum armorumque exercitium. Quos quidem summa cura ac diligentia ex omnibus sibi subditis nationibus Rex Persarum conquiri, & ex multis seligi iubebat; & quàm primùm puet natus esset, dari: haud ignorans tantam vim esse deprauatæ consuetudinis, vt nisi vel à prima hora, qua quis natus est, imò verò dum adhuc in utero est, occurratur, periculum sit, ne quid occultè in animo illo tenello generetur, quod nunquam postea, quantumcumque studij adhibeatur, elui queat. Quis verò vnus? Ipse Rex pater, adiuuante matre: ad cuius utique munus vel maximè pertinet, vt reliquis magistris præsidens, filium quàm simillimum sibi efficere, & veram iustitiam

iustitiam in animam eius infundere studeat, quàm diligentissimam semper dans operam, ut, quibus ad eam rem oportet, studiis imbuatur. Ea autem quænam sunt? Quæ alia, quàm quæ virum bonum, ciuem bonum, & Regem bonum, qui verus Dei vicarius, imago, & imitator est, efficiunt? Non alia mehercule: sed illa quænam esse dicis? Certe cùm non, animo solum, sed & corpore Princeps constet; non vni tantùm, sed verique parti restat doctrina & institutio adhibenda est. At quonam autem pacto? Enimvero cùm ad corpus duæ artes pertineant, medicina intus, & gymnastica foris; circa priorem partem, non hoc maxime danda est opera, ut quàm optima præstantissimaque medicamenta pæro adhibeantur, sed hoc in primis, ne medicamentis illi sit opus. quod quidem ea re potissimum perfici poterit, si eiusmodi victus, potus, vestitus, somni, exercitij, & aliarum rerum ratio præscribatur ac teneatur, quæ ad valetudinem tuendam maxime sit idonea. Cui accedens altera pars, quæ circa exteriorem corporis bonam habitudinem versatur, quod non colore inducto facit & fuce, sed illis exercitiis gymnasticis, quibus corpus & singula eius membra componuntur, ut tam stando quàm sedendo, tamque equitando quàm ambulando, & in aliis actionibus quàm optimè sese habeat. & id ipsum ad bonam valetudinem non exiguum habet momentum. Optimè profectò. Ac quantum ad animum attinet, ad illum rectè formandum duæ artes pertinent; Nomothetice ac Dicastice. ex quibus Nomothetice interiorem hominis partem instruens; hoc omni studio dat operam, ut iustitiam erga Deum & hominem in animum Principis inducat: nam quod corpori est sanitas, cui Medicina præsidet; hoc animo est Iustitia, cui Nomothetice comprehendunturque sub ea omnes virtutes theologicæ, fides, spes, & charitas; & morales, prudentia, fortitudo, ac temperantia; & civiles, legistatio, iustitia minor, & iudicium: quibus omnibus Principem imbui, etiam atque etiam oportet. Et quod pertinet ad Dicasticam, hæc ad exteriorem animi partem (quemadmodum Gymnastica circa corpus foris versatur) se applicans, tum quidem iis linguis Principem instruit, quibus oportet, tum autem iis artibus, quibus ad liberalem doctrinam est opus; tum autem illis scientiis ac præceptis politicis, quæ ad rempublicam bene regendam ac moderandam sunt necessaria, quibusque ars ipsa Regia continetur: quam totis nouem annis Minoem in antro Iouis didicisse, poetæ fabulantur; ut ostendatur quanto tempore, & quibus magistris, & quanto studio ac industria sit opus ad Principem bene instituendum ac formandum? Reuera dicis, inquibat Præses. Cæterum ea autem industria quibusnam in rebus consistit? In tribus, inquirit Senex. Cedo quibus? Ut ad hæc quæ diximus, in Principem inducenda, & operas suas secundum hoc partiendas, magistri & doctrinam illi adhibeant, & disciplinam, & usum siue exercitium. Quam vocas doctrinam? Quæ in præceptis virtutum & scientiarum consistit, quæ quidem ad illius magistri curam potissimum pertinebit (ad minuculantibus quoque aliis) quem eruditione ac sapientia præstare debere, antè diximus. Quam disciplinam? Quæ circa præmiorum exhortationem, & pœnas, si quando, sic opus est, exigendas versatur; quamquam (coadiuantibus duobus aliis) illi potissimum magistro mandare oportet, quem dignitate & auctoritate præstare debere docuimus. Quem usum, siue exercitium? Quo rebus ipsis agendis, & præceptis scientiarum, ac virtutum ad usum deducendis; Princeps illis assuescere docetur. Quæ quidem cura ad eum potissimum magistrum (aliis tamen minime id negligentibus) pertinere debet, quem vita & morum sanctitate excellere antè diximus. Qui quidem ad eam rem, & mane surgenti, & vespere dormitum concedenti, mediisque prandij & cenæ temporibus illi aderit; ut bonis sanctisque moribus illum assuefaciat; nec vllum diem prætermittet, quin ad rem diuinam eum deducat, & quo pacto ibi gerere se debeat, commonstret, cum aliis de genere eodem. Probissimè narras. Atque in his quidem omnibus quæ ad doctrinam, disciplinam, & usum & exercitium pertinent obeundis, non res serias modo, sed & ludicras magistri proponunt: ut quasi per ludum & iocum virtutem in animum Principis instillent, accommodantes ad eam rem fabellas, picturas, imagunculas, & alia eiusmodi, quibus pueri & adolescentes delectari solent. Non potest non probari quod dicis, inquibat Cardinalis. Sed quoniam generaliter satis iam explicasse videre, quo pacto institutio Principis habere se debeat, quid? visne speciatim nunc porro dicere quoniam modo id perficere, & ad effectum deducere oporteat? Sane volo, dicebat Senex: & videte nonne sic rectè progrediemur. Quoniam autem modo? Ut totam Principis institutionem per quatuor ætates distinguamus? Cedo quas? Infantie, pueritiæ, adolescentiæ, & virilis ætatis. de quibus singulis confiderandum quidnam circa Principis institutionem sit faciendum? Quid ergo? an etiam infanti doctrinam censet adhibendam? Imo etiam adhuc in vtro degenti, quatenus

fieri potest: nam bonam habitudinem matris, dum ab ira, libidine, & aliis animi passionibus abstinet, & ad virtutem religionemque se componit, Dei que templa statis temporibus visit; quid? an ad pueri rectam institutionem parum facere putatis? Non parum me hercule. Ergo mirari non debetis, quod statim in ipsa infantia rectam institutionem inchoandam esse dico. Et quidem cum supra traditum sit, Regem & virum bonum esse oportere, & ciuem bonum, & bonum Principem; dico viri boni fundamenta in prima ætate, quæ ad annum vsque octauum durat, esse iacienda: viri boni & ciuis boni, in secunda, quæ ad decimum sextum vsque annum extenditur: & viri boni, ciuis boni, & Principis boni, in tertia, quæ ad vicesimum vsque quintum. Quibus omnibus rite peractis, quarta, quæ deinde sequitur, rebus ipsis adhiberi, & ad rempublicam accedere potest. Probissimè mihi dicere videre. sed visne de singulis ætatibus separatè distincteque dicere? Sanè volo. & quidem primùm de prima, in qua totum fundamentum est constitutum. Qui sic autem? Nam quemadmodum in plantis, ita & hinc vsu venit, vt ex prima insitione reliqua omnia dependant: & ideo quæcumque prima ætate bene inseruntur, nullo modo vmquam elui possunt; quæ secunda, vix; quæ tertia, facilius; & quæ quarta, facillimè, nisi ex primis radicibus emergant. Reuera dicitis. Et ideo magistri nostri Regij, circa corpus & valetudinem infantis eam quam oportet curam gerentes, idque per mulieres idoneas, quas non modò corpore, sed & animo quàm præstantissimas ad hoc eligent; circa animam iam inde à primo ortu sic versabuntur. At quonam autem modo? Primùm nullus præteribit dies quin sacris puer intersit, sanctæque preces ac cærimonie illi adhibeantur: nam dictu admirabile est, quanta ea in re vis insit, ad virtutem cælitus in hominem tamquam per canalem induendam. Optimè sanè. Deinde autem omne malum quàm longissimè absit, amoris non solum omnibus turpibus personis, dictis, & factis, sed & adulationibus, quibus nihil nec perniciosius est, nec quod magis penetret, adeò vt vel intridui pueri aures intrent; & nisi diligenter præcaueatur, animum corrumpere incipiant. Præclarè. Tum, vt quum primùm oculos figere, ridere, balbutire, incessum tentare cœperit, mox veræ religionis ac doctrinæ principia per fabulas, cantiunculas, imagines, & alia eiusmodi proponantur: nihil penitus omittendum quin ante annum ætatis octauum præcipua Catechismi Christiani capita, & alia virtutum præcepta memoriter teneat, eaque mane ac vesperè, aliisque statis temporibus ac locis reddat. additis porrò literis, calculis, & aliis eiusmodi principiis, ad puerilem institutionem pertinentibus. Scitè me hercule. Ad quod quidem efficiendum, prout ætate progreditur puer, ita paulatim mulieres, quæ naturâ adulatrices sunt, ablegabunt magistri, aliosque in earum locum substituent. Quosnam autem illos? Nobilissimos quosque ac ingenuissimos adolescentes, cum quibus puer Princeps in omni genere eorum quæ diximus se exercebit, absque quo utique scitis nihil rectè percipi, nec in studiis profici posse. Sic est. Atque hos quidem adolescentulos summo studio ex omnibus regnis ac prouinciis paternis conquirent: vt omnium nationum, quibus olim præerit, linguis ac moribus assuescat, cunctasque pari amore complectatur. in quo magnum bene regendæ reipublicæ positum est momentum, ne vnâ nationem negligere aut contemnere, vel etiam opprimere, alteram autem supra omnia efferre velle videatur. Præclarè narras. Sed quoniam de prima ætate dixisti, quid? visne de secunda dicere? Volo sanè. Et quidem ad hanc bene informandam, duobus iis est opus quæ iam diximus: Cedo quibus? Partim corporis exercitiis, quæ ab animi informatione non sunt aliena: partim exercitiis animi, quæ corpori quoque profunt. Quænam prioris sunt generis? Quæ athletica exercitia supra vocauimus. cuiusmodi sunt, cursus, lucta, pila, equitatio, chorea, & his similia: quæ quidem non solum corpori profunt, sed & fortitudinem ac temperantiam in animum inducunt. Nam hoc vel maximè proprium choroæ bene ordinatæ, vt tum quidem gressus motusque ac gestus militares in se habeat, tum autem ad modestiam ac pudorem hominem componat. Quæ posterioris? Quæ exercitia musica ante vocauimus; quibus tum quidem corpus recreatur, tum autem animus ad virtutem ac doctrinam informatur: nam musices nomine non cantus modò suauitatem, sed & picturas, literas, & orationem accipimus: per quæ quidem omnia hoc in ista ætate danda est opera, vt tum quidem vniuersæ sacre scripturæ summa capita cognita & perspecta Princeps habeat, ad veram religionem ac virtutem in animum inducendam; tum autem omnium artium, quas liberum æquum est scire adolescentulum, principia ad doctrinam & eruditionem: nam absque his fieri non posse, vt ad maiora prouehatur, iam antè tactum est. Verum. Et quidem vt hæc rectè fiant, sæpe eum Rex pater vnâ cum magistris ad se vocare, & quid agat, quid studeat, quid discat, diligenter perquirere debet, sæpe etiam suo seruitio adhibere; & vt magistris pareat, etiam atque etiam inculcare: nam in hac ætate hoc potissimum conandum esse, vt

non

non solum vir bonus, sed & bonus ciuis euadat: quod in bene parendo maxime spectatur, vt iam ante diximus. Sic est. Sed iam ad tertiam aetatem transimus, ab anno decimo sexto ad vigesimum quintum, vbi maior est labor suscipiendus. Quid ita verò? Nam praeterquam quod quae primae aetatis sunt & secundae, semper continuanda sunt; tum quae hac aetate praecipue fieri debent, ad hoc pertinent, vt non solum virum bonum & ciuem bonum, verum etiam Principem bonum eum efficiant. Bene narraas. Ad quam quidem rem, quantum ad corporis exercitia pertinet, iam paulatim ad maiora veniendum est, nempe vt ad venerationem Princeps educatur, ibique frigus, aestum, vigilias, sudores, & alia eiusmodi tolerata assuefiat: & si quod bellum se offerat, & ibi rebus gerendis, consiliisque capiendis, intente, additis, iidem peregrinationibus per omnes paterno imperio subditas ditiones, vt suus ipse cognoscat, & ab iis cognoscatur, variosque hominum mores inspicat ac notet. Optime sane. Ac quantum ad animum attinet, primum ad virtutem veramque religionem excolendam nullus intermitteretur dies, quin ex sacris literis aliquid degustet, quas non modo praecipit, sed & exemplis politicis abundare constat: deinde ad doctrinam veramque artem Regiam totum hoc nouennium in eo ponetur, vt tum quidem praeciputionibus ad rem publicam regendam ac gubernandam pertinentibus, tum autem exemplis historicis quam diligentissime imbuatur; nihilque omittatur, quin talis Rex euadat, qualem eum modo depinximus. Praclare mehercule. Ad quam quidem rem vsus quoque & exercitium doctrinae addi debet, adducendo Principem in consilium, vbi praesidente patre primum audiat, deinde sententiam dicat: post quoque nomine patris nonnumquam praesideat, siue de pace agendum est, siue de bello, siue de legibus constituendis, siue de magistratibus creandis, siue de iudiciis exercendis, siue de legationibus audiendis, siue de aliis quibuscumque rebus quae in republica se offerunt; quarum viu tractatio admirabilem vim habet ad hominem bene informandum, ac maxime quidem si magistri vna semper intersint, & quid agendum, quid loquendum sit, quid imitandum, quid fugiendum commonstrent. Absoluisti tres aetates, inquit Praeses, & quomodo modo in virum bonum, ciuem bonum, & Regem bonum, Princeps euadere possit, ostendisti: iam quarta autem aetate quidnam circa illum est facturus? Quid aliud, inquit Senex, quam vt quae haecenus didicit, hoc tempore re ipsa exercere incipiat, & ad patrem senescentem adiuuandum in societatem regni ab eo vocetur. Qua quidem de re quoniam historiam quandam minime ab hoc proposito alienam Senex ille, quem dixi, mihi aliquando commemorauit; non grauabor eam nobis referre, vt sermoni propè absoluto quasi fastigium imponatur. Quanam autem ea est, dic obsecro? Aiebat Regem se quendam cognouisse; virum iustum ac prudentem: qui quidem cum filium, quem habebat vnicum, ad eum quo dictum est modum educasset, & iam ipse ab anno aetatis septuagesimo non longè abesset, die quodam ordines Regni sui conuocari iussit: qui postquam conuenissent, & sacro quodam vetustoque in templo, suo quisque loco atque ordine confedisent, inter quos ipse alto quodam & antiquo artificio facto folio, sedebat ornamentis indutis Regalibus; filium suum iussit accersiri: quem quidem, cum intrasset tribus magistris suis comitatus; viris dignitate & aetate praestantissimis, in medio eum consistere iussit. & ad ordines se conuertens, filium illum suum esse aiebat, quem à magistris, qui aderant, quam diligentissime curasset instituendum, vt ad rem publicam regendam ac moderandam quam maxime esset idoneus: ac quoniam quidem ipse iam per aetatem rebus gerendis minùs superesse posset, cogitasse se, vt, quod bona illorum voluntate fiat, illum in regni socium adscisceret: rogare itaque vt secedere, & inuocato Dei numine inter se deliberare, sibique responsum ea de re afferre velint. His dictis, ordines in conclaue quoddam interius se recipiebant: vbi cum precibus Deo factis in suffragium iuissent, communi suffragio placuit, vt filius in societate regni paterni adscisceretur. Quod quidem cum Regi renunciatum esset, & ordines iam suum quisque in locum redissent, ecce non multo post, tres viri aetate graues, qui tres ordines representabant, magna cum pompa & cerimonia de conclaui prodeunt. Ex quibus vnus, pontificia veste indutus, librum gestabat, alter sagatus sceptrum, & tertius togatus coronam, idque in veste quadam purpurea, quam omnes simul tenebant. Hi postquam ad nouum Regem peruenissent, debitumque ei honorem totius Regni nomine exhibuissent; locutus est Pontifex ad hunc modum: Quonia Deo Optimo Maximo sic placuit, vt te hodierno die in Regem nostrum per patrem & ordines eligeret, iidem ordines nobis imperarunt, vt tibi eorum nomine id bonum, felix faustumque esse iubeamus, vt & facimus. Rogamus Deum omnibus precibus atque votis, vt ad honorem & gloriam ipsius esse possit, & communem totius reipublicae salutem. Et verò vt intelligas quibus iam rebus sis praepositus, ecce adferimus tibi ornamenta Regia, quibus non solum pro dignitate decorandus, sed & pro munere tuo rectè ob-

eundo

eundo admonenduses, qualem te esse, & quid te facere oporteat. Corona capiti imponenda designat, ut quemadmodum Rex magistratus est magistratum, & supremum caput omnium; ita prudentia & vigilantia cunctos eum antecellere debere; & contempleri tanquam alta quadam exerceat ac specula, quid in toto regno agatur. Sceptrum in dextra, signum est, ut cum Rex iudex sit iudicum, ad ius suum cuique tribuendum, & oppressioni pauperum pupillarumque & viduarum aduenarumque contra potentiores resistendum, fortitudine omnes superet, ne aut malorum potentia & audacia in iudicando cedat, aut miserorum querelis aliud quam oportet flectatur. Liber Evangeliorum in sinistra hoc vult, quoniam Rex legislator est legislatorum, ad res civitatis bene administrandas, ut temperantia ac modestia ceteris præcellens, non ad animi sui labes ac cupiditates leges dirigat, sed ex vna lege Dei eas deducat; illique cum omni moderatione pareat. Atque ut hæc tria, ita uti oportet, administras, Regemque prudentem ac fortem temperatumque in omnibus te præstes, ecce quarto loco sacrum iustitiae vestem, quæ cunctis reliquis virtutibus præsidens, eas sola in se omnes complectitur, tibi offerimus: ut, quemadmodum de sacerdotibus in Psalmis dicitur, eam induaris. Quæ quidem foris purpurea, intus autem candidis pellibus subducta est: ut intelligas duas partes esse iustitiae; gravitatem vnam, & benignitatem alteram, quæ simul vnam vestem efficiunt, quoniam vnus cum alio semper debet coniungi: nec vnquam severitate utendum, quin & clementia ei admisceatur, nec contra sic effundenda est benignitas, ut non & gravitas ei sit adiuncta. Cui & hoc accedit, quod purpureus color foris, & albus pelliceus intus, docet severitate quidem externa subinde esse opus, sed tamen animum intus semper lenem debere esse & benignum: sic ut severitate, tamquam re necessaria & momentanea; lenitate autem & clementia, tamquam re pulchra & perpetua, bonus Rex utatur. Et verò ubi iam sederis in solio Regni tui, describes tibi manu propria librum hunc Evangeliorum Domini nostri Iesu Christi in volumine, quod est verum illud Deuteronomium, de quo apud Moysen scribitur. Et habebis tecum, legesque illud omnibus diebus vitæ tuæ, ut discas timere Dominum Deum tuum, & custodire verba & mandata eius quæ præcepta sunt. Nec eleuetur cor tuum in superbiam super fratres tuos, neque declines in partem dextram vel sinistram, ut longo tempore regnes ipse, & filius tuus, quem Dominus Deus daturus est tibi. Hæc cum dixisset Antistes, deducunt omnes res novum Regem, præeuntibus magistris ad thronum Regium, ubi suprascriptis insignibus Regalibus, magnis cerimoniis, eum induentes & ornantes, in solio paterno ipsum collocant. Quod quidem dum fit, ecce chorus musicus, qui ad dextram templi partem erat, tum quidem viua voce, tum autem vario genere instrumentorum musicorum, ex Dauide Regio Propheta, veri Regis munus & officium elegantissime depingente, ad eum modum canit qui sequitur.

O DEVS, qui solus verus Rex es & Princeps, sanctum (quæsumus) *iudicium tuum* novo huic Regi nostro, vicario tuo, da, ad id quod lege tua præscriptum est, opere ipso faciendum; & *iustitiam sanctam tuam* huic filio Regis, ad eandem legem tuam ex animo complectendam: Scilicet ut his duobus circa seipsum instructus, regere porro & iudicare possit *populum tuum*, qui oves sunt pascuæ tuæ, *in iustitia*, ad bonam voluntatem in eos induendam; & *pauperes tuos*, quorum illi præcipue curam mandasti, *in iudicio*, ad ius suum cuique tribuendum. Atque hoc quidem modo procedendo, *suscipiant montes* (qui latronum latibula esse solent) *pacem*, in *populo* componendo; & *colles* (quæ vitæ necessaria proferunt) *iustitiam*, in eodem gubernando: sic ut iustitia & pax se mutuo osculentur.

Quæ quidem omnia cum illi tribues, *iudicabit* & æquo iure cum diuitibus habebit *pauperes* & egenos *populi* (quod præcipuum Regis est munus) & secundum hoc, *saluos faciet filios pauperum* contra vim potentiorum, bonis bene faciens; & *humiliabit calumniatorem* ad fraudem & dolum, malos malè perdens. Et cum hoc modo se geret, debitus ei honor & reuerentia exhibebitur, & *permanebit securus in regno suo, cum sole ipso & anse lunam*: sic ut quemadmodum eorum cursus perpetuè procedit, ita & regnum eius *in generatione & generationem* propagetur. Et quidem *descendet* ac veniet in regnum suum, non cum severitate & rigore, armorumque vi & strepitu, sed cum summa mansuetudine ac bonitate, *sicut descendit lenis pluvia in vellus, & sicut stillicidia suavis imbris stillantia super terram*. Atque uti cum hoc fit, longè gratissimus est sol matutinus superueniens, qui omnia virere facit ac crescere: sic & ipso ad illum modum in regnum suum ingrediente, *orietur in diebus eius* verus sol reipublicæ, qui est *iustitia*; & ex iustitia *abundantia pacis*, quæ perpetuè durabit, *donec mundi cardinibus solutis auferatur sol & luna*.

Et sic *dominabitur à mari orientali usque ad mare occidentale, & à flumine australi usque ad septentrionales terminos orbis terrarum*. Et *coram illo procident* adorabundi in genua etiam *Aethiopes*, & omnes *inimici eius* subditi facti, *terram* coram illo in signum obedientie

tize

titæ Deo osculabuntur ac *lingent*. Et in idem signum *Reges Tharsis & insula maris muneræ offerent, & Reges Arabum & Saba dona adducent*. Et denique *adorabunt eum omnes Reges terræ, & omnes vbiq; gentes ac populi seruient ei*. Quod quidem ideo illi continget, non quia pecuniis abundabit, vel vi armorum præualebit (hæc enim humana sunt auxilia) sed quia diuinam iustitiam, vt dico, colens, æquoq; iure cunctos gubernans, *liberabit pauperem ad se clamantem à potente, à quo opprimitur; & pauperem, inquam, cui omni ope humana destituto non erat alius adiutor*. Quem quidem vi oppressum videns, tantum efficiet, quòd violentus ille oppressor vel inuitus *parcet pauperi & inopi, & sic contra vim illius animas pauperum saluas faciet*. Ac quantum ad homines dolosos & fraudulentos attinet, *ex usuris quoque & iniquitate ipsorum redimet animas eorum, & planè honorabile erit nomen eorum, & preciosus sanguis ipsorum coram illo*, ne aut vi effundi eum, aut dolo exsugiat. Et hoc modo se gerens, *viuet felix & beatus; & in præmium virtutis & rei bene gestæ, dabitur ei de auro Arabia, & adorabunt de ipso semper*, homines Deum pro salutè ipsius orantes, & *tota die benedicent ei*. Et præter hoc, fructus quoque terræ virtutibus ipsius respondebunt, sic quòd *erit triticum (quod firmamentum est vitæ hominum) in terra, vel in ipsis summis verticibus montium, qui alioqui steriles esse solent; & crescet ac superextolletur super ipsum montem Libanum fructus eius, & ciues eius florebut, & multiplicabuntur de ciuitate in tanta multitudine, sicut est fanum terra*. Et cantantes dicent omnes: *Sit nomen eius benedictum in æterna secula: etenim ante solem creatum & ipsum hoc nomen conceptum fuit: & quàm diu sol durabit, simul permanet ac durat laus & nomen eius*.

Et benedicentur in ipso, ac beatas per eum factas se sentient omnes tribus terra, quòd illius imperio sint subditæ; deq; hoc omnes gentes prædicabunt, & magnificabunt eum.

Quæ quidem cum ita se habeant; *benedictus sit eo nomine, & laudatus Dominus Deus Israel: qui vnus verus Deus cum sit, facit omnia hæc tam mirabilia solus*. Et sit *benedictum nomen gloriæ & maiestatis eius in æternum: & replebitur gloria & maiestate eius omnis terra*. Acclamabat vniuersus populus: *Fiat, fiat*. Qui quidem cum siluisset, & iam Rex coronatus, vesteq; purpurea indutus, in throno regni sui sederet, dextra manu sceptrum, sinistra librum tenens; ecce alter chorus musicus, qui ad sinistram templi partem erat, partim viua voce, partim instrumentorum musicorum concentu alterum ex Dauide, qui Regiam dignitatem spectat, Psalmum suscipiens (nam duo sunt omnino numero) ad hunc ferè modum canebat: *Benedicat te, ô Rex, benedicat te Deus: & si quid aduersi inciderit, exaudiat te precantem Dominus; in die inquam tribulationis & angustiae protegat te nomen, & maiestas Dei Iacob*. *Mittat tibi auxilium de templo sancto suo, & de arce Sion tueatur & quasi suffulciat te*. *Memor sit omnis muneris ac sacrificij tui quod illi offeres: sic vt odor eius in nares ipsius ascendat, & holocaustum tuum pingue fiat, & opimum, dum id sibi gratum esse Dominus ostendens, igne de celo misso in cinerem hoc conuertit*. Eia, eia, *Sela: tollamus vocem altiùs*. *Tribuat tibi Deus, ô Rex, secundùm rectum cor tuum, & omne bonum consilium tuum confirmet & impleat*. Quod cum fiet, *latabimur nos populus tuus, & triumphum agemus in salutari tuo, & in nomine Dei nostri vexilla erigentes magnificabimur*. *Impleat, inquam, Dominus omnes petitiones tuas: nam cum vsque nunc, semper cognoui quoniam saluum fecit Dominus in omnibus Regem nostrum, christum vnctum suum:*

Et iam quoque non dubitamus, quin *exaudiet illum de calo sancto suo, vt in viribus ac potentatibus ipsius sit illi vera salus, quæ à fortitudine dextera eius procedat*. Nam cum ex aliis Principibus ac populis *hi in curribus suis fidant ac gloriantur, & hi in equis; nos autem, scientes totam eam rem vanam & inanem esse absque Deo, in solo nomine Domini Dei nostri spem nostram reponimus, ipsumq; inuocamus, & inuocabimus, semper cum vsus erit*.

Et ideo ipsi quidem capti ab hostibus, *vincti & obligati sunt, & fusi in prælio ceciderunt, nos autem contra surreximus ac perstitimus firmiter, & sumentes vires erecti sumus supra omnes hostes nostros*. Quæ quidem cum ita se habeant; *ô Domine, saluum fac quælo hunc nouum Regem nostrum, & exaudi nos pro illo rogantes in omni die qua inuocauerimus te*. Ad hoc populus plaudens manibus, iterum acclamabat, *Fiat, fiat*.

Præsens hoc opus de vera Iurisprudencia, Themide Hyperboea, & Institutione Principis, auctore Ioachimo Hoppe-ro I. C. nihil continet Catholica fidei contrarium: sed insigne est & prælo dignissimum. Datum Antuerpiæ, Die 25. Septembris, 1587.

Michael Hetsroey Bruegelius, sacre Theol. Licentiatus, & Cathedr. Ecclesiæ B. Mariæ Antwerpiensis Canonic, librorumq; Censor,

[The main body of the page contains extremely faint and illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the paper. The text is arranged in several columns and is mostly unreadable.]

INDEX TITVLORVM HVIVS OPERIS.

LIB. I.

D E prima Jurisprudencia, & quomodo dividatur. Tit. I. pag. 2.	
De uniuersali Jurisprudencia. II.	3
De vera Jurisprudencia. III.	3
De Nomothetice, an sit in natura, & in artem redigi possit. IIII.	3
De definitione Nomotheticas. V.	5
De diuisione Nomotheticas. VI.	6
De Republica. VII.	7
De Deo. VIII.	8
De Mundo. IX.	9
De Homine. X.	10
De Familia. XI.	12
De descriptione Reipublica. XII.	12
De Iustitia. XIII.	13
De definitione Iustitia. XIIIII.	14
De diuisione Iustitia. XV.	17
De vi & effectu Iustitia. XVI.	22
De Iniustitia. XVII.	24
De medijs inter iustitiam & iniustitiam. XVIII.	26
De Lege. XIX.	27
Quid Lex. XX.	27
Qua diuisio legis. XXI.	29
Qua vis legis & effectus. XXII.	32
Quid legi contrarium. XXIII.	32
Qua praecepta legis. XXIIII.	33

LIB. II.

D E coniuñcta parte Theoreticas. I.	34
De diuisione coniuñcta partis Theoreticas. II.	34
De parte uniuersali. III.	34
De parte generali. IIII.	35
De primo hominis ac reipublica statu. V.	35
De secundo hominis ac reipublica statu. VI.	39
De tertio hominis ac reipublica statu. VII.	42
De vita hominis sub lege natura corrupta. VIII.	44
De publicis. IX.	46
De priuatis. X.	47
De mixtis, nec non de Socrati, Platonis, & Aristotelis rebus publicis. XI.	47
De vita hominis sub lege Mosaica. XII.	52
Quid sit lex Mosaica. XIII.	52
De diuisione legis Mosaica. XIIIII.	53
De lege rerum perpetua. XV.	53
De lege morali. XVI.	53
De ceremoniali. XVII.	54
De lege iudiciali. XVIII.	55
De lege rerum temporalis. XIX.	58
De lege rerum perpetua & temporalis. XX.	58
De lege personarum. XXI.	58
De lege mixta personarum & rerum. XXII.	59
Quomodo lex Mosaica fuerit constituta. XXIII.	59
De vita hominis sub lege gratia. XXIIII.	60
Quid sit lex gratiae. XXV.	60
Quonam pertineat lex gratiae. XXVI.	60
De regno Dei. XXVII.	61
De iustitia regni Dei. XXVIII.	67
De coniuñctione regni Dei, & iustitia eius. XXIX.	70
Quomodo lex gratiae fuerit constituta. XXX.	70
De rerum qualitatibus circa iustitiam per legem. XXXI.	72
De gradibus iustitiae in rebus per legem. XXXII.	73
De parte speciali coniuñcta Nomotheticas. XXXIII.	73

LIB. III.

D E Nomothetice Practice. I.	74
De diuisione Practica Nomotheticas. II.	76
De interna parte Practica Nomotheticas. III.	76
De iuris & legum condendarum ratione, qua arte constat. IIII.	77
De substantiali parte interna Practica Nomotheticas, & eius diuisione. V.	77
De principiis iusti & iniusti. VI.	77
Quae sint principia iusti & iniusti. VII.	77
Quomodo diuidantur principia iusti & iniusti. VIII.	78
De principiis ordinarijs. IX.	78
De principiis internis. X.	78
De principiis naturalibus. XI.	78
De principiis à republica deductis. XII.	78
De principiis ex Deo. XIII.	78
De principiis ex mundo. XIIIII.	78
De principiis ex homine. XV.	79
De principiis ex familia. XVI.	79
De principiis ex descriptione reipublica. XVII.	79
De principiis à iustitia deductis. XVIII.	79
De principiis à definitione iustitiae. XIX.	79
De principiis Ethicis. XX.	79
De principiis Physicis. XXI.	80
De principiis Logicis. XXII.	80
De principiis Mathematicis. XXIII.	80
De principiis & diuisione iustitiae. XXIIII.	81
De principiis à generibus iustitiae. XXV.	81
De principiis à partibus iustitiae. XXVI.	81
De principiis à gradibus iustitiae. XXVII.	81
De principiis à formis iustitiae. XXVIII.	81
De principiis ab effectibus iustitiae. XXIX.	81
De principiis ab iniustitia. XXX.	81
De principiis à medijs inter iustitiam & iniustitiam. XXXI.	82
De principiis à lege deductis. XXXII.	82
De principiis à definitione legis. XXXIII.	82
De principiis à generibus legis. XXXIIII.	82
De principiis à partibus legis. XXXV.	82
De principiis à gradibus legum. XXXVI.	82
De principiis à formis legis. XXXVII.	82
De principiis ab effectibus legis. XXXVIII.	83
De principiis à contrario legis. XXXIX.	83
De principiis à praeceptis legis. XL.	83
De principiis à republica & iustitia per legem coniuñctis deductis. XLI.	83
De principiis à primo statu hominis. XLII.	83
De principiis à secundo statu hominis. XLIII.	83
De principiis à vita sub lege natura corrupta. XLIIII.	83
De principiis à vita sub lege Mosaica. XLV.	83
De principiis à vita sub lege gratiae. XLVI.	84
De principiis civilibus. XLVII.	84
De principiis medijs internaturalia & civilia. XLVIII.	84
De principiis externis. XLIX.	85
De principiis medijs inter interna & externa. L.	85
De principiis extraordinarijs. LI.	86
De principiis singularibus. LII.	86
De qualitatibus principiorum. LIII.	87
De rebus iuri subiectis. LIII.	87
Quae sint res iuri subiectae. LV.	87
De diuisione rerum iuri subiectarum. LVI.	87
De qualitatibus & differentijs rerum iuri subiectarum. LVII.	88

De cōmuniōe rerū iuri subiectarū qualitatibus. LVIII.	88	De virtutibus legis. CXV.	102
De propriis personarum qualitatibus. LIX.	88	De gradibus legis. CXVI.	102
De propriis rerum qualitatibus. LX.	88	De formis naturalibus legis. CXVII.	102
De propriis circumstantiarum qualitatibus. LXI.	88	De legibus non scriptis. CXVIII.	102
De coniunctione rerum & principiorum. LXII.	89	De legibus partim scriptis, partim non scriptis. CXIX.	102
De inuentione. LXIII.	89	De iudiciis. CXX.	102
De uniuersali rerum & principiorum conuenientia. LXIII.	89	De legibus extraordinariis. CXXI.	102
De generali rerum & principiorum conuenientia. LXV.	89	De legibus singularibus. CXXII.	102
De speciali rerū & principiorum conuenientia. LXVI.	89	De dictatis legum. CXXIII.	103
De mixta rerum & principiorum conuenientia. LXVII.	90	De prima dictatorum legis diuisione. CXXIII.	103
De diiudicatione. LXVIII.	90	De secunda diuisione. CXXV.	103
De descensu. LXIX.	90	De tertia diuisione. CXXVI.	103
De ascensu. LXX.	90	De quarta diuisione. CXXVII.	103
De concursu. LXXI.	91	De quinta diuisione. CXXVIII.	103
De comparatione. LXXII.	92	De sexta diuisione. CXXIX.	103
De uno rei proposita principio. LXXIII.	92	De septima diuisione. CXXX.	104
De pluribus rei proposita principiis eodem tendentibus. LXXIII.	92	De conuenientia naturalium & dictatorum. CXXXI.	104
De pluribus rei proposita principiis ad diuersa tendentibus. LXXV.	92	De uniuersali naturalium & dictatorum legis conuenientia. CXXXII.	104
De pluribus rei proposita principiis ad contraria tendentibus. LXXVI.	92	De generali. CXXXIII.	104
De unius generis pluribus principiis circa unam rem propositam. LXXVII.	93	De speciali. CXXXIII.	104
De formali parte interna Practica Nomotheticis. LXXVIII.	93	De particulari. CXXXV.	105
De formis legum, & quomodo diuidantur. LXXIX.	94	De singulari primo. CXXXVI.	105
De formis ordinariis. LXXX.	94	De singulari secundo. CXXXVII.	105
De formis superioribus. LXXXI.	94	De singulari tertio. CXXXVIII.	105
De formis diuinis. LXXXII.	94	De supradictarum trium partium interne Practice Nomotheticis conuentione. CXXXIX.	106
De formis humani. LXXXIII.	94	Quid sumat pars substantialis à formali & naturali. CXL.	106
De formis communibus. LXXXIII.	95	Quid sumat pars formalis à naturali & substantiali. CXL.	106
De formis inferioribus. LXXXV.	95	Quid sumat pars naturalis à substantiali & formali. CXLII.	106
De formis distinctionis. LXXXVI.	95	De commixtione omnium trium supradictarum partium inter se. CXLIII.	106
De formis colligationis. LXXXVII.	96	De iuris & legum condendarum ratione que arte caret. CXLIII.	107
De formis concordie. LXXXVIII.	96	De iuris & legum condendarum ratione, que partim arte caret, partim arte constat. CXLV.	107
De formis mediis. LXXXIX.	96		
De formis maioribus. XC.	96		
De formis minoribus. XCI.	96		
De formis minimis. XCII.	97		
De formis extraordinariis. XCIII.	97		
De formis mixtis. XCIII.	97		
De hominibus quibus leges feruntur, & quomodo diuidantur. XCV.	98		
De differentiis hominum singulatis. XCVI.	98		
De differentiis hominum à bonis animi. XCVII.	98		
De differentiis hominum à bonis corporis. XCVIII.	98		
De differentiis hominum à bonis externis. XCIX.	98		
De differentiis hominum uniuersaliter. C.	99		
De differentiis hominum relatiuè. CI.	99		
De conuenientia formarum & hominum. CII.	99		
De uniuersali formarum & hominum conuenientia. CIII.	99		
De speciali formarum & hominum conuenientia. CIII.	100		
De generali formarum & hominum conuenientia. CV.	100		
De naturali interna Practica Nomotheticis parte. CVI.	100		
De naturalibus legis. CVII.	100		
De legibus ordinariis. CVIII.	101		
De magistratibus. CIX.	101		
De legibus. CX.	101		
De legibus scriptis. CXI.	101		
De premio legis. CXII.	101		
De sanctione legis. CXIII.	101		
De constitutione legis. CXIII.	101		
		DE externa parte Practice Nomotheticis. I.	103
		De diuisione partis externa. II.	103
		De introductione legum in rempublicam. III.	103
		De legum usu & exercitio. IIII.	111
		De legum mutatione. V.	112
		De Dicastice, & eius diuisione. VI.	114
		De intelligentia iuris & legum, eiusq; diuisione. VII.	114
		De scholastica iuris & legum interpretatione. VIII.	114
		De via simplici & inchoata. IX.	114
		De uniuersali iuris interpretatione. X.	115
		De generali iuris interpretatione. XI.	115
		De speciali iuris interpretatione. XII.	116
		De plena & perfecta iuris & legum interpretatione. XIII.	117
		De singulorum titulorum interpretatione. XIII.	117
		De singularum legum interpretatione. XV.	117
		De interpretatione historica. XVI.	118
		De interpretatione etymologica. XVII.	118
		De interpretatione practica. XVIII.	119
		De analogica interpretatione. XIX.	120
		De forensi iuris ac legum interpretatione. XX.	120
		De actionibus legis. XXI.	120
		De questionibus forensi. XXII.	121
		De politica iuris ac legum interpretatione. XXIII.	122
		De executione legum, eiusq; diuisione. XXIII.	122
		De legum in rempublicam inductione. XXV.	123
		De exercitio legum. XXVI.	123

De auxilio legum. xxvii. 124
 De vulgari iurisprudencia. xxviii. 124
 De assimilata iurisprudencia. xxix. 126
 De comparatione perfecti, vulgaris, & assimilati iuris-
 consulti. xxx. 127
 De descriptione perfecti iurisconsulti. xxxi. 129
 Quo pacto in verum iurisconsultum quis eua-
 dat. xxxii. 130

LIB. V.

DE iurisprudencia speciali. i. 132
 De iure civili Romanorum. ii. 132
 De diuina iuris Romani origine. iii. 133
 De naturali iuris Romani origine. iiii. 133
 De ciuili iuris Romani origine. v. 133
 De diuisione siue positionibus iuris ciuili. vi. 134
 De iure ciuili publico. vii. 134
 De origine iuris publici. viii. 135
 De diuisione iuris publici. ix. 135
 De rebus diuinis. x. 136
 De origine & successione rerum diuinarum. xi. 136
 De diuisione rerum diuinarum. xii. 137
 De personis Ecclesiasticis. xiii. 137
 De diuisione Ecclesiasticorum. xiiii. 138
 De clericis. xv. 138
 De maximo ordine clericorum. xvi. 139
 De medio ordine clericorum. xvii. 141
 De minimo ordine clericorum. xviii. 146
 De monachis. xix. 147
 Qui & quomodo recte fiant monachi. xx. 147
 De differentiis monachorum. xxi. 148
 De institutis monachorum. xxii. 149
 De perfectis monachorum. xxiii. 149
 De ascetis. xxiiii. 150
 De lecticariis. xxv. 150
 De iis qui corpora defunctorum curant. xxvi. 151
 De iis qui funus ducunt. xxvii. 151
 De iis qui agrotorum curam habent. xxviii. 151
 De ministris ecclesiasticorum. xxix. 152
 De legibus ecclesiasticorum. xxx. 152

LIB. VI.

DE rebus diuinis. i. 155
 De doctrina ecclesiastica. ii. 155
 De traditione recte fidei. iii. 155
 De professione recte fidei. iiii. 156
 De institutis Ecclesiasticis. v. 157
 De institutis ad Deum pertinentibus. vi. 157
 De locis sacris. vii. 158
 De temporibus sacris. viii. 159
 De rebus sacris. ix. 160
 De personis sacris. x. 164
 De immunitate & privilegiis Ecclesiarum. xi. 164
 De sacrorum temporum privilegiis & immunitati-
 bus. xii. 165
 De rerum sacrarum privilegiis. xiii. 165
 De privilegiis personarum Ecclesiasticarum. xiiii. 166
 De institutis ecclesiasticis ad homines pertinenti-
 bus. xv. 166
 De locis ad pauperes pertinentibus. xvi. 167
 De privilegiis piorum locorum & hominum. xvii. 167
 De institutis ecclesiasticis qua ad mortuos perti-
 nent. xviii. 167
 De funeris exsequiis, & aliis qua mortuis fiunt. xix. 168
 De his qui in Sanctos relati sunt. xx. 168
 De disciplina ecclesiastica. xxi. 169
 De Synodis ecclesiasticis. xxii. 169
 De iudiciis ecclesiasticis. xxiii. 170
 De ordine iudiciorum ecclesiasticorum. xxiiii. 170

De panis ecclesiasticis. xxv. 171
 De delictis ecclesiasticis. xxvi. 172
 De Paganis, Iudaeis, Coelicolis, Samaritanis. xxvii. 172
 De Mathematicis, blasphemis, apostatis, & here-
 ticis. xxviii. 173
 De variis generibus haeticorum. xxix. 175

LIB. VII.

DE generalis tractatione rerum humanarum. i. 178
 De primo statu reipublice Romanae. ii. 179
 De secundo statu reipublice Romanae. iii. 180
 De tertio statu reipublice Romanae. iiii. 182
 De quarto statu reipublice Romanae. v. 184
 De iuris in reipublica Romana origine & progressu. vi. 185
 De speciali tractatione rerum humanarum. vii. 186
 De Imperatore Romano, & Augusta. viii. 186
 De dignitate Imperatoris. ix. 187
 De officio Imperatoris. x. 188
 De Imperio siue orbe Romano. xi. 190
 De urbe Roma, & eius ordinibus. xii. 190
 De Italia, & Latinis coloniis. xiii. 191
 De regionibus & provinciis. xiiii. 191
 De ciuitatibus & vicis. xv. 192
 De populis externis. xvi. 192
 De magistratibus, & eorum diuisione. xvii. 193
 De palatinis magistratibus. xviii. 194
 De magistro officiorum, & magisterianis. xix. 194
 De domesticis Principis. xx. 195
 De scholaribus. xxi. 195
 De scriuariis. xxii. 196
 De officialibus magisterianis. xxiii. 196
 De sacro consistorio & consistorianis. xxiiii. 197
 De iis qui in sacro consistorio praesident. xxv. 197
 De iis qui in sacro consistorio assident. xxvi. 198
 De his qui in sacro consistorio Principis mini-
 strant. xxvii. 198
 De magistro militum. xxviii. 199
 De comitibus sacrarum largitionum & rei priua-
 ta. xxix. 199
 De artificibus Palatinis. xxx. 200

LIB. VIII.

DE magistratibus publicis, & eorum diuisione. i. 201
 De magistratibus ciuilibus urbicis, & eorum di-
 uisione. ii. 201
 De magistratibus urbicis. iii. 201
 De iudicibus urbicis, & eorum iurisdictione. iiii. 203
 De mediis inter magistratus & iudices urbicos. v. 205
 De magistratibus ciuilibus provincialibus. vi. 206
 De maioribus magistratibus provincialibus. vii. 206
 De mediis magistratibus provincialibus. viii. 206
 De minoribus magistratibus provincialibus. ix. 207
 De iureiurando, & officio rectorum provinciae. x. 208
 De vicariis & ministris rectorum provinciae. xi. 209
 De re municipali. xii. 210
 De ordinibus municipalibus. xiii. 210
 De muneribus municipalibus. xiiii. 211
 De magistratibus municipalibus. xv. 213
 De iure reipublica. xvi. 213
 De re militari. xvii. 214
 De militia, & eius speciebus. xviii. 214
 De exercitu, & eius partibus. xix. 214
 De militibus, & eorum differentiis. xx. 215
 De iure militum. xxi. 216
 De his qui gratia militum sunt. xxii. 217
 De re tamaca. xxiii. 217
 De re priuata. xxiiii. 217
 De administratione rei priuatae. xxv. 218
 De magistratibus & officiis rei priuatae. xxvi. 219

<i>De sacris largitionibus.</i> xxvii.	220	<i>De iis que soluto matrimonio accidunt.</i> iiii.	264
<i>De administratione sacrarum largitionum.</i> xxviii.	221	<i>De tutela & curatione.</i> v.	266
<i>De magistratibus & officiis sacrarum largitionum.</i> xxix.	222	<i>Quid tutela, & quotuplex sit.</i> vi.	266
<i>De possessoribus & collatoribus largitionibus.</i> xxx.	224	<i>De administratione tutorum vel curatorum.</i> vii.	268
<i>De quasi magistratibus.</i> xxxi.	224	<i>De amittenda tutela vel curatione.</i> viii.	269
<i>De professoribus bonarum artium.</i> xxxii.	225	<i>De actionibus que causa tutela competunt.</i> ix.	270
<i>De ludorum & certaminum praefectis.</i> xxxiii.	226	<i>De successione ex testamento, & aliis ultimis voluntatibus.</i> x.	272
<i>De affectibus magistratum.</i> xxxiiii.	227	<i>De ratione ac forma condendi testamenti.</i> xi.	272
<i>De adiutoribus magistratum.</i> xxxv.	227	<i>De acquisitione per vniuersitatē ex testamento.</i> xii.	274
<i>De ministris magistratum.</i> xxxvi.	227	<i>De acquisitione per res singulas ex testamento, sine de legatis & fideicommissis.</i> xiii.	276
LIB. IX.			
D <i>E iure privato.</i> i.	228	<i>De certis rebus per legatum aut fideicommissum relictis.</i> xiiii.	277
<i>De summa diuisione iuris privati sine Pandectarum.</i> ii.	229	<i>De his que legatis accidunt.</i> xv.	278
<i>De prioribus Pandectarum, sine iuris & iudiciorum.</i> iii.	229	<i>De iis quibus legata vel fideicommissa minuantur.</i> xvi.	280
<i>De principiis ipsius iuris.</i> iiii.	229	<i>De acquirendis legatis & fideicommissis.</i> xvii.	281
<i>De principiis eorum que iuri subiecta sunt.</i> v.	231	LIB. X.	
<i>De principiis iudiciorum.</i> vi.	232	D <i>E iudiciis praeiudicialibus.</i> i.	283
<i>De iudiciis, & eorum iurisdictione.</i> vii.	232	<i>De bonorum possessionibus.</i> ii.	283
<i>De ingressu in iudicium.</i> viii.	234	<i>De bonorum possessione exstantibus tabulis, que ad ingenuos pertinet.</i> iii.	285
<i>De iis que pendente lite ferē interueniunt.</i> ix.	235	<i>De bonorum possessione que ad libertinos pertinet.</i> iiii.	286
<i>De conventionibus inter litigatores.</i> x.	235	<i>De bonorum possessione, & aliis successioneibus, non exstantibus tabulis.</i> v.	287
<i>De postulando.</i> xi.	236	<i>De factis testis.</i> vi.	289
<i>De in integrum restitutionibus.</i> xii.	237	<i>De donationibus & manumissionibus.</i> vii.	291
<i>De arbitris.</i> xiii.	239	<i>De possessione.</i> viii.	295
<i>De iudiciis ipsis.</i> xiiii.	240	<i>De re iudicata.</i> ix.	296
<i>De diuisione iudiciorum.</i> xv.	241	<i>De interdicitis.</i> x.	298
<i>De vniuersitatis rerum petitione.</i> xvi.	241	<i>De interdicitis que publicam causam habent.</i> xi.	298
<i>De singularium rerum corporalium petitione.</i> xvii.	242	<i>De interdicitis que privatam causam habent.</i> xii.	299
<i>De singularium rerum incorporalium personalium petitione.</i> xviii.	243	<i>De exceptionibus.</i> xiii.	301
<i>De singularium rerum incorporalium predialium petitione.</i> xix.	244	<i>De praerogis & aliis stipulationibus.</i> xiiii.	302
<i>De iudiciis que personas spectant.</i> xx.	245	LIB. XI.	
<i>De iudiciis mixtis que res spectant & personas.</i> xxi.	246	D <i>E iudiciis criminalibus.</i> i.	305
<i>De iudiciis accessoris.</i> xxii.	246	<i>De privatis delictis.</i> ii.	305
<i>De rebus creditis.</i> xxiii.	248	<i>De extraordinariis criminibus.</i> iii.	308
<i>De contractibus qui re fiunt, & conditionem pariunt.</i> xxiiii.	248	<i>De publicis iudiciis.</i> iiii.	310
<i>De contractibus qui re fiunt, & actiones pariunt.</i> xxv.	250	<i>De ratione institutorum iudiciorum publicorum.</i> v.	310
<i>De contractibus qui consensu fiunt.</i> xxvi.	253	<i>De criminibus publicis.</i> vi.	311
<i>De contractibus innominatis.</i> xxvii.	255	<i>Quo pacto iudicia publica peragantur.</i> vii.	314
<i>De accessionibus contractuum.</i> xxviii.	256	<i>De posterioribus iuris & iudiciorum sine Pandectarum.</i> viii.	316
<i>De pignoribus & hypothecis.</i> xxviiii.	256	<i>De posterioribus iudiciorum, seu de appellationibus.</i> ix.	317
<i>De redhibitionibus & emptionibus.</i> xxix.	258	<i>De posterioribus eorum que iuri sunt subiecta.</i> x.	319
<i>De usuris, fructibus, causis, accessionibus, & mora.</i> xxx.	258	<i>De posterioribus ipsis iuris.</i> xi.	323
<i>De probationibus.</i> xxxi.	260	LIB. XII.	
LIB. X.			
D <i>E iudiciis civilibus que ad personas pertinent.</i> i.	261	<i>THEMIS Hyperborea, sine de Tabula Regum Frisiae.</i>	pag. 325
<i>De contrahendis nuptiis.</i> ii.	261	<i>Ferdinandus, sine de Institutione Principis, ad Regem liber.</i>	338
<i>De iis que constante matrimonio intercedunt.</i> iiii.	263		

Errata sic corrigito.

Pagina 2. linea 9. pro quis, pone vester. 139. 39. dele Plane, G. 146. 48. pro exhibant, non existant. 155. 36. pro luppessimus, lumpsimus. 156. 17. factus est, delictus. 160. 16. pro ac in mysteria, ac in ministeriis. 163. 6. pro perfecti, perfectè. 170. 18. pro ab episcopis; ab ipsis. 179. 40. pro minas, Et est in manu scripto, videtur substituendum millia æris. lin. 42. pro quinta qui viginti, forte reponendum, quinta qui duodecim. lin. 49. pro singulas turmas; viginti centurias. lin. 53. pro septuaginta, septuaginta duæ. 183. 49. pro ciuitates, leges. 184. 51. pro Dalmaticis, Tamiacis. 186. 30. pro vero, vico. 187. 24. pro efferendo, offerenda. 190. 37. pro Xecolophon, pro legendum, Xeroliphon. 200. 33. pro tetaria quatuor, semiceraria quatuor, & pro vicesimam quartam, octogessimam quartam. 192. 32. pro siue qui, &c. siue is fœderatus est: item siue æquo &c. & linea 35. pro esse liberum, non esse liberum. 210. 34. pro siue, sine. & linea 36. pro parte, parte. item linea 38. pro adeptam, adeptam. 211. 49. pro inutili, inutilis. & linea 50. pro legitimum, legatium. 212. 2. pro possessionibus, professionibus. 221. 19. pro latum, lectum. & linea 24. pro exciderint; exciderit.

Hæc errata, ex eo maxima ex parte commissa, quòd fatali quodam errore seriùs, in eo manuscripto ad quod hoc volumen est excusum, non correcta fuisse deprehensum est, æqui bonique Lector consule:

S V M M A P R I V I L E G I I
R E G I S H I S P A N I A R V M.

REGIS privilegio cautum est, ne quis citra voluntatem Christophori Plantini imprimat, aut alicubi impressum importet, venalemve habeat fibrum cui titulus est, *Sedwardus, sine de vera Iurisprudencia, ad Regem, libri duodecim, &c. Eiusdem Themis Hyperborea, sine de tabula Regum Frisia. Eiusdem Ferdinandus, sine de Institutione Principis, ad Regem libellus*: à die impressionis absolutæ intra sex annos. Qui secus faxit, confiscationis librorum, & grauis multæ poena multabitur. Vti latius continetur, in literis Datis Bruxellæ 26. Ianuarij, Anno 1588.

Signat.

J. de Witte.

P R I V I L E G I I C Æ S A R E I
S V M M A.

MAXIMILIANI II. Romanorum Imperatoris semper Augusti, publico Edicto cautum & sancitum est, ne quis, cuiuscumque status, gradus, ordinis, aut conditionis fuerit, quacumque sacri Romani Imperij, & ditionis eius fines patent, quacumque probatorum auctorum opera, quotquot vel hæcenus nondum impressa, vel ab alijs quidem impressa, nouis autem deinceps scholijs, annotationibus, aut commentarijs aucta & illustrata, Christophorus Plantinus, civis & typographus Antuerpiensis, primus typis procuderit, intra proximum sexennium, à prima cuiusque operis aut voluminis editione, vlllo pacto eiusdem vel diuersi characteris forma excudat, aut excusa ab alijs, intra eiusdem Maximiliani Imperij fines vendenda importet, seu quouis modo distrahat, manifestè vel occultè, sub poena decem Marcharum auri puri, quarum dimidia fisco Imperiali fraudis vindici, residua verò pars prænominato Plantino cedat, præter librorum ad imitationem impressorum amissionem, quos idem Plantinus, ubicumque locorum natus fuerit, per se, vel suos, adiumento Magistratus loci, vel citra, propria auctoritate sibi vendicare, inq. suam potestatem redigere poterit. In cuius rei fidem ipsi Edicto manu subscripsit, & sigillum apponi iussit Casarea Maiestas. Datum in ciuitate Vienna Austria, die vigesima prima mensis February, Anno Domini M. D. LXV.

Subsig.

Maximilianus.

*Ad mandatum sacra
Cas. M. proprium*

Haller.

ANTVERPIÆ,
IN OFFICINA PLANTINIANA,
DECIMAQVARTA AVGVSTI,
ANNO M. D. XC.

